© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

JOH. LUD. VIVIS

DE

DISCIPLINIS.

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

JOHANNIS LUDOVICI

VIVIS,

VALENTINI,

DE

DISCIPLINIS

LIBRI XII.

Septem de Corruptis Artibus ; quinque
de tradendis Disciplinis.

Cum indice copioso.

NEAPOLI. CIↃIↃCCLXIV.

EX TYPOGRAPHIA SIMONIANA

Superiorum permissu.

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

JOHANNES LUDOVICUS VIVES,

JOHANNI TERTIO

Luſitaniæ & Algarbiorum Regi inclyto, domino Guineæ, & cætera,

S. D.

MAjorum præclara facinora, ut nobilitatem poſteris ſuis adferunt, ita etiam neceſſitatem ingentem, ne ab illis degenerent. Nec aliud videntur eſſe, quam notæ quædam generoſi ſeminii, ut ſciant omnes, quid ab illis debeant expectare, ac quaſi repoſcere ſuo jure. Quod in mutis animantibus, & ſtirpibus, videmus paſtores atque agricolas facere, ut vel oves vel arbores egregias inſigniant, fœtumque earum pro certo habeant peculiaris cujuſdam & excellentis præter cæteros virtutis futuros. Equidem quum in tuorum majorum res geſtas intueor, quæ omnes in Te unum ſunt collatæ atque impoſitæ; magno atque acerrimo judicio, diligenti vigilantia & cura opus Tibi fore video, ut illas non ſuſtineas modo, ſed (quod ab ſpecimine tuæ virtutis paſſim requiritur) auctiores ad poſteros tuos, & ſplendidiores tranſmittas. Auſi ſunt progenitores tui, Luſitania egreſſi, nova maria, novas Terras, nova atque incognita ſidera ſcrutari. Primum littus Atlantici maris, dejectis inde Agarenis, occuparunt. Evecti longius ultra viam Solis, penetrarunt ad Orbem nobis adverſum, permenſi mare notionale ſub Æthiopia: hinc ad mare Rubrum, adque fauces Perſici ſinus munierunt ſibi arces. Tranſgreſſique ſupra oſtium Indi fluminis, in feraciſſima & beatiſſima Indiæ totius ora jus ſibi & ditionem quæſiverunt. Oſtenderunt nobis vias cæli ac pelagi nunquam antea ne fando quidem auditas: populos, nationeſque, ut ritu ac

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

barbarie admirabiles, ita etiam iis opibus, quas tantopere affectus noſtri ſuſpiciunt. Plane generi humano ſuus eſt Orbis patefactus, ut veterum peregrinationes, quas fama in cælum evehit, nemo ſit adeo ignarus rerum, qui cum his cenſeat comparandas, ſive magnitudine viarum, ſive difficultate itinerum, ſive prolatione rerum inauditarum, quæ tam vehementer facie, conſuetudine, more a noſtris abhorrent. Sed hæc omnia longe antecellit propagata longe & late pietas noſtra, tanta cum gloria Chriſtiani nominis, tanta cum utilitate eorum, quos ſubegiſtis: ut meliore ſint illi conditione, quia victi a nobis; quam vos, quia illos viciſtis. Nam vobis quid aliud his victoriis partum eſt, quam, ut in quærendo, ita in conſervando, ſtudium, & labor, & difficultas negotii? Grande propoſitum eſt Chriſtianis Principibus exemplar quod æmulentur, hæc demum eſſe induenda arma, hujuſmodi quærendas victorias, in quibus victores ſibi vincant & Deo, victi perpetuo ſe eſſe ſuperatos lætentur: quandoquidem ex victoria ſui tam ampla ad eos ipſos emolumenta revertuntur; & in illa Aſia vel Africa non de agello quopiam vel civitatula ingenti virium apparatu & mole dimicare, ſed de latiſſimis provinciis & regnis; ut maxima Orbis totius pars præmium eſſet fortunæ belli. Majoribus quidem tuis, qui hæc tanta ex tam parvis initiis fecerunt, gratulandum eſt, jam ampliſſimam tot laborum & tam indefeſſæ virtutis mercedem conſecutis: Tibi vero prima hujuſce curſus ſpatia ineunti, non tam eſt gratulandum, quam cohortandus es, ut, quod reſtat, alacriter decurras, eiſdemque veſtigiis ad pulcherrima facinora inſiſtas, quibus illi ipſi, quorum intra domeſticos parietes habes exemplum. Conſervanda ſunt tibi, quæ accepiſti, eiſdem artibus quibus illi paraverunt; diligentia, induſtria, manſuetudine, magnanimitate, magnificentia, conſtantia, fide: ut quemadmodum nos ad virtutem Te progenitorum tuorum excitamus, ita minores tuos poſteri ad Te mitandum erigant & exhortentur. Quod futurum ſperamus de quibuſdam tuis actis, quæ jam iſta ætate velut experimentum tui edidiſti, cum aliarum rerum, quæ dignæ ſunt viro principe, tum vero ſanctæ ac incor-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

corruptæ juſtitiæ, &, quum opus eſt, ſeveræ quoque & inflexibilis: qua perfeciſti, ut non jam (quod multis in locis ſolet fieri) hominibus ſerviant leges & jura; ſed ut legibus & æquitati homines obtemperent ac ſerviant, quo ſint liberrimi. Hic ipſe ingenii tui guſtus, ne Tu tibi admodum placeas, quaſi pignus eſt ad omnes tuos, quo magna deinceps & pulcherrima opera tanquam debitum a Te repetent: moleſti appellatores futuri, niſi in tempore, quæ debes, repræſentes. Favor etiam iſte tuus erga literatos, & literas, quemadmodum in ſapientiam & cultum ingenii ſis affectus, teſtatur. Neque vero nuda eſt iſthæc benevolentia, & ſterilis, quemadmodum apud pleroſque Principum, qui ſatis, abundeque ſeſe rentur feciſſe, ſi laudent, aut ſe bene cupere fateantur. Adjungis benignitatem, atque adeo pro regiis opibus magnificentiam. Teſtis eſt Lutetia, atque aliæ Academiæ, in quibus tot ſcholaſticorum agmina de tuo aluntur. Nimirum faves Tui ſimilibus, faves futuris Tibi magno uſui. Juſtiſſima de cauſa jactatum eſt illud per Hiſpaniam, nullum eſſe patremfamilias Emanuele parente tuo prudentiorem: qui neminem in familia ſua vacare officio voluit, filioſque ſuos torpere otio non eſt paſſus; omnes, quod Principes decebat, & rei militari aſſuefecit, & ſtudiis literarum. Tum intelligis quanta ſit, inter Principes & eruditos homines, munerum conſenſio: ut non ſint duo hominum genera, quæ amica inter ſe magis & conjuncta eſſe conveniat; ut alterum ab altero fulciatur, & quaſi mutuum inter ſe auxilium præbeant. Sunt utrique civitatibus & populis a Deo tributi, ut bene illis conſulant: eruditi, præceptis; Principes, edictis & juſſu; ambo, exemplo ſui. Eruditio quiete indiget; quam præſtat regia poteſtas: hæc vero conſilio ad molem tantarum rerum tractandam; quod præſtant docti prudentia ex diſciplinis collecta: ut appareat, ſi alterutris alteri deſint, exequi eos munus ſuum ac tueri non poſſe. Talis Tui, & eorum, quos enutris, erit conſociatio officiorum, ut Tu illorum peritiam, illi tuam potentiam adjuvent, & ſuſtentent: quod erit liberalitatis tuæ pretium ampliſſimum. Nam quos audias alios rectius, aut quorum vel accuratioribus, vel fidelio-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

lioribus uteris conſiliis, quam illorum, qui beneficio tuo tales evaſerunt, ut adeſſe Tibi maximis de rebus deliberanti merito poſſent? Hæc tua ſumma adeo & ſingularis in literas & literatos voluntas adduxit me, ut libros, quos nuper de diſciplinis conſcripſeram, nuncupare Tibi non dubitarem, hoc eſt, de rebus, quas tibi multo eſſe gratiſſimas omnes ſcimus: ut, ſi placere opus tractatione non poſſit, inſcriptione ſaltem placeat. Vale. Brugis menſe Julio, anno MDXXXI.

JOAN.

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

JOHANNIS LUDOVICI VIVIS, VALENTINI,

In libros de Disciplinis

PRÆFATIO.

Cogitanti mihi, nihil esse in vita, vel pulchrius vel præstabilius cultu ingeniorum, quæ disciplinæ nominantur, qui nos a ferarum ritu & more separat, humanitati restituit, & ad Deum extollit ipsum; visum est de illis, quantum ipse quidem assequerer, literis mandare; idque alia, nisi fallor, ratione, quam plerique majorum nostrorum fecere. Primum ita aperte ac dilucide, ut percipi facile, ac teneri possent, quæ dicerem: tum, ad naturam rerum, quoad præstare potui, congruenter, ut libeat ingenio cum delectatione aliqua illas cognoscere, fructus quoque redeat ad discentes amplior. Nam usui accommodavi illas, quo ad hujusmodi studia generosa invitarentur ingenia. Nitorem præterea sermonis addidi aliquem: & quod non expediret res pulcherrimas sordide ac spurce vestiri, & ut studiosi elegantiarum literarum non perpetuo in vocum & sermonis cognitione adhærescerent, quod hactenus fere accidit, tædio nimirum infrugiferæ ac horridæ molestiæ, quæ in percipiendis artibus diutissime erat devoranda. Itaque venietur paulatim ad utilitatem doctarum linguarum; quas ideo tanta diligentia paramus, vel quia disciplinas continent, vel quia sunt illis continendis idoneæ. Conatus sum etiam artes ab impiis scrupulis repurgare, atque a gentilitiis tenebris ad lucem traducere pietatis nostræ; ut quod olim veteres illos Scriptores fefellit, non id factum humani ingenii vitio, sicut nonnulli arbitrantur, sed illorum ostendam. Ideoque rationes attuli petitas ex natura, non e divinis ora-

cu-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

culis ; ne ex philoſophia in Theologiam tranſilirem. Quod ſi quadantenus patefecere, profecto laboris mei fructum capiam uberrimum. Nam quid excogitari utilius poteſt, quam homines a tenebris ad ejus lucis intuitum transferre, quam intueri adeo refert omnium, ut ſine illa perpetuo futuri ſimus miſerrimi? & ſi qui maligne ſe illam ſuſpicabantur videre, planius & apertius conſpiciant, atque illo modo, quo ſe clariſſime putent cernere. Nec inter prima ſtudia gentiliis erroribus imbuti, mox religionem illis contaminemus : ſed ab exordio ſtatim rectis ſaniſque perſuaſionibus aſſueſcamus, quæ paulatim nobiſcum adoleſcant. Verum, quod antiquorum hominum in tradendis artibus confirmata eſſet authoritas, ne illa vel præcipienti mihi officeret, vel ſtudioſis, qui ſeſe libenter ac facile duci alicui receptæ fidei committunt : declarandum mihi fuit, quibus in rebus lapſos eſſe illos cenſerem ; ſic rectius commodiuſque exiſtimavi poſſe me de artibus diſſerere. In quo opere multa fuerunt mihi contra priſcos authores diſputanda : non omnes quidem, nam id infinitum, atque inutile fuiſſet ; ſed receptos ſolum, & diutino conſenſu approbatos. Hic meipſum, ſi qua eſt fides, ſuſcepti hujus mei ſæpenumero puduit, & confidentiam ipſe meam damno, qui Scriptoribus ævo conſecratis audeam repugnare; Ariſtoteli in primis, cujus ego in humanis artibus ingenium, induſtriam, diligentiam, judicium, unice præter cæteros & admiror, & ſuſpicio. Sed rogo, ne quis me idcirco vel ingratitudinis, vel temeritatis damnet. Nam & habendam ego illis maximam gratiam ſemper duxi, qui quod ſtudio & ſolertia potuerunt exculpere, non inviderunt nobis ſuis poſteris : &, ſi quo lapſi ſunt loco, ignoſcendum humanæ infirmitati in culpa communi. Porro de ſcriptis magnorum authorum æſtimare multo eſt literis conducibilius, quam auctoritate ſola acquieſcere, & fide ſemper aliena accipere omnia, abſint modo judicandi & pronuntiandi peſtes, livor, acerbitas, præcipitatio, impudentia, & dicacitas ſcurrilis. Neque enim effœta eſt jam vel exhauſta natura, ut nihil prioribus annis ſimile pariat : eadem eſt ſemper ſui ſimilis, nec raro, tanquam collectis viribus, pollentior ac potentior ; qualem nunc eſſe credi par eſt robore adjutam & confirmatam, quod ſenſim per tot ſecula accrevit. Quantum enim ad diſciplinas percipiendas omnes adjutum vobis inven-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

venta ſuperiorum ſeculorum aperiunt, & experientia tam diuturna? ut appareat, poſſe nos, ſi modo applicaremus eodem animum, melius in univerſum pronuntiare de rebus vitæ ac naturæ, quam Ariſtotelem, Platonem, aut quenquam antiquorum: videlicet poſt tam longam maximarum & abditarum rerum obſervationem, quæ novæ illis ac recentes admirationem magis pariebant ſui, quam cognitione adferebant. Quid Ariſtoteles ipſe? An non ſuperiorum omnium placita convellere eſt auſus? Nobis examinare ſaltem, ac cenſere nefas erit? præſertim quod, ut Seneca ſapienter dicit, qui ante nos iſta moverunt, non domini noſtri, ſed duces ſunt. Patet omnibus veritas, nondum eſt occupata. Multum ex illa etiam futuris relictum eſt. Neque vero ipſe æquari me antiquis illis poſtulo, ſed rationes eorum comparari cum meis; ut tantum mihi habeatur fidei, quantum ratio mea evicerit: ubi paria fuerint argumentorum momenta, impudentiæ foret recuſare, quo minus priſci illi mihi & cuivis recentiorum Scriptorum anteponantur; id eſt, tam longo experimento comprobati novis & incognitis adhuc. Equidem, ut de me uno loquar, nolim quenquam ſe mihi addicere: nec autor unquam ſectæ, nec ſuaſor ero, etiam ſi in meæ verba jurandum ſit. Si quid vobis, o amici, recte videbor admonere; tuemini illud, quia verum, non quia meum: id & vobis, & in commune ſtudiis omnibus conducet. Nam pro me digladiari nec proderit mihi, & oberit vobis ob diſſenſiones & partes: veritatis ſectatores, ubicunque eam eſſe putabitis, ab illa ſtate: me vero, ſeu viventem adhuc, ſeu fato jam defunctum, relinquite meo judici, cui uni conſcientia mea ſatis factura eſt. Nec dubito, quin ipſe ſim in his, quæ attuli, ſæpenumero falſus: videlicet qui lapſos eſſe illos contendo, cum quibus ego nec ingenio, nec ſtudio, neque uſu & cognitione rerum ulla ex parte ſum comparandus. Sed quemadmodum Ariſtoteles, pro inventis a ſe, repoſcebat gratiam; veniam vero pro omiſſis: ita ego voluntatem meam oro, conſulatis boni; erratis autem, in novo dumtaxat invento, faciles benignique ignoſcatis. Nulla ars ſimul & inventa eſt, & abſoluta. Si quis hæc mea & expolire dignabitur rudia, & explere defecta, fortaſſe efficietur id, quod cum fructu aliquo juvet cognoſci.

Die

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Die 31. menſis Auguſti 1763.

Reimprimatur ; Regis Juribus , Moribus , Legibuſque Regni ſemper ſalvis.

VARGAS MACCIUCCA.

Carulli.

Imprimatur. Datum die 23. *Novembris.* 1764.

PH. EP. ALLIF. VIC.GEN.

JOSEPH SPARANUS CAN. DEP.

JOAN-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

JOHANNIS LUDOVICI VIVIS

DE

CAUSIS CORRUPTARUM ARTIUM

LIBER I.

Qui eſt de artibus in univerſum.

ANimantes omnes Naturæ benignitate, ac magiſterio ſatis eſſe ad tuendam vitam inſtructas videmus. Quippe integumenta corporum Naturæ munere accipiunt, & cibo veſcuntur parato & ubique obvio. Homo vero prodit in lucem hanc multarum rerum indigus, ut appareat crimine aliquo detracta illi eſſe Naturæ beneficia, nullis reliquorum animantium denegata. Non habet quo ſe a vi frigoris, ab æſtu, ab imbre tueatur, niſi quæſita multo labore: nec ei alimenta terra fundit, niſi rogata, immo coacta longa & moleſta cura. Illa tamen in re indulgenter homo eſt a principe & autore ſuo habitus, quod quum ipſe neceſſitates ſibi ſua culpa tam varias accerſierit, Deus tamen inſtrumentum ei reliquit ad eas quoquo modo propulſandas, ingenii acumen vivax & ſua ſponte actuoſum. Hinc ſunt nata inventa hominum omnia, utilia, noxia, proba, improba.

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Prima rerum inventio neceſſitatibus ſuccurrit; hæc enim ingenia mirifice exacuit ad ea excudenda, quîs obſeſſor adeo gravis arceatur, ne qua expugnare valeat, quod ab eo tanta diligentia diu noctuque oppugnatur. Initio, ſibi quiſque pro re nata conſilium captabat, ut rebus oppreſſis afflictiſque ſubveniret. Tum, ſi quid relaxamenti concederetur, uſu & meditatione excogitabat, quod proficeret in poſterum: hæc ab eodem uno per varia experimenta collecta, vel collata cum alienis, præcepta efficiebant, quæ etiam alios in re ſimili juvarent: multa vero ſimul conjuncta, quæ ad unum aliquem ſimileſve vitæ uſus ſpectarent, vocarunt artem. Hæc jam olim ſunt a maximis viris ſcite animadverſa, Ariſtotele philoſopho in libris Primæ philoſophiæ, Virgilio & Manilio vatibus, quorum hic inquit:

Et labor ingenium miſeris dedit, & ſua quenque
Advigilare ſibi juſſit Fortuna premendo.

Et idem:

Per varios uſus artem experientia fecit.

Tum Virgilius, connumeratis commoditatibus, quas Jupiter hominum generi ademiſſet, videlicet umbram quandam aſſequutus dicti illius: *Execrabilis terra opere tuo*, ut alia quædam veræ pietatis coactos eſſe homines canit, pulſo veterno, operi incumbere:

Tum variæ, inquit, *venere artes; labor omnia vincit*
Improbus, & duris urgens in rebus egeſtas.

Et poſt:

Ut varias uſus meditando extunderet artes.

Et quemadmodum videmus in vita contingere, ut homines perfuncti domeſticis & neceſſariis negotiis, applicent animum ad aliquid altius ac liberalius cognoſcendum; ita artibus, quæ præſenti atque urgenti neceſſitati opem ferrent, rite inventis ac conſtitutis, viſum eſt humano ingenio ſenſim ad pulchriora ſeſe attollere. Neſcit animi noſtri vigor quieſcere: *opere*, ut inquit ille, *paſcitur*. Tum mathematice & philoſophia naturalis quæſita, & civitates conſtitutæ, & leges datæ, quæ tametſi vitæ magnopere proſunt; tamen non illis neceſſitatibus conſulunt, quibus terræ foſſio, aratio, repaſtinatio, & alia quæ operibus ruſticis exercentur; neu vellenda la-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

lana, & nenda, & texenda, aut ædificia conſtruenda, quîs ſine, vita ne diem quidem unum poſſet propagari. Et quo quæque artes altiores res, minuſque præſenti & diurno corporis uſui neceſſarias ſpectabant, hoc præſtantiores habebantur, eorumque profeſſores digniores ſapientiæ nomine, videlicet hominum conſenſu id declarante, excellentiora eſſe quæcunque ad animum pertinerent, quam quæ ad corpus; & hoc naturali quadam informatione in humanis pectoribus inædificatum expreſſumque. Et corpus quidem pecudis more præſentibus acquieſcit, oblitum præterita, ſecurum futuri. Animus vero, utpote divinus, recordatur tranſacta, & ea in uſum futurorum revocat. Unde vetus ſententia: *providentiam Memoriæ filiam eſſe atque Uſus*. Magnus rerum actarum theſaurus eſt memoria, quæ quod fluxa in pleriſque & infirma eſſet, viſum eſt adjuvari eam reminiſcentia, ut, quibuſdam velut ſignis, rediret in recordationem eorum, quæ quæreret: hæ litteræ fuerunt. Apud alios, imagines animantium, quibus Æthiopes vulgo utebantur, & poſt eos Ægyptii. Sed hi tantum in ſacris atque in arcanis rebus, quæ idcirco ſunt ἱερογλυφικὰ nominata, quorum crebra mentio apud Veteres. Mira res eſt, quiſquis ille fuit tanti autor inventi, quatuor & viginti notulis, plus minus, potuiſſe tantam humanarum vocum ſonorumque varietatem comprehendere. Sunt qui inventionem hanc perſtrinxerint, ut ille in Phædro Platonis, qui Theuto Ægyptio de repertis literis glorianti, tanquam memoriæ adjumento, reſponderit, *illum non memoriam adjuviſſe, ſed reminiſcentiam*. Et Pythagoræ Samio hanc ferunt fuiſſe cauſam cur non ſcriberet, quod diceret, *nolle ſe ſcribendis ſenſis animi ſui diſcipulos deſidiæ aſſuefacere*, quippe qui monimentis literarum confiſi, minus memoriæ excolendæ ſtuderent. Eadem propemodum fuit Druydarum Galliæ ſacerdotum mens, idcirco multa illa verſuum millia, quibus ſacra & ceremoniæ eorum continentur, alii aliis, velut per manus, tradebant ſine ſcriptione ulla. Sed certe neceſſariæ ſunt literæ ad æternitatem memoriæ. Infidelis eſt enim illa per manus traditio, quod is qui accipit, vel non ſatis accurate auſcultavit, vel oblivíſcitur, aut quod negligenter recoluit, aut morbi alicujus, aut certe ætatis

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ipſius injuria, quam non temere dicunt auferre omnia; interdum quoque moritur, antequam tradat accepta. Pythagoræ ipſius, ut videmus, quam pauca extant? & hæc ope literarum exempta noxæ ævi; nec illa aurea, ut vocant, verba legeremus, niſi Philolaus aliquid auſus eſſet contra magiſtri præcepta, condiſcipulis frementibus, & vehementer reclamantibus. Druydarum nihil eſt reliqui. Eſdras quoque ſcriba gentis Judeæ, quum cerneret populum ſuum toties capi ac ſedes mutare, tum cædibus & exiliis abſumi; ſtatuit quæ de lege Domini interipſos velut ſucceſſionibus atque hæreditatibus tradebantur, literis conſignare atque mandare. Hiſce literis artes omnes, & neceſſitates, & ſapientiæ, tum res geſtæ, & omnis antiquitatis memoria, ceu theſauro quodam conſervantur, ne unquam intercidant. Sed de artibus corporis alius erit mihi dicendi locus. Nunc de iis artibus, quæ inquiſitione mentis conſtant, erit ſermo: quæ fuerint apud Veteres, quemadmodum adultæ viguerint, quemadmodum poſtea marcuerint, & illarum quædam ſenſim deciderint, ac pene extinctæ ſint. Sententiam vero de artibus meam hoc opere non aperiam: tantum qua ratione, quibus cauſis corruptas eſſe exiſtimem, indicaſſe contentus. Nam adjiciam huic operi (Chriſto propitio) libros alios, quibus perſequar quid ipſe de artibus, deque diſciplinis, de ſcholis, de inſtitutoribus ſentiam.

Galenus medicus hac utitur ſectione artium, ut *alias dicat contemptibiles vileſque, quæ corporis laboribus & manibus exercentur*, *quas* Græci χειρουργικάς vocarunt: *alias honeſtas & homine libero dignas*, de quo genere primam facit Medicinam: hoc condonandum amori profeſſionis, & tanquam pietati in nutricem bene meritam. Addit Rhetoricam, Muſicam, Geometriam, Aſtronomiam, Arithmeticam, Dialecticam, Grammaticam, Legum prudentiam. Nec repugnat, ſi quis velit huic numero adſcribere eas, queis fingimus pingimuſque. Quod hæ, tametſi citra manuum operam non obeantur; tamen non videntur egere robore illo, & lacertis juvenilibus. Seneca vero non adducitur, ut in numerum liberalium artium *pictorem* recipiat, non magis quam ſtatuarios, aut marmorarios, aut cæteros luxuriæ miniſtros. Æque luctatores &

to-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

totam oleo ac luto conſtantem ſcientiam expellit : quod ei convenit cum Galeno . Nec liberalia ſtudia ſunt, ſententia Senecæ , exercitationes rei militaris . Venationem quoque a liberalibus Salluſtius excludit. Poſſidonius Stoicus artes hunc in modum partiebatur : ut alias vulgares & ſordidas nominaret , quæ manu conſtarent , & eſſent ad inſtruendam vitam occupatæ : expertes decori atque honeſti. Alias ludricas, quæ ad voluptatem tenderent oculorum atque aurium. Pueriles ſunt , aliquid habentes liberalibus ſimile , quas ἐλλιθερίας Græci vocant , quæ non perducunt animum ad virtutem , ſed expediunt . Liberales vero immo (ut inquit) ſolæ liberæ ſunt , quibus eſt curæ virtus . Recepta opinio eſt ſeptem eſſe liberales artes. Tres de ſermone; Grammaticam , Dialecticam (quæ eadem eſt Logica) Rhetoricam : quatuor de quantitate ; Geometriam , Arithmeticam , Muſicam , Aſtronomiam , quas Mathematicas nuncupant Græci , ceu quis dicat diſciplinales . Has ingenuas cognominarunt , quaſi has ſolas ingenui diſcerent , ac exercerent . Nemo enim fere in liberis civitatibus ingenuus manuariis artibus operam accommodabat . Sed puer hiſce erat artibus deditus, juvenes vero militiæ, campo , gymnaſio , aut publicis negotiis , adminiſtranda reipublica , cauſis actitandis , & ejuſmodi exercitamentis , quæ ſola cenſebant illi digna homine libero. Unde illud in comœdia: *Fac periculum in literis, fac in palæſtra , in muſicis , quæ liberum ſcire æquum eſt .* Illæ enim artes maxime exiſtimabantur ingenuis hominibus ad vitæ cultum , & ad rempublicam gerendam congruere , ut ſermo eſſet emendatus & purus ; tum ratio differendi cum facundia eſſet in promptu, quis in foro , quis in ſenatu , & cum populo agerent . Tum adprivata negotia Arithmetica , ad agriculturam & navigationem Aſtrologia , ad menſuras agrorum Geometria. Poſtremo ad honeſta oblectamenta, Muſica, quæ apud Græcos maximo in pretio fuit . Romani non perinde eam coluerunt, homines magis militares & ruſticanæ ſimplicitatis. Diſcebant quoque pueri ſimul cum literis natare , quod Græco proverbio declaratur, quod in imperitum penitus jaci eſt ſolitum, *neque literas eum neſſe, neque natare:* idem eſt & Romæ factitatum. Sed miror prætermiſſas ab illis Archi-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

chitecturam & Perſpectivam ad multa utilem, niſi has ſub ambitu Geometriæ concluſerunt, aut quod Architectura manus exerceret, quamvis rara omnino ars, & quam pauciſſimi tenerent in Græcia, ſicut Plato quodam in loco teſtatur. Porro nemo miretur, nullam eſſe de morali philoſophia mentionem: tam quod illorum judicio quærenda pecunia primum eſt, & protinus ad cenſum de moribus ultima fiet quæſtio; quam quod, ut recte Poſſidonius apud Senecam definivit. *Artes hæ, quæ liberales nuncupantur, pueriles ſunt; rudimenta noſtra, non opera.* In noſtris ſcholis hæc quoque fundamenta ſunt trium ædificiorum, Medicinæ, Theologiæ, & peritiæ Juris, quas ſupremas artes diſciplinaſque nominamus, & uſui quotidiano cum primis ſerviunt. Philoſophiam moralem adjunximus, quæ multum Theologiæ adminiculatur, & ex qua jus eſſe ortum exiſtimant ſacrum & profanum. Tum cognitionem naturæ rerum, ſine qua medicina manca eſt prorſum, nec rite aut percipi poteſt aut teneri. Atque hæc velut collegiis ſunt diſtincta; ut unum eſſet ſeptem illarum liberalium artium, quibus annumeratur Philoſophia, quæ eſt de moribus, quæque de natura; alterum Medicinæ, tertium Civilis Juris, quartum Pontificii, quintum & ſupremum Theologiæ. In his militiæ quædam & aſcenſus ad faſtigium dignitatis per certos honorum gradus.

Harum omnium artium materia, vires, utilitates in Natura ſunt ab opifice Deo poſitæ ac conſtitutæ. Sed ad eas humanum ingenium ægre penetrat, a luce ac viribus deſtitutum, quod ſi non ſtimulis quibuſdam urgeretur ac exſcitaretur, nihil fieri poſſit illo ſqualidius aut horridius. Primum neceſſitas acutiſſimum calcar addidit, ſeu pugionem verius ad vigilandum: quippe ſi in ea pauliſper obdormiſceret, in diſcrimen veniret, ne unquam evigilaret poſtea. Nec ſolum in ſua quiſque neceſſitate ſolicitus ſategit eorum, quæ eſſent opus; verum auxilium imploravit eorum, a quibus ſe aliquid ſubſidii conſequi poſſe ſperaret. Invitati ſunt complures, quos multitudo plurimum valere ingenio arbitrabatur, & allecti maximis præmiis, ut artibus in commune neceſſariis darent operam. Laboris præmia fuerunt pecunia, honor, decus, gratia & privata & pu-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

publica . Ea de cauſa Ægyptii ſacerdotes multam in mathematicis poſuerunt operam , quod vehementer Geometria Ægyptus tota indigeret , confuſis per annos agrorum limitibus ab inundante Nilo. Adduxit ad tractandas atque excolendas artes magnitudo rei , & opus unum excellentia mentis noſtræ longe digniſſimum , cupiditas veri inveniendi, qua nihil eſt præclarius, nec quod magis deceat hominem ; ſicut ignorare , falli , decipi , turpe ac miſerum judicamus: quæ ut evitarent , philoſophatos eſſe priſcos illos, nec alia cauſa, aut in alium uſum , Ariſtoteles perhibet gravis imprimis autor . Admiratio hujus tanti operis ingentes illos animos ad ſtudium & inquiſitionem cauſarum compulit . Hinc ſi quid ſe putarent novum & aliis inauditum invenisſe , incredibilis ſequebatur delectatio , tanquam parta victoria , & tantis difficultatibus ſupetratis : ea delectatio detinebat eos in cura & labore : quam illi delectationem opibus , dignitatibus , & aliis omnibus vitæ commodis præponebant . Ergo expedierunt ſe varia hominum ingenia , ut in verum hoc quaſi defodiendum , ac eruendum , prorſum incumberent: alia , ſpe premii inducta ; alia ut fruerentur iis oblectamentis , quæ ex ſpectatione theatri hujus naturæ maxime capiuntur , variæ ſubinde ac diuturnæ . Præſtantia ingenia ex ſublimi illa & generoſa nota huc venerunt ; quod quum ſe tanta pectoris luce illo vigore mentis præditos reputarent ac inſtructos , nulla in re alia conſumi tanta bona oportere cenſuerunt , quam ut rem pulcherrimam ſcrutarentur ac complecterentur , & quatenus liceret , quamplurimis prodeſſent. Omnes ergo mira alacritate contenderunt , adjuti luce quadam , velut duce viæ , qua inſiſterent ad quærendum ; tum quærendi dexteritate & induſtria ; poſtremo diligentia atque ſtudio : quibus vires omnes explicabantur ingenii atque animi. Lux erat vis mentis & acumen , quo proſpicerent , quo eundum eſſet , & qua : dexteritas erat illis ceu ſcientia explicandi ſe e locis artis & difficilibus , ut ex facilioribus , quid facto in difficilioribus eſſet opus , colligerent : diligentia erat , ut promoverent , & propius accederent , quo intenderant . Sic enim imagine quadam ſunt hæc ob oculos ponenda . In diligentia ſunt animi intentio , & quaſi vigilia quædam (nam contrarium , remiſ-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſio eſt ſomnus) cura , ſedulitas , labor. Inventor artium & diſciplinarum omnium eſt ingenium , acumine & ſolertia præditum ac inſtructum ; ſed diligentia atque uſu vehementer adjuvatur : nam per diligentiam & procedit longius , & plura ei ſe aperiunt , quæ prius erant abdita & occulta , non aliter quam navigantibus ; ita & acies mentis expolitur , atque exacuitur , & dexteritas ac ſolertia fit promptior . Quemadmodum de Cleanthe Stoico memoriæ eſt proditum , qui hebetudinem ingenii ad ſtudium & vigilantiam tanquam ad cotem acuebat . Acre ingenium , & uſui aptum , naturæ ſunt munera : diligentia , vel neceſſitate urgetur , vel delectatione allicitur , vel admiratione magnitudinis & pulchritudinis rei capitur (quamvis in hoc quoque tacita ineſt delectatio poſtquam aſſequutus es cauſam tantæ rei) deinde cupiditate aliqua excitatur decoris aut pecuniæ , poſtremo perficiendi ſpe alitur & detinetur . Ergo , ut in quibuſque gentibus hæc viguerunt , ita ibi artes vel inventæ ſunt , vel auctæ excultæque . Græcia parens fuit diſciplinarum omnium ; ingeniis fœcunda acutis , ſubtilibus , vividis . In Ægypto permagnus Mathematicarum uſus ; quas præmiis & honore afficiebat neceſſitas . Acutiſſime illud in hominum moribus ac natura deprehendit , qui dixit , *honore ali artes* . Excellere enim quiſque cupit & honore affici ; quare , ut id conſequatur , ei ſe tradit ſtudio , quod in pretio eſſe videt . Ita fit (quam recte , non diſputo) nec ſolum in magnis civitatibus , ac populis , ſed in quocunque cœtu , in quacunque conſuetudine & familiaritate hominum , virorum , feminarum , ſenum , juvenum . Sic eloquentia maxime in liberis civitatibus floruit , velut Athenis & Romæ , quod is certiſſimus eſſet gradus ad maximos honores ac potentiam . In Academiis publicis , plerique alliciuntur illis honorum nominibus , tum iis quæ magno æſtimantur . Unde Lutetiæ tanta Theologorum copia : Aureliæ , Juriſconſultorum , apud Nitiobridges , quem nunc Montem Peſſulanum vocant , Medicorum . Et ſub principibus , ut quiſque eſt arte aliqua delectatus , ita ea in ejus regno tractata eſt , & exculta . Sub Alexandro militabant plurimi . Sub Auguſto , nemo non cudebat carmen . Neronis tempore , multi per Urbem cantores , hiſtriones , phonaſci ,

mul-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

multi magi . Adrianus omnes faciebat obfervatores veterum ſcriptorum. Romæ, Leone Pontifice, omnia perſtrepebant cantibus, Julio, armis . Phœnices nauticas artes multum exercuerunt ad ſuum quæſtum; & hoc magis hiſce inflammabantur rebus ad cognoſcendi cupiditatem , quo ſpes oſtenderetur amplior perveniendi , quo intendiſſent: ut Chaldæi & Ægyptii qui propter locorum opportunitates , quod planicies in illis locis eſſent & cælum ſerenum , cognitione ſe aſtrorum dediderunt . Ex iis ergo initiis ortæ ſunt artes, his fulcimentis ſubſtentatæ, his alimentis auctæ ac confirmatæ . Non quod ars ulla vel ad abſolutionem aliquam ſit perducta, vel ita exterſa ac expolita, ut nihil haberet admiſtum inutile ac rejiciendum. Non eæ ſunt humani ingenii vires, clauſi mole hac corporis & tenebris, ut aliquid excudat perfectum atque abſolutum , cui non deſint plurima ad cumulum perfectionis, & quaſi ad faſtigium illud naturæ cujuſque rei. Nec poteſt quicquam a multis contrectari , cui non aliquid adhæreat vitii, tanquam ex contagio . Nunquam ergo vel perfectæ fuerunt artes , vel puræ , ne in ſua quidem origine : ea eſt ſuperbiſſimi animi cæcitas atque imbecillitas . Sed certe beneficio magnorum ingeniorum , uſu ac ſtudio adjutorum erectæ ſunt , atque ex parvis admodum initiis ad magnitudinem quandam perductæ; ut non fuit perinde difficile augere inventa , atque omnino invenire : tum correcta multa quæ parum recte fuerant in originibus obſervata : & exornata , quæ ruditer ; & illuſtrata , quæ obſcure. Hac omnia quaſi brachiorum vi aliquo uſque progreſſa tanquam adverſo flumine : ubi primum cœperunt brachia remitti , relapſa ſunt ; alia ſenſim ; alia magno impetu , ceu moles per præceps præruptum . Non abs re Virgilius exclamat:

Sic omnia fatis In pejus ruere, & retro ſublapſa referri.

Nec mihi ſolum quomodo ceciderint, ac corruptæ ſint, video dicendum ; ſed etiam quomodo in ipſis originibus , & quaſi inter ipſas formantium manus , detortæ ſint ac depravatæ. Sic enim apertius corruptelæ omnes patefient, non tantum recentiorum hominum , ſed veterum quoque, quibus tamen artium exordia debemus . Non quod autor ſim cuiquam, ut ingratus ſit illis , quibus acceptum ferimus

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

mus ingeniorum cultum, & humanitatem omnem. Verum agendi gratias alius erit locus: nec pro beneficio non habebimus gratias & quidem ſemper, etiam quum illorum indicabimus peccata. Nam quod falſi, quod lapſi ſunt, ignoſcemus communi ſorti ac naturæ: lapſus tamen ad noſtram cautionem detegemus quantum quidem fuerit virium noſtrarum. Quanto ii, qui ſunt in artibus verſati, & ingenio ac dexteritate plus valuerunt, & ſtudia ac diligentia in eam rem contenderunt, tanto artes ex eorum manibus & adultiores exierunt, & terſiores. Sic contra, acies illa mentis retuſa, tanquam lux quædam offuſcata, tum dexteritas impedita, poſtremo ſocordia ac deſidia artes afflixerunt omnes; ut vel magnitudini detraherent, vel corrumperent puritatem; & quum hæc in prima inventione contigerunt, limo & cæno fontem inficerent, ut nunquam puri & liquidi rivi defluxerint. Ingenio tenebræ offunduntur, primum naturali quadam hebetudine atque obſcuritate, vel in univerſum ad omnia, vel ad eam ipſam rem atque artem, ad quam ſe applicat. Nemo expendit vires ingenii ſui, quid poſſit ferre, quid recuſet: unuſquiſque ſatis ſibi fidit: nec eſt ullus tam infelicis ingenii, qui fere deſperet ſe quidvis poſſe aſſequi, quod acumine deficiatur, ſed quod voluntate; ita ad ea ſe adjungit ac tradit, quibus tam eſt aptus, quam vulpes aratro. Nec mirum eſt amorem ſui in unoquoque eſſe cœcum: vulgus patrum non acutius cernit in vitiis, in indole filiorum, nihil ſibi non ſpondent de ſua ſobole, ſi non judicio, certe deſiderio ac voto: ut proximus eſt ſpei amor, ita ad artes eos deducunt ab ingeniis illorum alieniſſimas. Magiſtri reſtant: hos oportebat eſſe oculatos in admittendis diſcipulis, qualem fuiſſe *Alabadenſem* illum *Apollonium* dicendi magiſtrum, de quo Cicero in libris de Oratore ſcribit, quod *quum mercede doceret, non tamen patiebatur eos, quos judicabat non poſſe oratores evadere, operam apud ſe perdere, dimittebatque, & ad quam quenque artem putabat eſſe idoneum, ad eam impellere atque hortari ſolebat*. Verum ille unus ex omni memoria. Cæteros qui quidem mercede docent, pretii cupiditas exoculat: ſine delectu ullo recipiunt ad ſe diſcipulos, & quo frequentius habuerint auditorium, hoc ſe rati majora facturos opere

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

peræ pretia, non ſolum oblatos avide amplectuntur, ſed quærunt, ambiunt, pelliciunt, trahunt ad ſe quoſcunque poſſunt quacunque ratione ac via; ſatis eſſe exiſtimantes ſi ſint homines, modo habeant quod numerent. Et ubi invaluit ambitio, ſi contemnitur pretium, certe numerus quæritur ob vanam nominis opinionem, quod celebre haebeat auditorium. Eruditio, & artes, quæ compreſſæ & velut coactæ talibus fuerint ingeniis, neceſſe eſt eadem facie & natura prodeant, qua ſunt ipſa ingenia, ſcilicet prava, detorta, vitioſa. Neque enim aliter eruditio ab ingenio unde manat, vel formam accipit, quam caſeus a fiſcella; vel naturam reſipit, ac vinum e dolio, vel utre; quare neceſſe eſt, ut male tradant, quæ male acceperunt. Jam affectus omnes animi, ſi non retundunt mentis aciem, certe impediunt ac retardant, & quaſi rubigine obducunt: quocunque illi invaſerunt, lucem offuſcant animi & diſpicientiam veri perturbant, non ſecus ac denſæ nebulæ ante oculos offuſæ. Supremam & celſiſſimam illam mentis lucem ſuperbia perſtringit, & a recto itinere abducit tranſverſam: hæc eſt eminendi atque excellendi cupiditas, ut videatur habere quæ nullus alius, aut quæ pauci, nempe altiſſima ac præſtantiſſima, rara, nova plurima, aut omnia. Ergo ingenia, quæ apte ac feliciter eſſent in mediocribus rebus vel ex natura ſua, vel ex inſtitutione verſata, ſupra vires ſe erexerunt; ut ea crederentur ſcire ac tenere, quæ omnes judicarent eſſe celſiſſima. Ut natus ad Grammaticen, ad enarrandos poetas, atque hiſtoricos, aut qui hiſce tantum in rebus eſſe exercitatus, voluit pro Philoſopho, pro Theologo haberi, quum eas artes ne de nomine quidem noſſet. Alii quod pauciſſimorum eſſet, aut nullius potius, futura prædicere, abdita & recondita detegere, maximas opes temporis momento invenire; Aſtrologiam, Phyſiognomiam, Chalciniam, Magiam, & cæteras divinandi, ac maleficii artes ſunt profeſſi: nec ſolum inter Gentiles, in quibus latiſſime patebat regnum Satanæ; ſed etiam inter Chriſtianos, a quibus fortior Satana Chriſtus jugum tyrannidis illius excuſſit, & armatum illum exarmavit; ſcilicet quod non minus & ſuperbia atque ambitio, & pecuniæ ac voluptatum cupiditas in nos dominantur quam in Gentiles, atque utinam non magis.

Ha-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Harum artium ſtudium vitiavit tanquam afflatu quodam vicinas quaſdam artes, & illas quarum ope utendum eſſet in illis maleficiis ; nempe divinatrix Aſtrologia , certiorem illam & caſtam Aſtronomiam ; Phyſiognomia de venturis , de opibus, de liberis, de felicitate , illam quæ eſt ſimplicior ac verior, de ſignis conſtitutionis corporis & animi ; Magica dæmonum veneno quodam infecit ſcientiam naturæ rerum. Jam, quod in diſciplinis omnibus atque artibus præcipua eſt penes inventores gloria , multi quoque novi placiti voluerunt eſſe autores , miſerrimum ducentes alienis demum veſtigiis inſiſtere . In literas inventa ſua miſerunt , ut ubique legerentur , ut ducerentur novum aliquid ſuper cæteros attuliſſe ; qui morbus mirifice Græcorum ingenia vexavit . Unde in hiſtoria tot mendacia , quum arbitrarentur occupata eſſe a prioribus vera , & ſibi ſcribendi materiam præreptam , ſeque nullo in pretio futuros, ſi eadem recenſerent , cognita jam & pervulgata. Ita quo magis legerentur & placerent & admirabiliores forent in vulgus , fortiter ſunt de Ægyptiis, de Aſſyriis, de Perſis, de Græcis, de omnibus nationibus mentiti . Tum philoſophi, cupidine proferendi nominis , nihil veriti ſunt abſona commentari, & a receptis opinionibus longiſſime recedere. Sodalem habui Lutetiæ , qui *ſe citius quam ut nihil adduceret novi dogmatis , affirmaturum* ajebat, *quæ pro comperto haberet eſſe falſiſſima* . Fuerunt, qui vellent videri nihil omnino ignorare: ut illi in Græcia, Gorgias, & Protagoras, Hippias, Prodichus, Eutydemus , Dionyſidorus , & alii ; qui in cætu ac frequentia hominum quæſtionem quacunque de re poſcebant, paratos ſe ad omnia ex tempore reſpondere , tanquam non modo ſcirent omnia, ſed ad manum & in numerato haberent. At illos tanti inſtituti promiſſores, magiſtros optime tum loquendi , tum etiam ſentiendi , Socrates, qui nihil ſciret, in leviſſimis ſæpe rebus pauciſſimis & facillimis quæſtionibus irretitos , deridendos ſuo ipſorum auditorio relinquebat. Utinam intra Græciæ fines vitium hoc conſtitiſſet , & non alias quoque invaſiſſet nationes ; ut grande exiſtimetur dedecus cunctari, tempus poſcere. Cæca eſt arrogantia, & quocunque intendit , per confidentiam atque impudentiam temere graſſatur ; ergo nihil dubi-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

bitat quidvis ſubdito intrepide aſſeverare , etiam de arcanis rebus & maxime reconditis . In ſuperbia hac , alii magna illa & admirabilia tenere ipſi ſibi perſuadent, vel pravæ naturæ vitio , vel quod quum id vident eſſe ſpectatoribus perſuaſum , ipſi judicio illorum de ſe acquieſcunt : alii non tamen ſcire ſe arbitrantur (neque enim ſe non norunt) quam id aliis creditum eſſe ac certum cupiunt. Priores incredibili ſe progreſſu in diſciplinis fraudant , quum contendere ſuperſedent , quo ſe jam pervenisse arbitrantur : de quibus graviſſime Seneca : *Puto* , inquit , *multos ad ſapientiam potuiſſe pervenire* , *niſi ſe jam crederent pervenisse* . Poſteriores quacunque via & ratione queunt oſtentare opes ſuas , augere in majus ac melius , fucum denique oculis intuentium facere laborant , nihil tacito conſcientiæ teſtimonio tribuere . Quæ ipſi ſciunt, omnium prima & potiſſima volunt credi : quæ alii , infima, abjecta , ſæpe etiam evitanda atque averſanda . Nullus eſt cujuſquam artis adeo mediocris aut humilis quoque ac vilis profeſſor , qui ſi ſit ſuperbus , non illam aut præcipuam omnium cenſeat , aut non certe exiſtimari petat ac contendat ; illudque adeo moribus eſt receptum , ut efferre quenque artem ſuam , & laudibus cœlo æquare , etiam aliis omnibus anteponere , licere ac pium eſſe arbitrentur . Grammaticus ſe unum putat ſapere , deſipere reliquos ; Philoſophus reliquos miſeratur ut pecudes ; Juriſconſultus alios omnes deridet ; Theologus deſpicit : non quod ſe cæteras artes ignorare dicant , aut præ ſe ferant ; immo nihil cunctantur confirmare , ſua illa una diſciplina reliquas univerſas præſtantius claudi ac contineri , quam in libris eorum , qui de illis nominatim tradiderunt . L. Craſſus apud Ciceronem , omne diſciplinarum atque artium genus cognitione juris contineri aſſeverat ; & quidem , ſi diis placet , libello XII. tabularum . Hoc idem noſtri Juriſconſulti habent perſuaſiſſimum . Grammaticus totam Philoſophiam , quam late ſe diffundit , hiſtoricorum & poetarum libris contineri autumat ; quos quum habeat in manibus , nihil ſit quod Ariſtotele aut Platone indigeat . Videlicet hoc eſt ſuperbiæ ingenium , quantum valeat , ſibi arrogare , atque ad eum ſe modum componere , ut nulla videatur re carere , quæ quidem pulchra eſſe ac magnifacien-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

cienda videatur . Quam artem rite percipient ac tradent, qui eam alieniſſimis in locis habitare cenſent , & illinc eſſe petendam, ubi vix illius ſit veſtigium ullum invenire? Idcirco videas falſiſſima atque abſurdiſſima in omnibus artibus aſſeverari ab iis, qui illas violente exprimunt ab autoribus, qui aliquid earum obiter & quaſi aliud agentes attigerunt, non ad exactam illam cenſuram, ſed ad eam ad quam opus ſuum aptabant . Novi , qui etiam ſcriptis libris affirmaret , terram eſſe majorem ſole , & in nocte umbra terræ totum cœlum obſcurari : quod Virgilius dixerit ;

Involvens umbra magna terramque polumque .

Quot abſurda in Philoſophia dogmata ab Homero traxerunt originem , quum multi veterum non illum ut ingenioſum Poetam legerent , ſed ut Philoſophum doctiſſimum ac graviſſimum ? Juriſconſulti , ſi quid ſit a ſuis proditum in hiſtoria , certius putant quam ſi a Tito Livio ; ut de XII. tabulis, quod eburneæ fuerint , quia id Pomponius dixerit : idem , in quacunque alia diſciplina . Jam , quæ non poterant ullo modo oſtentare , ea tenuiſſe ſe aliquando ajunt , ſed vel oblitos tanquam puerilia & ſe indigna ; vel abjeciſſe , tanquam periculoſa & noxia , & e numero artium expellenda ; etiam ſi ſint ex iis artibus , quas illi ampliſſimæ ſuæ profeſſionis titulo comprehendunt . Rogatur Philoſophus , aut Theologus , aut Medicus , aut Juriſconſultus de ſingulis ; ſciat ne Grammaticam . Poeticam, Rhetoricam ; exſibilat eum qui id quærat, magno vultus faſtidio , ſæpe etiam cachinno, *& ad pueros remittit* . Teneat linguas Latinam & Græcam ? *ſeminarium vocat hæreſum ; tenuiſſe in tenera ætate, ſed eſſe dedita opera oblitum* . Quid Rhetoricam? *ridet moto capite* . De Geometria , ita plane de punctis & lineis ridicula quædam . De Arithmetica ; jocatur : *bene numeraturum ſe , adſit modo pecunia* . Cæterum de proportionibus , *vidiſſe quædam perfunctoriæ in commentariis ad tertium Phyſicorum Ariſtotelis* . In Aſtronomia ; partem ſphæræ Joannis a Sacro Buſco aliquando audivit adoleſcens in ſchola . *Muſicam cantores ſcire in templis* . Cedo quid de Perſpectiva , & Coſmographia ? nec nomina audivit unquam : *curioſa* , inquit, *ſunt hæc , & periculi plena:*

ne

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

nefas eſt attingere. At Moralem Philoſophiam certe ſcies: *aliquot dicta ex Ethicis Ariſtotelis*. Ad Œconomicam reſpondet: *ſe non alere familiam*. *Ad* Politicam, *nec regere civitatem*. Quid ergo noſti, vir maxime, & de eruditione admirande? omnia, ſed horum nihil. Et hæc pronuntiarunt homines maxime auctoritatis, qui eſſent morum & totius eruditionis cenſura ac velut norma quædam. Tantum autoritatis pondus in teneras artes cadens, mirandum non eſt, ſi eas confregit. Delicati ſunt floſculi, leni ac dulci favoris aura proferunt ſe ac vigent: infectatione ac vituperatione illico, tanquam faſcino aliquo, contrahuntur ac marceſcunt. Deteſtabilis ſuperbiæ rabies, non ſolum ipſi fraudarunt ſe utilitate doctrinæ, ſed aliis quoque fide autoritatis ſuæ præcluſerunt viam ad bonam mentem, parati tam multa bona ingenia perdere, ne pilum de percepta exiſtimatione amitterent. Pronuntiarunt temere de ſingulis non animadverſis, & ſæpe omnino incognitis: damnarunt alia maxime probanda; commendarunt alia noxia, & ingeniis ac vitæ obfutura. Et cenſuiſſent ipſi hoc idem, haud dubie multo rectius, ſi animo potuiſſent moderari, & non maximum eſſent decus interpretati vel cunctantius res tantas expendere, vel videri pulchrum aliquid ignorare. Nam de illorum numero, qui eas diſciplinas, quas ſodales damnarent, vel leviſſime deguſtaſſet, is non accedebat aliorum ſententiæ. Sæpe, qui quæ neſcirent, damnarant, ingreſſi primos illarum artium aditus, mutata ſubito opinione, ac ſententia damnata, approbaverunt. Quo apparet non de ſuis artibus ſententiam jam illos dicere, ſed de exiſtimatione ſui. Et quemadmodum circulatores nodos quoſdam faciles aliter tamen & involvunt & evolvunt, quam in communi uſu conſuevimus, quo res videatur difficilior, ac proinde admirabilior: ita quidam, quæ facilia, quæ prompta, aperta, dilucida ſunt, in diſciplinis quas norunt, involvunt & intricant, ne res ſcilicet vel vileſcat facilitate, vel etiam fiat vulgaris, multis ſpe ſucceſſus ad eam capeſſendam invitatis. Sic Juriſperiti artem ſuam, quæ & natura facilis eſt, & quam eſſe facilem e re eſt generis humani; quibuſcunque rebus potuerunt, intricarunt & exaſperarunt, ut ardua videretur eſſe ac lamoſa, nec cuilibet

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

bet penetrabilis. Philoſophi quidam metaphoris & ambagibus obſcurarunt, quæ dilucide potuiſſent dicere: alii ſcrupulos, ubi nulli ſunt, quærunt, & nodum, quod ajunt, in ſcirpo, quo videantur altius rimari, & ſubtilius omnia examinare. Nec ſolum ignaris inviderunt ſuam peritiam, ſed ejuſdem artis ſtudioſis ac peritis. Ideo ne ea crederentur illi ſcire, quæ plane ſciebant, ipſi quæſtiunculas excitarunt, ut eſt id facile etiam in rebus liquidiſſimis, ut ſi ſcientiæ opinionem aliis detraxiſſent, id totum in ſe derivaretur, quod aliis decederet. Verum non movere quæſtionem, ſed bene profligare, hoc demum acuti eſt hominis & docti. Fuere, qui quo magis premant alios, & pondus elevent, eorum quæ dicuntur rationem in omnibus evidentem poſtulant, contemnentes ſi non adferatur, quod impii in rebus pietatis faciunt; quaſi vero id ubique præſtari poſſit, aut ulla ſit res, quæ controverſa non queat reddi nimium inquirendo, non veritatis vitio, ſed noſtrorum ingeniorum: ſicut lux alia videbitur quam ſit, ſi nimium oculorum aciem in eam intenderis; non lucis culpa, ſed oculorum, qui tam levi de cauſa hallucinentur. Illud perridiculum, quod quidam falſas ſuas opinationes nulla ratione munitas ac fultas, ſatis ſe conſtabiliſſe rentur, ſi veriſimiles in contrarium rationes utcunque diſſolverint; non animadvertentes haudquaquam idem eſſe inimici domum deſtruere, & conſtruere tuam. Sed illud mirandum maxime, fuiſſe præceptores, qui diſcipulis eruditionem inviderint, ne illi gloriam ſuam æquarent. Ut de quibuſdam Græciæ ſophiſtis traditur; propter quos Socrates pollicebatur, *communicaturum ſe ſua candide, & ſine invidia*. Alexander Deivillanus in præfatione operis ſui, ſignificat fuiſſe Maximianum quendam, cujus *nugas veteres ſociis nolebant pandere caris*; ſic enim ſcribit: Memoria patrum & noſtra plurimos novimus, qui bonam inſtitutionem adoleſcentibus ſuis invidiſſent. Maximos profectus hæc ſuperbia impedivit, dum alii ab aliis nolunt diſcere; vel quia ſe docere potius credunt poſſe, quam debere diſcere: vel quia dedignantur, aut pudet, ne ſe inferiores fateantur, aut alii credant. Quibus de cauſis & rationibus, ſapientiſſimus Bion Philoſophus, *ſuperbiam* dicebat *eſſe impedimentum profectus*. Puduit a ſuperioribus doceri, qui nul-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

nullos volebant fateri ſuperiores ſe, qui poſtulabant credi abſoluti in omni ſapientiæ genere. Puduit a paribus multo magis ab inferioribus & vulgo hominum, a quo tamen quæ ad opificia & encyclopædiam pertinent, fuerant roganda. Jam Plinius ea de cauſa conqueritur, *quæ eſſent τῆς ἐγκυκλοπαιδείας, ignota, aut incerta eſſe ingeniis facta.* Quanto nunc magis ipſe idem Plinius, Varro, Columella, Vitruvius, & alii ignorantur, quod turpe atque erubeſcendum ducimus ab agricola vel fabro aliquid percontari. Quod ſi quem id non pudeat, & omnia ſciendi ſtudio poſthabeat, eum profecto alii ſubſannabunt & explodent. Quocirca jam pridem nihil a doctis hominibus ſcribitur de iis, quæ quotidie nova invenit vita: & melius tenemus uſum illorum temporum abhinc annos plus mille, quum veteres illi ſcriberent, quorum diligentia nihil non annotatum præteribat, quam uſum memoriæ avorum aut patrum. Si ea ſuperbus erubeſcit doceri, quæ erant vel a doctis, vel a plebe audienda, qualia oportet exire, quæ is de rebus hujuſmodi pariat; quam prava, manca, confuſa, perturbata, quam monſtruoſa; ut magis legentium mentes perturbent ac confundant, quam inſtituant & illuſtrent? At ſaltem bona ſpe eſt, dicit aliquis, mutaturum eum ſententiam, & deprehenſo errore, rediturum in viam; admiſſurum meliora, & traditurum. Admonitioni cuicunque ferocem ſe ſuperbus præbet, & contra bene monentem conſurgit, ut rabioſus canis: vel quia, inferri ſibi aliunde lucem poſſe non putat; vel quia, ſi illata credatur, ignominiam eſſe cenſet; contradici ſibi, injuriæ loco deputat. Quem ergo errorem ipſe utcunque mutaret, abs ſe deprehenſum? ſi alius indicet, magis infigitur & pertinacius: quicquid ſemel animo collibitum eſt, defendit, ne diſcedere a ſententia exiſtimetur. Quod ſi ipſe errorem ſuum quandoque deprehendit, ita corrigit, ut majorem habeat rationem exiſtimationis ſuæ quam veritatis, non omnino ſe prius falſum, nec prorſum eſſe in alia opinione, bene ſe antea ſenſiſſe, nunc melius, & terſius. Prætexit ætatem ſuam, aut occupationem aut tempus, ne culpa videatur fuiſſe in ingenio, cujus unius laudem ambit, ſed in opportunitate ad bene ſtatuendum. Unus Aurelius Auguſtinus, vir tantus, Retractationum libros reliquit,

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſimpliciter ac bona fide, quem nullus eſt ad hoc tempus imitatus : videlicet manſueto vir ingenio, & modice de ſe ipſo ſentiens. Iſti noſtri, faſtu & ſuperbia turgidi, inverti ac corrumpi malunt, quod non ignorant verum eſſe, quam videre erraſſe, aut fuiſſe a quo monſtrari illis aliquid potuerit : & tanto admonitionem ferunt acerbius, ſi quæ dixerint, literis conſignata evulgarint. In quo maximam artes plagam accipiunt; nam non ſatis eſt pertinacem & obſtinatam ſuperbiam eſſe, eſt etiam præceps; ut quicquid in mentem veniat, fortiſſime aſſeveret. Fortaſſis, minus eſſet jacturæ, ſi ea pertinaciter tuerentur, quæ prius multum & diu perpenſa atque examinata adferrent: nihil tale, immo, quando ſolus honor ſpectatur, tanquam ſcopus, quem ſe adepturos ſcribendo arbitrantur, ſtatim ad ſcribendum ſe accingunt adoleſcentes rudes atque inexpertes eorum, quæ tractant; ut non immerito hæc tanta prurigo ſatyricis ſit ſalibus defricata :

Scribimus indocti, doctique poemata paſſim,
inquit ille, & alius :
. . . . *Tenet inſanabile multos*
Scribendi cacoethes.

Prætereo, quæ ex hac pertinacia & ſtudio non cedendi, naſcantur venena Chriſtianæ charitatis, rixæ, contentiones; &, quemadmodum a Paulo Apoſtolo ſcribitur, *invidiæ*, *convitia*, *ſuſpiciones ſiniſtræ*, *conflictationes hominum mente corruptorum*, interdum quoque pugnæ & cædes, odia inter hæc creantur, quæ numquam deponuntur, niſi cum anima; ut citius reges in gratiam poſt mutuas ingentes clades redeant, quam ipſi moderati philoſophi poſt ſimultates de literis ſuſceptas. Quid aliud teſtificantur hæc, niſi nos in philoſophia animos gerere gladiatorios : ſuperbiæ inſtinctu ſtudere, non amore bonitatis aut veri cognoſcendi? Inter tam offenſos atque irritatos animos, quomodo expurgari poteſt verum, ut liquidum exiſtat, quod a ſola mentium noſtrarum luce perpurgatur, quæ lux maximis eſt perturbationum nebulis oppreſſa atque offuſcata ? Minor fortaſſe eſt in quibuſdam, ſed tamen mentium nebula, pecuniæ, opum, dignitatis, voluptatum cupido, in nonnullis pectoribus major, quæ etiam peſtis diſciplinas invaſit. Nam ut multi humanitatis artes ſunt tanquam ho-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

honorum inſtrumentum ſequuti : ita non pauci illas propter ea, quæ modo recenſui, expetierunt. Vulgo in eam opinionem eſt jam ventum, ut eruditio velut diurna quædam ſit opera, cui ad veſperam honor aut utilitas, veluti laboris merces, neceſſario ſint parata. Sic perſuaſa eſt ſtulta multitudo, non alium in fructum quæri literas, non in alium quærendas eſſe, quam ob divitias atque opes, aut popularem quandam de ſapientiæ nomine venerationem. Hic per manus error traditur. Patres filiorum teneros animos eo imbuunt; propinqui, neceſſarii, nutrices, nutricii, pædagogi infigunt, ut quum in eam ætatem ventum eſt, in qua rerum acceſſit intelligentia & judicium, revelli nullo penitus modo queat. Hac mente ad ſcholas a patre puer deducitur, hac ipſe puer ingreditur, quæ pariter cum ætate adoleſcit. Ergo ea ſola diſcit, quæ ad finem hunc perducant, ſæpe noxia & legibus vetita, qualis eſt magia, & incantatio, legibus XII. tabularum prohibita. Quod ſi homines tenues ac famelici, ex iis artibus alimenta inſtituerint ſumere, quibus non ſatis valent, fames cogit eos pertinaciter tueri quicquid ſemel ſuſceperint, ne indoctiores habeantur ſi melius dicenti ceſſerint, animo præſertim ſtimulante, male de imperitia ſibi conſcio. Tum ſimulant aliorum contemptum & eos mordent ac perſtringunt acriter, quos ſuo quæſtui officere ſuſpicantur : compellunt artes ſervire, & ad voluntatem eorum torquent, qui dare poſſunt. Videas quoſdam, qui opulenti prius liberi ac modeſti erant in ſentiendo ac judicando : poſtea in egeſtatem delapſi, & aſſentatores ſunt facti divitum, & immodeſti, aſperi, rabioſi in eos omnes, a quibus noceri aliqua ſibi ſuſpicentur. Multum etiam extrinſecus eſt illatum tenebrarum in animos ab ipſis auctoribus, quibus in hac via, & inquiſitione, tanquam ducibus uſi ſumus, ſive quod eos non intelleximus bene admonentes, ſive quod inviderunt nobis ductum ſuum, ſive quod ipſi falſi, nos etiam, qui nos illis credebamus, fefellerunt. Principio, quemadmodum in ſacris hiſtoriis proditum, in permiſtione illa & confuſione linguarum, quæ facta eſt in Aſſyria, rege Nembroto, imperia nec dari potuerunt, nec accipi, quum mutuo non intelligerent ; ita ignoratis magnorum ſcriptorum linguis, quid nobis præciperent, qua eundum,

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

& quo ſuaderent , non intelleximus : veterum auctorum cognitionem , qui Græca aut Latina lingua monimenta ingeniorum ſuorum conſignaſſent , ac poſteris tradidiſſent , ademit prorſum nobis ignoratio harum linguarum , quæ tanta bellorum continuatione prope exoleverunt , quum gentes illæ , quæ Septentrionem incolunt , in Italiam ſeſe, & totum Occidentem effuderunt, Gotthi , Alani , Vandali , Suevi , Turuli , Hunni , Langobardi ; & poſtremi omnium ab Oriente , Agareni . Nam quum bellum literas ſimul cum bonis artibus ac pietate opprimit , quod inter bellicos furores non eſt virtuti nec honos ullus , nec locus: *Pellitur e medio ſapientia ; vi geritur res* , inquit Ennius. Tum gentes illæ natura feræ , & ab omni penitus ingenii cultu alienæ , primum ingentem bibliothecis cladem attulerunt: conflagrarunt illis incendiis urbes, & regna, & ſcelerato illo atque impio igne magnorum quoque ingeniorum opera exuſta ſunt ; quibus authores male præſagi, vitam atque immortalitatem fuerant polliciti . Victores enim , ut de gallo eſt in fabulis , *margaritum* , *quod non intelligebant* , *contempſerunt* . Simul irriſæ ſunt ab eis linguæ , ac ſtudia omnia ; nec ſolum eis detractum eſt pretium , ſed contumelia addita : ſeu quod nollent quemque in victis plus ſapere , quam victorem, & ut quiſque eſſet doctiſſimus , ita craſſis illis hominibus inprimis erat ſuſpectus , tanquam vafer & ad fraudes ac dolos maxime appoſitus , ſeu quod emolliri per hæc virum virtutem opinarentur , ac minus bello idoneos reddi , cui omnia illi tum tribuebant , laudem , gloriam , decus , ex bello uno verum , germanumque , etiam ſempiternum oriri rati . Græca lingua (divulſo ab Occidente Græciæ imperio & commercio) exceſſit Italia , Gallia , Hiſpania, Germania. Hoſtes vero Imperii Romani nec linguam quoque Romanam potuerunt ferre , quam & ipſi tum ignorarent , tum etiam odiſſent . Cogitaſſe ferunt , regem quendam Gotthorum , ut Romam dirutam inſtauraret , & nominaret Gotthicam. Qui ſerviebant , & quidem dominis ſuperbiſſimis ac crudeliſſimis , eum ſermonem admiſerunt , inque eo ſe exercuerunt , quo uti apud dominos poſſent. Ita ſermoni vere Latino ac pure , ſucceſſit miſtus quidam ex Latino , & peregrino . His linguis Latina & Græca vel amiſſis , vel magna ex parte tenebris obru-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

obrutis, neceſſe fuit, ut eadem quoque nox artes illas & diſciplinas opprimeret, quæ eſſent linguis illis traditæ : occultatæ ſignificationes ſingulorum verborum, incognitæ loquendi formulæ ; & tamen qui hæc neſciebant, volebant videri eos ſcriptores, & quidem luculente intelligere, qui Latini ſermonis fuerunt obſervantiſſimi. Quaſi vero aliud ſint libri, quam voces, & loquendi rationes ac formulæ ; quæ qui intelligit, is demum aſſequitur ſcriptoris ſententiam, non alius. An librum de philoſophia Hiſpane ſcriptum, probe intelliget Italus ſermonis noſtri ignarus, quamlibet vicinæ ſint hæ duæ linguæ ? Leges duodecim tabularum probe capiebat populus ille, qui tum vivebat, quum ferrentur : Cicero negat ſe totas intelligere. Quid ita ? non hic doctior, quam vulgus illud rude ? multo : ſed voces quædam ita ex uſu abierant, ut ſignificatus intercidiſſent. Nicolaus Leonicenus, Thomas Linacer, & alii, queruntur ignoratione Græcitatis multa eſſe a Plinio perperam a Græcis ad nos tradu-cta. Idem Divus Hieronymus de ſeptuaginta interpretibus ex Hæbræo in Græcum. Quid opus eſt exemplis veterum ? Iſti ipſi, qui negant ſe de verbis eſſe ſolicitos, quot locis hallucinantur ignoratione verborum ? quoties eſt eis hariolandum ? quam multum ſe torquent ? Quam plauſibiliter dixit Bartholus : *De verbis non curat Juriſconſultus ?* De quibus ergo rebus movent tam multas quæſtiones, niſi de verbis legis ? quæ ſi intellexiſſent, non ita paſſim depravaſſent leges ſtultiſſimis ſenſiculis. Dicat (exempli gratia) Juriſconſultus : Canteſimis calendis dari utiliter ſtipulamur : non intelligas tu quid ſit uſura canteſima, ego intelligam ; an non melius ſenſum ego Juriſconſulti tenebo, quam tu ? Si res in colloquium inferrentur : faterer eum, qui res cognoſceret, melius intellecturum, quibus de rebus ageretur. Sed, quum verba ſola uſurpentur : neceſſe eſt verborum ſignificatus ac ſenſus optime teneat, qui exacte dicit intelligere ſe de quo diſſeratur. Fortaſſis non tam id eſſet neceſſarium in geometria, arithmetica, muſica, pictura, quia lineolis & notis quibuſdam utuntur, oculos in rem præſentem ducunt. In aliis fieri nequit, quo minus verba intelligi ſit neceſſe. Quo circa, quum verba magnorum ſcriptorum non intel-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ligerentur, nec percipi ſenſa potuerunt. Unde omnia apud eos inverſa, & illa eorum dictis ſenſa attributa, non quæ quiſque ex verbis colligeret, ſed quæ pro libito comminiſceretur. Revertuntur tam longo poſtliminio Græca & Latina lingua, ſeu renaſcuntur verius. Et tanto ex bono non exiguum cœpit malum artibus naſci, unde tota erat ſalus ſperanda. Quod homines utriuſque linguæ peritia & cognitione inſtructi, quum ad legendos artium ac rerum ſcriptores accedunt, Platonem puta aut Ariſtotelem, aut Plinium, aut Hippocratem, aut Galenum, aut Pandectas juris, aut novum, aut vetus Inſtrumentum pietatis, & ex linguæ imperitia lapſos nonnunquam vident interpretes, qui multum in illis artibus operæ poſuerunt; quoniam ipſi peccatum deprehendunt linguarum ope ac beneficio, illico ſe peritiores eſſe in illis artibus opinantur, quam illi ipſi fuerint poſt tantam & tam diuturnam exercitationem: ergo illos contemnunt præ ſe, & vix primis guſtatis rudimentis, ad ſcribendum de illis artibus provolant; rem ſe facturos rati utiliorem, quam illi veteres artis profeſſores fecerint, ſi aliquot locis hallucinatos interpretes indicarint. Aditus quidem ſunt linguæ ad artes omnes, quoniam illis ſunt traditæ; ſed aditus tantum, non item artes: oſtia, non ædes.

Inviderunt nobis veteres beneficium ſuæ inſtitutionis, dum ea, quæ inveniſſent, non aperte ac ſimpliciter nobis communicarunt: ſed tot involucris contecta, ut facilius eſſet illa ipſa ex natura rerum eruere, quam ex eorum libris. Scite Socrates: *Heracliti Epheſii librum Delio urinatore dixit indigere*. Sunt, in quibus facile des obſcuritati veniam, quod ea non ex ſcriptore naſcatur, ſed ex rebus: ut in Pythagoricis & Platonicis numeris, quibus conſtare illis placet hominis animam. Alii arcere voluerunt profanum vulgus a cognitione rerum, quas traderent; contaminaturum, non intellecturum. Fuerit ſane cauſa aliqua in rebus ſacris, quam prætexere videtur Plato in epiſtola quadam ad Dionyſium: at in profanis quid cauſæ poſſunt dicere? ut quum Heraclitus diſputat de rerum natura, Pythagoras de numeris, Ariſtoteles de cauſis, & hiſce rebus, quæ inter nos verſantur, deinque de his, quas nos ſcire, nec ullum erat periculum, & ve-

he-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

hementer hominum generi conducebat. Sed de aliis minus fortaſſe fuerit, quam de Ariſtotele quærendum. Reliquorum enim, ut quæ ſcripſerunt parum ſunt appoſite dicta ad diſcendum, ac percipiendum, ætas paulatim delevit ſcripta, vix ut vel ipſa nomina exiſtant autorum. Ruditer enim, impolite, & confuſe ſua congeſſerant, artis penitus expertes.

Ariſtoteles vero quæcunque ſuſcepit tractanda, ſive de moribus, ſive de natura, ſive de ſermone ac diſſerendo, in artis formam ac faciem redegit, ut ne poeticam quidem omiſerit, & alia minoris notæ, quæ ad nos non pervenerunt: quo nomine haud facile quis dixerit, quantum ei ſtudia & diſciplinæ omnes, quantum ſtudioſi ipſi debeant. Sparſa enim collegit, congeſta digeſſit, confuſa diſtinxit; obſcuris attulit lumen, omnia ita reddidit concinna & apta; ut percipi facile ac teneri queant, magno cum fructu eorum, qui artium fructum aliquem ſequuntur. Fuit vir ille (mea quidem ſententia) ingenii acumine, judicio, dexteritate, prudentia, diligentia, atque ſtudio, omnium cujuſcunque ætatis ſcriptorum facile præſtantiſſimus: edoctus diutiſſime a magiſtro non diſcendi modo, ſed etiam ſapiendi, Græciæ totius principe. Quantam hic potuiſſet adferre utilitatem omnibus diſciplinis? quantam lucem? ſi quæ vel ab aliis accepiſſet, vel inveniſſet ipſe, aut reconcinnaſſet, aperte ac dilucide voluiſſet prodere. Sed tum ipſe obſcuravit conſulto ſua: tum fortuitæ aliæ obſcuritates acceſſerunt, quæ aquam fontis hujus in fiſtulas perturbatam mitterent. Primum ut ſcriptores omnes, qui ante ipſum fuiſſent, carpſerat: callido & vafro vir ingenio, talionem veritus, ſententiis eſt uſus ambiguis & in utrunque latus flexibilibus, ne quis etiam exiſteret, qui ipſius dicta laceraret. Ita cavit ſibi ſemper via, qua elabi deprehenſus poſſet, ne teneretur, ut quicquid dixiſſe videretur, integrum eſſet ei, qui illum tuendum ſuſcepiſſet, negare eam fuiſſe illius mentem: ut etiam in reddendis cauſis naturæ, ubi paulo erat apertius loquendum, operis titulo ademerit reprehenſionis anſam, inſcripto opere *Problemata*, ut judicium videretur relinquere lectori liberum, admonitum modo ab ſcriptore. Themiſtius quodam loco *furori ſimile eſſe* dicit, *ſi quis*

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſperet ſe ex Ariſtotelis ſcriptis ſententiam ejus penitus aſſequuturum. Idem ipſe Ariſtoteles ad Alexandrum ſcripſit, *neminem commentarios illos, quos Rex doleret in vulgum miſſos, intellecturum, niſi qui ab ſe domi audiviſſet*. Nec ſolum obſcuritas fuit in rebus ſenſorum, ſed etiam in verbis: affectavit enim quoddam dicendi genus preſſum & aſtrictum, Attico etiam brevius & contractius, ut interdum non tam eloqui videatur, quam res indicare: tum quod id viſum eſt aptiſſimum ad occultandas ſententias animi, tum quod in tradendis artibus non exiſtimavit multis verbis oncrandum eſſe diſcipulum, ita ut plerunque, non tam ſint ejus verba intelligenda, quam nutus interpretandi. Et hic tam in ſua illa naturali lingua obſcurus & reconditus, in alienas linguas eſt ad philoſophiæ atque artium omnium cognitionem transfuſus, in Latinam, Arabicam, Chaldæam, non ab aliquo & linguæ ex qua verteret, & in quam verteret, peritiſſimo, qui ſententias commode annumeraret, non verba; ſed vel a pueris, vel a ſuperſtitioſis, vel ab imperitis, qui verbum verbo reddiderunt; tum phraſes, & ſchemata, & figuras omnes, quæ erant in Græco ſermone elegantiſſimæ atque aptiſſimæ, ad Latinum, aut Arabicum, invitas ac repugnantes pertraxerunt, ut nemo eſſet, qui linguam ſuam patriam ſic involutam ac perverſam agnoſceret aut intelligeret; tum multa non aſſequuti, pro captu ſuo tranſtulere, ut non jam cognoſcendam haberent Ariſtotelis mentem ſed interpretis; & clamores, tumultus, tragœdiæ, quæ de intelligentia dicti cujuſquam Ariſtotelis excitarentur, non de illius eſſent, ſed interpretis ſenſu. Neque vero ab illis ineptiſſimis ad transferendum verſus, ſed ab eruditis etiam: qualis olim fuit Boethus, priore ſeculo, & patrum memoria Hermolaus Barbarus, Argyropylus, Trapezuntius, & paulo antea Leonardus. Taceo de Gaza, propter libros animalium, qui ſunt explicatiores. Sed in his libris, in quibus de artibus præcipit, non potuit vires illas ſuæ linguæ conſervare; ut plerunque non quiverit ad nos pertrahi verbulum aliquod, aut dicendi ratio & phraſis, in qua ſitum eſſet univerſum robur ſententiæ. Quo fit ut melius vel a mediocriter Græce docto, in Lingua illa ſua intelligatur, quam a Latiniſſimo, in Latina.

Ad

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Ad conſultam illam obſcuritatem acceſſit alia fortuita, quod Ariſtotelis libri cum tota Theophaſtri bibliotheca, ſicut Strabo, Plutarchus & Diogenes perhibent, ad Nelium quendam Scepſium hæreditate pervenerunt, hominem literarum penitus ignarum : hinc ad Appelliconem Tejum devoluti, exeſis codicibus locis aliquot, & confuſis. De Appellicone Dictator Sylla emit, & Tyrannionem adhibuit grammaticum, qui volumina in ordinem redigeret. Hic ut par eſt, in multis ſequutus eſt judicium ſuum, interdum non aſſequutus. Andronicus Rhodius evulgavit libros. De multis eorum librorum venit in controverſiam, eſſent ne Ariſtotelis : ut de Prædicamentis, de quibus Boethus diſputat. De Analyticis quadraginta volumina ſcribit Johannes Philoponus reperta eſſe in vetuſtis bibliothecis : ex ſtylo & differendi acumine hæc quatuor Ariſtoteli eſſe adjudicata, quæ nunc ſunt in manibus. Quis poſſet bene ſequi ducem, tam obſcure admonentem?

Nec ſolum inviderunt nobis lucem ſuam, ſed etiam alienam. Vel non admonendo ubi poſſent juvare, & quaſi perferendo ad nos voces, quas priores duces ediderant, ſed quæ quum ad nos perveniſſent, nimis jam eſſent tenues atque exiles : vel obruendo, umbris atque obſcuritate, diſſimularunt multa aliorum inventa, ut ſua in illorum locum reponerent; quum potuiſſent, ſi quid habebant difficultatis, faciliora ad poſteros, atque explicatiora tradere. Nam non aliter quam, qui voces e proximo audiunt, promptius eas intelligunt, quam qui procul : ita proximi inventoribus, aut alioqui ſcriptoribus quibuſcunque melius capiunt quæ dicunt, ſive quod res illa ætate ſunt cognitæ, & verba, & loquendi tota ratio, figuræ, alluſiones, proverbia, ſententiolæ, ſive quod concipiendi, & explicandi ratio fere ſua eſt cuique ætati, & iis omnibus, qui in ea vivunt, communis. Quotuſquiſque, ut de aliis taceam, intelligit orationes & epiſtolas Ciceronis, præſertim ad Atticum? equidem haud ſcio an omnino ullus : quas omnes belle intelligeremus, ſi eas Aſconius aliquis eſſet interpretatus, aut quiſpiam ævi illius homo eruditus. Sic philoſophorum doctrinas & placita, diſcipuli aut certe illorum ætatibus vicini, dilucida ad nos tranſmiſiſſent, ſi voluiſſent, ſed multo aliter animum induxerunt. Nam fue-

re

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

re, qui ſilentio præterirent; quod utique viſum eſt modeſtiſſimum præ eo, quod alii fecerunt, qui perſtrinxerunt, carpſerunt, inverterunt prorſus. Stoici Peripatetici, Peripatetica, Platonica & Pythagorica: Epicurei, Stoica: ita ſectæ invicem momorderunt, ac dilacerarunt. Inter quas contentiones & pugnas de gloriola, periit lectori fructus magnorum inventorum, quæ potuiſſent cum utilitate poſterorum relinquere, ſi non maluiſſent ea frangere, quam inflectere: nam fortaſſis leniter detorquendo ad veritatem deduxiſſent. Sed illorum monimenta tempus conſumpſit edax rerum. Ariſtoteles noſter utinam in gloria expetenda fuiſſet paulo moderatior, quæ illi haud dubia contigiſſet ampliſſima, qui inventorum diligentia & acumine, priores omnes longe antecedebat, potuiſſet nobis relinquere multa a priſcis ſapientiæ ſtudioſis acute ac prudenter excogitata. Sed ille, ut indefeſſo illo ſuo ſtudio omnes quotquot ante ſe aliquid ſcripſerant, evolverat, legerat, excuſſerat: ita neminem præterivit, quem non carperet; ratus tantum in ſe derivaturum gloriæ, quantum aliis omnibus ademiſſet, tanquam ſublimior eſſet cæteris, acutiuſque ac longius proſpiceret. Carpit quidem plerunque, merito; in quo ingentem meretur laudem, quod falſas aliorum opinationes tanquam periculoſa loca indicarit. Sed nonnunquam affectate: interdum non citra calumniam, in quo eum multi inceſſerunt. Nam veteres, quum viderent rerum vocabula, quæ in promiſcuo eſſent uſu, parum congruere ad ea quæ ipſi accuratiore naturæ inquiſitione eruiſſent, vel ipſi ſua ſibi finxerunt verba vel in communibus uſi ſunt longiſſimis ac reconditiſſimis alluſionibus ac metaphoris, nonnunquam id conſulto faciebant, quemadmodum dixi, ut cognitione rerum maximarum indignos prohiberent. Ariſtoteles ad eorum ſententiam in alieniſſimam opinionem detorquendam, vulgari eſt abuſus ſignificatione, ut eos conſenſu populi premeret, & quaſi publico præjudicio condemnaret: ut de ideis, & motu animæ, contra Platonem; de unitate entium, contra Parmenidem. Ea res non ſolum veras antiquorum ſententias nobis ademit; quæ fortaſſis jactura fuiſſet tolerabilis: verum quod eſt gravius, Ariſtotelem nobis timidiorem effecit ad eloquendum quæ ſentiret, reputantem ſcilicet quod eſt in mimo: *Ab alio*

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

alio expectes, alteri quod feceris. Quid quod priores, quibus nos ducendos penitus commisimus, ipsi sunt sæpe numero falsi, ut falli nos quoque, qui sequeremur, fuerit necesse? Primum non pauci eorum fuerunt ingenio haud satis acuto ad inspiciendas res tot involucris contectas: aliis res novas, & quasi tum primum nascentes contemplari potuerunt magis quam censere, ita ut in plerisque judicandi facultatem longa admiratio consumserit, sicut in spectaculo, magno, raro, admirabili, usu venit, ut antea subducatur, quam spectatores potuerint assequi, & statuere, quid rei fuerit aut cujusmodi. Adde quod rationes quædam, & argumenta, quæ sequebantur, aliis mediocria, & utcunque probabilia, ad persuasionem rerum maximarum atque abstrusarum suffecerunt; aliis indigna sunt visa, a quibus moverentur, ut alii plus valuerint ingenio, & instructiores fuerunt a dialectica: vel naturæ, vel artis, atque studii beneficio accepta. Neque enim dici potest, quos errores in se admiserint veteres philosophi, ducti levissimis argumentis, quod rationem atque artem colligendi ignorarent: Cujusmodi sunt ea, propter quæ Epicurus, asseruit *voluptatem esse summum bonum*, Anaxagoras, *omnia esse in omnibus*; & alia, quæ passim sunt obvia iis, qui antiquorum legunt placita.

Acutum ingenium, nisi dexteritate quadam regatur, & acrimonia judicii in colligendo: non aliud est quam sagax quidam canis, sed venationi parum assuetus, qui hac & illac temere ingreditur, & feram, qua minime oportet, persequitur. Damnem ego illos, quod aliquoties lapsi fuerint? Equidem non magis, quam si quis maximo labore vel fontes invenerit vulgo necessarios, vel metalla multa eruerit, non tamen repurgarit. Non possunt multa simul proferri & expoliri: non potest unum aliquod diu quæsitum, ab eodem inveniri & excoli: non sufficit tot rebus vita; non humani ingenii vis brevis & infirma. *Beatus ille*, inquit, *Plato*, *cui vel in senectute datum est*, *ut veras de rebus habeat opiniones*. Quod si tam sera ætas ad aliquid est rectius sapiendum expectanda: fœtus hi senibus jam nascuntur patribus, ut educare eos atque instituere non queant. Ego, quum Aristotelem tam multa in lucem protulisse video, nonnulla vero parum ex-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

exculta atque expurgata, non aliter eum admiror, quam diligentem aliquem auri atque argenti effoſſorem, qui maſſas ingentes magna vi brachiorum eruerit e venis terræ. Ignoſco autem, quod homo unus non omnia tam multa, tam varia, tam difficilia, quæ eruerat, coxerit ac repurgarit: non poteſt obire unus, quæ vix centum præſtiterint. Multo minus miror Ariſtotelem contraria interdum ſentire: ut de videndi ratione; qui, in libris de anima, intro nos dicat admittere, in problematis foras mittere. De commiſtione prædicamentorum miſta eſſe in in Categoriis fatetur, in Topicis negat. Dialecticam, alibi ait materiam habere propriam: alibi nullam. Mireris tu in tanta varietate rerum, aliquid eſſe viſum uno tempore, quod non alio? Quis eſt, cui non id quotidie contingat in plurimis? Ulyſſes apud Homerum *mutari* ait *hominum animos quotidie cum Sole*. Cicero *ſe in diem ait vivere, & quicquid aliquo tempore animum probabilitate percuſſerit, id affirmare. Itaque negat ſecum oportere agi tabulis obſignatis*. Dominus noſter, autor noſtrorum animorum, non ſolum in dies mutari nos dicit, ſed etiam in horas: *Nonne*, inquit, *duodecim horæ ſunt in die?* Quæ ſunt a me dicta, ne quis putet vel me male de Ariſtotelis ingenio & doctrina ſentire propter lapſus aliquot, quum labi ſit fere proprium mortalitatis noſtræ; vel autorem eſſe cuiquam, ut tantæ magnitudini inventorum, tantæ utilitati ac beneficio artium ac diſciplinarum omnium, ſit ingratus propter aliqua minus accurate ab illo, ut puto, expenſa, aut fortaſſe a nobiſipſis: quod idem velim exiſtimari eſſe a me dictum de quocunque magnæ notæ ſcriptore. Jam multos, qui acie ingeniorum ſatis erant inſtructi, piguit in fulgorem veritatis intente aſpicere: eos, qui dicebantur aſpexiſſe, ſunt ſequuti. Inde errores priorum traditi ad poſteros, & confirmati; dum tantis de rebus malunt aliis poſteriores credere, quam ipſi judicare. Quod vitium non ſolum eſt in nuperrimis, ſed in antiquis etiam. Plinio, Cicerone, Ariſtotele ipſo: hæc enim eſt non exigua cauſa, cur interdum acutiſſimus ſcriptor affirmat pugnantia, ſequutus videlicet variorum opiniones. Nam quæ uſu ſemel ſunt recepta & confirmata, ita fiunt ſancta & fixa, ut nefas exiſtimetur ab eis diſce-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſcedere ; autoritatem illis pene inviolabilem conſuetudo tribuit , ut multi in præceptis artium perhibendis , non in ipſam veritatis faciem direxerint obtutum , ſed uſui ſe tanquam optimo duci & peritiſſimo magiſtro commiſerint; etiam in iis , quorum uſus non eſt dominus : eum ſi explicuiſſent , & in canones redegiſſent , belliſſime ſe perfunctos opinabantur præcipiendi munere ; quod Ariſtoteli in arte rhetorica contigit , & poetica . Quas artes non videtur mihi tantus artifex ad examen illud judicii & rationis exemplis relictis accommodaſſe , ad quod alia erat ſolitus : ſed uſu , & recepta conſuetudine adductum , illam expoſuiſſe pro formulis artis . In eodem poeticæ argumento Horatius , quæ recepta eſſent , præſcribit . Hieronymus. Vidas , noſtræ ætatis , ſcripſit carmen excultum ſane , & mire Virgilianum , de poetica ; in quo ſatis habuit Homeri ac Virgilii virtutes percenſuiſſe ac declaraſſe , eaſque pro abſolutis artis præceptionibus tradidiſſe . Cicero leges & rempublicam inſtituens , civitatem Romanam pro exemplari propoſuit , ad quod ſe populi omnes fingerent ac formarent . Nec ſaltem in re tanta & tam præclara cogitare voluit , quod ipſe idem ſe in perquirenda optimæ ac præſtantiſſimæ eloquentiæ ratione feciſſe teſtatur : *ut non eam qualis aliquando in eloquentiſſimo fuiſſet homine quæreret , ſed qualem eſſe oporteret , quæ fortaſſis in nullo unquam mortalium fuiſſet , ut non in alicujus hominis intueretur eloquentiam , dum de illa ſcriberet , ſed in ſpeciem perfectæ eloquentiæ , quam Plato Ideam appellat* . Quod ſi hoc faciendum cenſuit in eloquentia , & verbis , quæ ab uſu peti ſolent , quanto erat magis elaborandum in legibus , & republica , quæ uſu depravari ſolent , non adjuvari ? Ea credulitas receptorum , quum in priſcis illis fuerit ; quantam in recentioribus eſſe oportet , qui ſibi ipſi diffiſi , grande ſunt rati nefas a majorum placitis deflectere vel latum unguem? Itaque quum non minus naturæ benignitas mente illos , ingenio , judicio donaſſet ; ipſi tamen amiſerunt judicandi de viribus ductorum facultatem , partim a rebus ipſi ſublatam , partim ab ipſis eiſdem iniqua ſui damnatione abjectam ; celerrima deſperatione ſui , quum quantum poſſent ac valerent , nunquam periculum feciſſent. Itaque videas Theologos omnes ſcholæ,

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

læ, Thomam, Scotum, Ochamum, Holcotum, Gregorium Ariminenſem, Petrum Haliacenſem, & alios, quum quid de lumine naturæ quærunt, Ariſtotelis adducentes placita pro culmine, ad quod pervenire poteſt homo naturæ luce adjutus, quaſi altius nullum ingenium nulla in re poſſit aſcendere, quam quo ille pervenit.

Ad hæc, tot ſeſe nobis obtulerunt duces: tot ſunt nos, ut ſequeremur ſe unos, adhortati, & alios ut omnes vitaremus tanquam in perniciem ducturos, & quidem probabili pro ſua parte ratione oſtenſa: ut proficiſentis animus inter tot Mercurios ac viarum indices tam varios, atque inter ſe diſcordes conſtitutus, hæſerit, cui pareret potiſſimum ignarus; & inter tot voces in diverſa trahentium, qui judicare vel neſcit, vel non vult, ſequitur aut ſuaviſſimam, nempe captus eloquentia; aut eam quæ ad congruentem cupiditati ſuæ finem promittit ſe ducturam; vel quæ eſt ingenio ſuo convenientiſſima. Infinita eſt ſcribentium turba: ingens, immenſus librorum numerus: neſcio cui me applicem, cui adjungam, præſertim quum nemo ſe audeat arbitrum offerre tantæ controverſiæ, ut legendos a non legendis judicio & ſententia ſua ſecernat, quin huic maxima ſit invidia & pene publicum odium ſubeundum: neque enim eſt ullus tam malus liber, qui alicui non placeat, tacita quadam congruentia ingeniorum ac cogitationum. Quumque tot eſſet notis ad diſtinctionem opus; nos tamen ita illorum veſtigiis adhærere atque inſiſtere decrevimus, ut nefas exiſtimemus ab illis vel pilum unum deflectere, ſive damnatione noſtrorum ingeniorum, ſive odio quærendi; quum & illi fuerint homines, ut nos, quorum eſt proprium falli & fallere; primique illi inventores velut rudes, modo quaſdam maſſas atque informes, ſicut dicebam, tradiderint poſteris ſuis expurgandas & formandas. Quid quod illi, qui in nos paterna fuerint benevolentia & caritate noluiſſent nos ita deſpondere animos ut nihil ſupra ſe quæreremus? Et qui ex illis fuerunt boni viri, haud dubie manum quoque illis porrexerunt, quos altius videbant aſcenſuros, quam quo ipſi perveniſſent: hoc enim judicabant e re eſſe generis humani, ut in dies artibus, diſciplinis virtute ac probitate proficeret. Nos vero, homines eſſe noſipſos arbitramur,

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

mur, aut etiam minus; illos, plus quam homines, heroes ſcilicet aut ſemideos. Non quin illi multa & magna nobis præſtiterint, ſed & nos non parum noſtris minoribus poſſemus præſtare, ſi anniteremur; aut plus etiam quam illi, adjuti illorum inventis, adhibito noſtro judicio. Falſa eſt enim atque inepta illa quorundam ſimilitudo, quam multi tanquam acutiſſimam, atque appoſitiſſimam excipiunt; *nos ad priores collatos, eſſe ut nanos in humeris gigantum*. Non eſt ita: neque nos ſumus nani, nec illi homines gigantes: ſed omnes ejuſdem ſtaturæ, & quidem nos altius evecti illorum beneficio; maneat modo in nobis, quod in illis, ſtudium, attentio animi, vigilantia, & amor veri; quæ ſi abſint, jam non nani ſumus, nec in gigantum humeris ſedemus, ſed homines juſtæ magnitudinis, humi proſtrati. Ergo diffiſi nobis, & clauſis oculis, nos alicui commiſimus, quem belle atque acute cernere crederemus; non optimo duci quem elegimus, ſed primo ad quem nos applicavit ſors. Id cupiunt ductores pravi, gloriæ ſuæ magis avidi, quam veritatis, ut res in ſtudia & ſectas ſcindatur; ut quod impetrare non poſſunt bonis artibus, extorqueant diſſenſione, ac velut civili bello. Nullum eſt tam incorruptum diſciplinæ genus, in quo non ſint partes ac factiones, etiam in ipſa Theologia, ubi minime congruebat. In diſciplinis omnibus paſſim ſcribunt & docent, periti, imperiti, boni, mali. Unuſquiſque conſtantiſſime defendit ſua, nec eſt ulla adeo abſurda atque infelix ſecta, quæ non ſuos invenerit adjuratos. Deducitur ad ſcholam filius ab indocto patre: quantæ felicitatis eſt non incidere in malum ac imperitum doctorem, quum ejuſmodi ſint plena omnia! Quid aliud eſt tum patri faciendum, quam ſuſcipere vota pro inſtitutione ſui filii? Venit eo adoleſcens novus, rudis omnium: imbuitur ſtatim ſectæ placitis: recipit, aſſentitur, afficitur prius, quam poſſit judicare: audit dici omnia conſtantiſſime a præceptore, ingenti aſſeveratione vultus, ſupercilii ſententiæ; videt recipi omnia magno conſenſu atque admiratione a condiſcipulis: credit eſſe mera oracula; ita haurit tanquam certiſſima & indubitata, tanquam illa, quæ prima principia nominantur. Quare de motu, de tempore, de his quæ ſunt in anima, de con-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

conſtitutione corporum, denique de rebus incompertiſſimis, omnia ingenti aſſeveratione confirmantur: ut ſi quis vel ambigat, non ſecus putent contra hunc non eſſe diſputandum, quam ſi negaverit, unumquenque eſſe aut non eſſe. Non ſolum ita ſe his addicit & mancipat, ut ea modo cenſeat eſſe veriſſima, ſed ut alia cujuſcunque modi habeat ſuſpecta: adeo judicio ſe ſpoliat præcipuo, non ſolum in tractandis artibus bono, ſed in tota vita facultate inquirendæ veritatis aptiſſima. Multi eorum ne poſſunt quidem a receptis ſemel diſcedere, quum alia penitus nec legerint, nec audierint; ignari, ſint ne aliqua ſuis vel meliora, vel pejora: ut qui non credunt aliam eſſe Dialecticam, aliam Theologiam, quam cui ipſi ſunt dediti: quod mihi Lutetiæ, & aliis pleriſque meis condiſcipulis contigiſſe memini. Qui vero legunt, quæ aliena ſunt a ſuis, alii, decurſa jam ætate nequeunt diſcere, & pudet *quæ juvenes didicere, ſenes perdenda fateri*, ut inquit Poeta; alii quum ſint penitus in jure, ac mancipio contrariæ opinionis, tanquam vana, abſona, ſtulta reſpuunt atque aſpernantur. Sin ſcriptoris nomen autoritatem tuetur, omnia ad ſua dogmata detorquent, ut ſua videatur dicere, etiam quum diverſiſſima loquitur, &, tanquam in civili diſcordia, utraque pars trahit quæcunque quacunque poteſt ratione, ad favorem ſectæ, ad lædendum adverſarium. In quo ardentiſſima fuit Græcorum levitas, ſed nos illis hac in parte graviores non ſumus. Quæcunque a receptis diſcrepant, exploſa, exibilata ſunt, velut inſaniæ & furoris plena, nec cognita, nec audita; tantum ex ſuſpicione, quod cum ſuis non conſentirent. Nunc quæcunque ab ſcholæ placitis diſſident, ſcholaſtico theologo ſunt hæretica: quod crimen ita vulgatum eſt, ut rebus quoque leviſſimis impingatur, quum ſit ipſum per ſe atrociſſimum. Idem inter ſe facerent Thomæ addictus, de Scotico; hic viciſſim, de illo: niſi quod ſcholæ aſſuefactio, in qua perſonant variæ ſcholaſticorum ſententiæ, audiendi ſenſum mitigaſſe, ac emolliviſſe animum videtur. Nam qui ſua non ſunt cœnobia egreſſi, plane iſti quicquid non eſt ex præceptis ſectæ, refugiunt tanquam venena, & illico errorem clamant. Nec tam pertinaciter principes opinionum, quamlibet obſtinati, pro ſuis inventis depugnaſ-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

gnaſſent, quam iſti pro placito alieno. Sed fortaſſis in quibuſdam foret tolerabile, ſi non in progreſſu corruptiora eſſent, quam in prima origine. Verum exercitatio ingeniorum, & ſemper in eiſdem jam ab initio lapſis & corruptis, longiſſime rem a recta via abduxit, quum ipſi monitis melioribus ingreſſus omnes præcluſiſſent. Ah quanto ſe fructu diſciplinarum fraudant, quod ſemper aliis credunt, nunquam ad ſe ipſi revertuntur, nec ſe vocant in conſilium ut examinent cujuſmodi ſint, quæ tanta cura addiſcunt. Et eorum qui ſeſe ac ingenia ſua certis ſcriptorum generibus, ceu in ſervitutem tradidere; alii ita ſunt recentes, ut veteres omnes ne de nomine quidem norint (partim non intellecturi ſi eos adirent, partim quod exactiora omnia apud novos eſſe credant, partim quod occupatis incredibili novorum longitudine nunquam ad priores illos caput vacet attollere:) alii novitatem omnem aſpernati, ita veteribus adhærent, ut ſi neotericum attingant, metus ſit ne contaminentur.

Verum permultum refert, quos veteres, quos novos eſſe arbitrere. Si illi, qui artes diſciplinaſque & invenerunt, & auxerunt, ſunt antiqui, novi vero, qui vel corruperunt artes vel corrumpentibus accomodarunt ſuas manus, plane vel umbilicos illorum antiquorum malim, quam verboſiſſima recentium monimenta. Sin tu *ad faſtos redis, & virtutem æſtimas annis*, quemadmodum ille dicit, ut quanto ſit quiſque vetuſtior, hoc apud te ſit nominis ac fidei potioris, quid, an non Ariſtoteles Anaxagora poſterior: & Cicero, M. Catone: & Demoſthenes, Pericle: & Vergilius, Ennio? At poſteriores iſtos antiquarii homines prioribus illis longe anteponunt. Hi quoque non exigua ſane eruditioni ſuæ incrementa detrahunt, & judicium debilitant ac frangunt. Primum, ita addicti & mancipati ſunt veteribus, ut quicquid non putent vetus eſſe, continuo damnent inauditum, incognitum, etiam ſi maxime ſit vetus, modo recens credant; ut recentia, ſi exiſtiment eſſe vetera, adorent: neque enim judicio adducuntur, ſed ſolo nomine. Vidi qui verſiculos hominis viventis, quod in pervetere bibliotheca reperti eſſent pulvere obſiti, ac jam fere exeſi tineis, aperto capite veneratus ſit, tanquam Virgilianos, aut alicujus ævi il-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

illius : & alius Ciceronis epiſtolam , cui conſulto nomen erat præpoſitum Gallicum , magno faſtidio aſpernatus eſt, addito etiam convitio barbariæ Tranſalpinæ . At, inquiunt , progreſſæ ſunt aliquouſque artes , inde decideruut ; eos qui in faſtigio artium ſcripſerunt , ſolos terimus manibus . Quî poſſunt de hoc cenſere , quum alios nefas eſſe putent attingere? Equidem haud abnuerim magnum in priſcis illis hominibus ingenium fuiſſe , multum uſum , ac diligentiam circa res eruendas , & tradendas iluſtriores poſteris . Sed male de natura cenſet , quicunque uno illam , aut altero partu , effœtam eſſe arbitratur . Cur ſe non putent aliquid excuſſuros , ſi annitantur? quum nulla ſit tam facilis atque humilis ars , in qua non infinita occulantur , quæ poſſint multa ingenia diutiſſime exercere . Et recentiores haud ſane pauca excuderunt , nonnunquam acutius , ſæpe etiam verius : quod illi varietate rerum diſtracti , aliquas parum exacte curarunt cognoſcere , uſus docuit aliter eſſe , quod Hippocrati , Ariſtoteli , Plinio , & aliis ejus notæ , uſu venit . Videre eſt in Ariſtotele , ut de illuſtriſſimo ac certiſſimo ſcriptore potiſſimum loquar : in eo , inquam , ſunt quædam dogmata in multis quidem certa , ſed ſæpe parum ſolida & catholica . Ut quum dicit : *Si eſt aliqua propria animæ operatio ſive phantaſia , contingit eam ſeparari a corpore : ſi non eſt , non contingit* . Ceu quis dicat : *Si clauſus in hoc cubiculo poteſt aliter quam per vitream feneſtram lumen aſpicere , poteſt e cubiculo exire : ſi non poteſt , nec e cubiculo exire . Aut : quod principia rerum naturalium ſint contraria* . Non nego , quin dogmata ejus omnia poſſint a pertinace defendi , vel centum cuneolis infractis ut fulciantur , inverſis , detortis , mutatis multis mille interpretatiunculis . Sed certe contradictioni ſunt expoſita , quæ ingenia torquet , non inſtituit . Et certe , quod eſt mirabilius , ex his tam incertis , & male firmis dogmatibus impugnat ſuos adverſarios , ut Parmenidem , & Meliſſum , ex ſua ſectione prædicamentorum , ex ſuo ente ſimplici , & ambiguo . Nec eſt , quod cuiquam abſurdum videatur , priſcos illos parum interdum firma pronuntiata univerſalia adferre . Univerſale enim pronuntiatum ex multis ſingularibus oportet naſci , bene obſervatis . An vero mirandum

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

dum eſt, ſi quæ erant tam varia in natura rerum, quæ mutarentur regionibus, quæ temporibus, ipſi univerſaliter affirmando, nova, & tum primum ab eis animadverſa, ſint falſi? ut quod Ariſtoteles dicit in primo de animalibus, *cui crura ſint gracilia, & brachia eſſe gracilia*: cujus contrarium videmus in hac Belgica, in qua homines multi vix habent ſuras; brachia tamen ſucci plena & bene habita. Quæ de Italia aut Græcia præcipiunt, parum congruunt aliis locis ac regionibus; nec ipſis etiam eiſdem in quibus ſcripſerunt, videlicet, vel ratione vitæ mutata, vel ingenio loci. Quis jam ad Vitruvii normam ædificat? Quis ex præſcripto Galeni cænat? Quis ex Varronis aut Columellæ præceptis arat? Multa illo traduntur ſeculo, quorum contraria nunc experimur in cœlo, in terra, in elementis: ut de habitatione ſub zona torrida, de ortu Nili, de Antipodibus; tum in ſtirpibus, in animantibus, in frugibus. Perſica poma ſcribit Plinius, quæ Romæ naſcerentur, eſſe noxia; nunc ſunt in deliciis. Ubi ſunt *oves illæ Beticæ, tinctæ*, ut Martialis inquit, *colore nativo?* Ita iſtis, qui vetera modo perſequuntur, uſu venit, ut quo ſeculo & inter quos vivant homines ignorent: adeo in priſcis familiariter verſantur, ut, *domi*, quod dicitur, *& inter ſuos peregrini ſint*. Ignorant mores atque eruditionem ſuorum temporum, & oderunt. Quanquam iidem iſti antiquarii ſua vellent eſſe in pretio, & legi, & manibus teri, quantumlibet annicula. Et affectus in re omni tantopere dominantur, ut etiam gentes ac nationes ſpectent: non probo hunc, quia non hujus aut illius regionis; quaſi ingenia poma ſint, aut vina, quæ ſolo & regionibus cenſeri ſolent. Ubique bona naſcuntur ingenia, excolantur modo: alibi fortaſſis frequentiora, ſed ubique nonnulla. Verum iſti ne ſuis quidem terris ac civitatibus parcunt, quo appareat non tam eos judicare, quam invidere. Putant maledicendo, & contemptus ſpecie affecuturos ſe, ut illis, quos deſpexerint, anteponantur. Sed non idem eſt maledicere, & vincere: deſpicere, & antecellere. Non modo qui incorrupte æſtimant, intelligunt quorſum calumnia pertineat; ſed qui eodem quoque morbi genere tentantur, non æque aliorum malæ cauſæ favent, ut ſuæ malæ; videlicet quod

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſuperbus aut invidus, non perinde in alienis eſt cæcus, ut in ſuis; quin potius vitia, quæ in ſe non cernit, acutiſſime in aliis intuetur, & carpit. Sed eſto, ſequamur majores noſtros per omnia, & in illorum veſtigiis nos quoque pedes noſtros figamus, ut pueri faciunt per luſum. Qui tamen ſint hi majores noſtri, aut quæ illorum voces, ignoramus.

Primum amiſſa eſt Grammaticorum criſis, & quaſi publica poteſtas de libris cenſendi. Olim enim Grammatici magna & late patenti eruditione per omnia ſcriptorum genera diligenter verſati, non dicta ſolum, verum etiam integros libros, ut eſt apud Quintilianum, cenſebant, eſſentne, cujus *inſcriberentur* autoris: aut, ſi ejus non eſſent, ex phraſi & filo orationis, ex differendi ratione, cui aſſignandi eſſent, judicabant. Nunc vero, quia & grammatici ſe in tenebras quaſdam priſtini abdiderunt, & grammaticam profeſſores majorum artium contubernio ſuo expulerunt, *tanquam cornices columbam*, ut eſt in fabula; idcirco non modo dicta & ſenſa inepta ac ſtulta, ſed ſordidiſſima quoque & abjectiſſima opera, genti ac familiæ clariſſimorum autorum ſupponuntur. Adſcripta ſunt Ariſtoteli, Platoni, Origeni, Cypriano, Hieronymo, Auguſtino, Boetho, Ciceroni, Senecæ, quæ ipſis nunquam ne per quietem quidem in mentem venerant; indigna non ſolum tantis ingeniis atque illa eruditione, ſed etiam eorum ſervis, ſi quos Scythas habuerunt, aut Seres. Fuere, qui ad conciliandam libro autoritatem, nomen magni autoris adſcriberent; alii, quum multi olim libri anonymi ederentur, leviſſima aliqua adducti conjectura, huic aut illi adjudicabant; alii, ſi tituli nomen non agnoſcebant, nihil dubitarunt mutare, & ad quemcunque eſſet viſum, transferre: fuere deſcriptores, qui quod nomen primum menti occurreret, id præponerent pro titulo. Horum omnium exempla ſunt non pauca, in iis autoribus quos modo nominavi: & hæc omnia ſine diſcrimine recepta, & autoritas eis ac fides non minor, quam veris illis & germanis præbita.

Jam vero & codices ad nos venerunt mendoſiſſimi, ut quæ illorum fuerit mens, quæ ſententia de rebus, non liqueat. Alias corrupti ſunt codices caſu aliquo, ut ferunt

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

runt ſacros libros, qui a Septuaginta verſi ſunt in Græcum, pugione fuiſſe perfoſſos, ut quædam verba legi nullo modo potuerint. Et libri Ariſtotelis, ac Theophraſti, ut dudum dixi, tineis, & blattis exeſi reperti ſunt: & erant quidem illa tum autographa, ex quibus alii codices dimanabant. In aliis, ſitu & pulvere quædam ſunt obſcurata; in aliis, literæ vetuſtate exoleverunt. Sed enim vero in deſcribentibus maxima hæſit culpa. Fuerunt ſemper librarii, homines fere imperiti, qui libris tranſcribendis tenuitatem ſuam ſubſtentarent; non raro etiam mulieres & ſacræ virgines; qui ſi vel minimum cogitationem alio divertiſſent, mendum inducebant unum atque alterum, immo permulta penitus inextricabilia. Ea in plurimos codices transfundebantur, qui ex codice illo excribebantur velut ab exemplari: quod nunc crebius fit in libris ære impreſſis, in quibus nullum eſt mendum, quod non in mille codicibus inſidere ſit neceſſe. Interdum qui ſcribebant, neſciebant legere, confundebant omnia, ut compoſitio eſſet literarum & verborum, contextus conjecturis inveſtigandus. Quæ vero ſemel mendæ irrepſerant, religio erat attingere, ac demutare: velut in myſticis libris inductus fuerat a librario illiteratiſſimo error; ad eum corrigendum putabant opus eſſe conſilio totius eccleſiæ, quantumlibet lapſus eſſet dilucidus, & vel pueris perſpicuus. In aliis ſcriptoribus, non ſolum librarii errata perſequebantur ſemidocti: ſed etiam probe ſcripta, quæ ipſi non caperent. Itaque depravarunt rectos ſenſus: & pro errato uno, quod conabantur expungere, aſpergebant quatuor. Videmus, ut quiſque veterum ſcriptorum his quingentis annis in ſtudioſorum manibus verſatus eſt, ita ad nos veniſſe corruptiſſimum, ut Plinium, Senecam, Hieronymum, Auguſtinum, Ariſtotelem: puriores ſunt atque integriores, qui in vetuſtis bibliothecis, ſitu & pulvere latuerunt obſeſſi: & apud barbaros atque imperitas gentes, quam ubi viguerunt ſtudia, quod, ut illos non attigerunt homines imperiti prorſum ac rudes; ita datum eſt eis ſciolorum audaciam ope fuarum latebrarum ſubterfugere, qui (ſicut eſt apud Quintilianum) *dum librariorum inſectantur inſcitiam, produnt ſuam*. Jam ætate ſua Cicero conqueritur, Græcos quam Latinos libros eſſe emendatiores:

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

quippe quod indocti homines magis in Latinis verſarentur quam Græcis . At vero , qui in locum mendoſum incidit , non hæret ; nihil cunctatur , ſed ſomnium aliquod comminiſcitur , quod affirmet ſcriptoris eſſe ſenſum purum putum . Unde miræ in enarrationibus ſcriptorum ineptiæ , & hæ tempore ac ætate auctæ : quæ moles ſomniorum ac umbrarum , admota , qua locus illuſtraretur , lucerna quamlibet tenui , protinus evaneſceret . Quid quod nec audiunt eos , quos ſe dicunt habere duces , quid dicant aut quomodo ? & quum multos habeant , quos quibus anteponi oporteat , neſciunt , & qua de cauſa , ut qui ſe veteres profitentur ſequi , nec qui ſint veteres norint , nec qua quiſque autoritate & fide . Nam primum , inſcii temporum & rerum geſtarum non conſiderant , quæ ſunt in quoque ſcriptore potiſſimum conſideranda , quibus temporibus vixerit , cujus opinionis de rebus , cujus ſectæ , qua autoritate , quomodo ſcripſerit , qua dicendi ſit uſus ratione , qua lingua ; ſentiat omnia , quæ ſcribit , ita eſſe , an varias inducat perſonas , & qua potiſſimum ſignificet mentem animi ſui , quo loco dicat , quo tempore , apud quos , joco , an ſerio : nam ſunt hæc omnia ſpectanda , ut eliciatur , quæ ſit cujuſque mens . Iſti vero nihil animadvertunt horum .

Scriptores omnes vel æquales cenſent , vel etiam poſteriores fecerunt priores , ut Boethum Hieronymo , Hieronymum Ariſtotele , Jureconſultos Pandectarum Cicerone ac Ariſtotele . Quicquid a Terentio , aut aliis comicis vel tragicis , quicquid a Platone , a Cicerone , & ab aliis , qui dialogos ſcripſerunt , literis eſt mandatum , eam putaverunt eſſe autoris ſententiam , quacunque inducta perſona : nec ſaltem admoniti ſunt non ea Job ſentire , quæ loquebantur ſocii , nec Salomonem , aut Davidem , quæ perſona ſtultorum ac impiorum dicunt . Ejuſdem momenti ſunt iſtis , quæ Cicero in foro dicit , tempori ſerviens ac cauſæ ; ut quæ in officiis & cæteris libris philoſophicis , ubi veritas non ad populares ſenſus atque affectiones , ſed ad exactum rationis judicium elimatur . Jocans multa dicit Socrates , εἴρων in ſophiſtas : omnia ab iſtis accipiuntur ſerio . Si quid exempli cauſa dicitur , id judicant ab autore affirmari ; quod frequentiſſime in Ariſtotele faciunt . Quas Domi-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

minus noſter ad facilem mentis ſuæ explicationem parabolas uſurpat, iſti pro lege vitæ accipiunt; ſic debere nos agere, quia ſit in Evangelio. Novi, qui diceret, *de bello an ſit juſtum, diſputari non oportere, quod Dominus in Evangelio bellum approbarit. Quærenti, quo loco: reſponderit: in parabola de rege, qui bellum illaturus, reputat, quibus copiis poſſit rem gerere*: item *in illa de forti armato cuſtodiente atrium ſuum*. Quid non pervertant hujuſmodi judicia? His, Paulus, ſcripſit ad Romanos, Romane, ad Epheſios, Hebraice; Johannes Evangelium ſuum Hebraice: Hieronymus, Græce, & verſus eſt ab Eraſmo: Matthæus Latine: & ſi quis tentet corrigere, id vero nihil ſit aliud, quam profiteri ſe magiſtrum Spiritus Sancti: quam tragicis verbis puerilia? parem tribuerunt fidem omnibus. Dicat unuſquilibet de rebus Romanis aliquid, puta Vincentius, vel Antonius, vel qui confinxit geſta Romanorum moralizata: tantum apud iſtos nactus eſt fidei, quantum Livius aut Suetonius: dicat de Coſmographia; quantum Strabo aut Mela: de jure, quantum Ulpianus aut Papinianus: ſatis eſt eſſe ſcriptum; a quo, non putant referre: *alba linea ſunt omnes in albo ſaxo*. In Hiſpania puer audiebam, in fidem dicti alicujus, citari librum impreſſum: hoc locupletiſſimum erat teſtimonium. De moribus, de probitate, de religione loquuturi, tam graves autores eſſe Gentiles rentur, quam Chriſtianos. Paria ſunt, quæ Cicero, aut quæ Hieronymus vel Chryſoſtomus dixerit. Examinaturi dictum hominis Peripatetici, ſententiam hominis Stoici adferunt; aut de Stoico, Epicurei: non ut rationes conferant, ſed ut placita. Ibi ſudor & anhelitus in redigentis ad concordiam diſcordiſſimis. Dementes, non intelligunt eum, qui tam multos & tam diverſos ſequatur, nullum ſequi? Non deſunt, qui velint de iis, qui ſequendi ſint judicare, ſed omnia ex primo guſtu: ut, ſi in limine in unum aliquod prave dictum offenderint, rejiciant protinus & aſpernentur propter illud omnia; aut, ſi quod bene dictum viderint, omnia illius cauſa amplectantur & teneant: non aliter quam pueri, qui ſi ex ſcutella aliqua cibum aliquando ſuavem ederint, omnia in illa ſcutella putant futura talia; ſin inſuavem, omnia inſuavia: nec aliter de domo, de manu porrigentis ſta-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſtatuunt : ex uno aliquo irritatur , vel cupiditas ad omnia vel odium atque averſio . Quidam adeo ſunt in alios ſeveri , ſeu ſævi potius , ut omnia in unoquoque requirant exactiſſima , ne patiantur aliquando *Homerum dormitare* , ut eſt in proverbio . Non ſatis eſt bene eſſe opus , ac docte ſcriptum , de Philoſophia : pie de religione , ac ſobrie : hiſtoriolam , ſi qua forte admiſta eſt , expendunt , voculas & ſyllabas ad examen revocant . Non tuetur librum ampla rerum cognitio : ſi in re leviſſima ſcriptor fuerit negligentior , totum protinus opus rejiciunt & religio eſt attingere , ne contaminentur . In quo , & de ſe ipſi peſſime merentur , qui uberrimo ſe fraudant doctrinæ fructu : & de artibus , quas præjudicio ſuo iniquiſſimo illis orbant doctiſſimis ſcriptoribus , & tam bona peritiæ parte .

Diſputationes quoque non leviter exocularunt judicium : fuerunt quidem olim , ſed inter juvenes , inſtitutæ diſputationes , quo excitaretur vigor ille animi ſæpe torpens , & alacriores eſſent ad ſtudia , vel ut vincerent , vel ne vincerentur ; tum ut altius infigerentur , quæ a magiſtris accepiſſent . Inter viros aut natu grandiores fuit quædam opinionum ac rationum collatio , non ad victoriam intenta , ſed ad enucleandum verum . Nomen ipſum teſtatur *dici diſputationes , quod per eas veritas ceu putaretur , ac purgaretur* . Poſtea vero quam ab auditoribus profecta eſt laus & pretium ad eum , qui optime videretur ſenſiſſe , & ex laude ſæpenumero divitiæ ac opes , prava vel honoris vel pecuniæ cupiditas animos diſputantium invaſit , ut tanquam in pugna , ſola ſpectaretur victoria , non elucidatio veritatis ; ut & ipſi quicquid ſemel dixiſſent , ſtrenue tuerentur , & adverſarium proſternerent ac conculcarent . Humilibus & ſordidis ingeniis , quique dejecto capite hæc ſola intuerentur levia & momentanea , parum eſt viſum magnum pretium ab ſtudiis probitas aut veri intelligentia , quæ duo illi quod non ſatis acute cernerent , nec quantæ eſſent æſtimationis aſſequebantur , præſentem mercedem quæſierunt pecuniæ , vel auræ popularis . Ideo , quo majus eſſet operæ pretium , populum ad ſua certamina admiſerunt tanquam ſpectatores fabulæ in theatrum productæ ; tum , quod fieri ad conceſſum par erat , philo-

ſo-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſophus depoſita illa tam gravi & veneranda perſona, hiſtricam induit, ut commodius ſaltaret: factus eſt populus ſpectator, arbiter, judex; & quod non facit aulædus in ſcena, fecit philoſophus in ſchola, ut *tibias non ſibi & Muſis aptaret*, quod monet vetus magiſter, ſed omnino coronæ ac multitudini, a quo rediturus erat ad actores honor & quæſtus. Nihil opus fuit vera & ſolida doctrina non intellecturis, ſed fucus & pulvis ob oculos multitudinis objectus. Ergo indagandi veri una & ſimplex via eſt relicta: faciendi fuci apertæ ſexcentæ, qua quiſque, ut commodum ſibi eſſet, graſſaretur, præſertim quum nihil ſit tam deforme, quin amatorem inveniat. Nec ſolum in hanc opinionem populus cucurrit, finem diſcendi eſſe diſputare; ut militiæ, conflictum: verum publicus conſenſus permultos veteranos & quaſi triarios ſcholaſticæ militiæ rapuit (ſed qui ingenio, & judicio non plus valent quam plebs infima) ut ſupervacaneum eſſe ac ſtultum cenſeant, ſi quis ad mentem & mores & quietum illud inquirendi genus philoſophiam revocet; nullum eſſe alium ſtudiorum fructum, quam præſenti animo non cedere adverſario; intrepide eum vel aggredi, vel ſuſtinere, & callere, quo robore, qua arte, qua ſupplanatione ſit ſubvertendus. Ergo in re pulcherrima, & omnium præſtantiſſima, conſultum fuit ſtatim aſſuefacere puerum, & eum perpetuo exercere: altercandi ſtatim natis initium, finis nullus niſi cum morte. Puer, ad ſcholam deductus, primo conſeſtim die jubetur diſputare: & docetur jam rixari, quî fari nondum poteſt. Idem in Grammatica, in Poetis, in Hiſtoricis, in Dialectica, in Rhetorica, in omni prorſum diſciplina. Miretur aliquis, qui poſſint in rebus apertiſſimis, ſimpliciſſimis, primis? Nihil eſt tam liquidum, tam clarum, quod quæſtiuncula aliqua velut vento excitato non perturbent. Inertiſſimæ datur torpetudini, nihil invenire, etiam fulgore Solis, quod obſcures in rebus explicatiſſimis, quod involvas in duriſſimis ac inflexibilibus, quod plices & replices. Dicas vel hoc ſolum: ſcribe mihi, hic quæſtio; ſi non ex Grammatica, at ex Dialectica, ſi non ex Dialectica, at ex Phyſicis, qui motus ſit ſcribere: ex metaphyſicis, ſubſtans an inhærens. Atqui pueri iſti nunc audiunt prima Dialecticæ rudimenta, heri, aut nudiuſtertius

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

tius in ludum admiſſi. Sic ſunt tyrones iſti aſſuefaciendi, nunquam tacere, fortiter aſſeverare quicquid in buccam, ne quando videantur ceſſiſſe. Nec una diſputatio uno ſufficit die, aut gemina, ſicut refectio. Sub prandium altercantur, pranſi altercantur, ſub cœnam altercantur, cœnati altercantur. Agunt hæc, ut diſcant, an ut concoquant? Domi altercantur, foris altercantur. In convivio, in balneo, in vaporario, templo, urbe, agro, in publico, in privato, omni loco, omni tempore altercantur. Non toties ſub lenone rixantur meretriculæ, aut ſub laniſta dimicant gladiatores appetente munere, quoties iſti ſub magiſtro philoſophiæ. Populus, non ille moderatus & gravis, ſed levis, barbarus, bellax, hac velut pugnæ ſpecie mirifice delectatur. Ita ut ſint imperitiſſimi homines permulti, & omnis literaturæ penitus expertes, qui hanc ſpectaculi hujus voluptatem reliquis omnibus anteponant, & quo magis pugnam referant, dimicatione quadam utuntur agili ac veloci, & quaſi punctim feriunt, quo citius hoſtem ſuum conficiant: nec perpetua oratione aggrediuntur adverſarium, nec longiorem ejus ſermonem poſſunt pati. Si quid Paulo pluribus verbis dicat ſui explicandi gratia: clamant illico, *ad rem*, *ad rem*, *categorice reſpondeto*. In quo oſtendunt, quam inquietis ſint animis, ac levibus, qui ferre verba aliquot non poſſunt. Quî ferrent quatuor aut quinque horas perpetuas dicentem, interdum ſeptem, ut olim in Græcia & Romæ? In quo facile quivis cognoſcat patientiam & gravitatem illorum hominum, & noſtrorum levitatem. Quanta naſcitur hinc corruptela & moribus, & diſciplinis; inflammatis animis, & ad pertinaciam obfirmatis? Clamores primum ad ravim: hinc improbitas, ſannæ, minæ, convitia, dum luctantur, & uterque alterum tentat proſternere: conſumptis verbis venitur ad pugnos, ad veram luctam ex ficta & ſimulata. Quin etiam quæ contingunt in palæſtra, illic non deſunt; colaphi, alapæ, conſputio, calces, morſus: etiam quæ jam ſupra leges palæſtræ, fuſtes, ferrum, ſaucii multi, nonnunquam occiſi. Eſtne hæc exercitatio ſapientiæ? eſt hæc profeſſio venerandæ diſciplinæ? Egreſſi illinc, quæ ſcripta, maledicta, invectivæ mutuæ, & odium inextinguibile? Victoris gloria & arrogantia, tanquam in cruen-

to

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

to bello ; & victi pudor, atque invidentia. Victor non se imperitum aliquem & mucosum vicisse reputat, sed cunctam scholam : reliquos omnes tanquam e curru quodam triumphi despicit ; vel maximos illos artium parentes atque educatores, si revivisçant, non ausuros secum congredi arbitretur, aut indubie victum iri si congrederentur. Et quoniam omnia ad pugnam hanc referebantur, nihil cogitarunt quam vera essent quæ asseverarent, sed quam ipsi ea possent retinere ac tueri, quæcunque semel suscepissent ; aut si qua premerentur, possent elabi quacunque pervicacia, improbe pernegando, & cæce prosternendo omnia quæ obstent, etiamsi rationis lux ultro se in illorum oculos ingerat ; ita ut pro solutione fortissimorum argumentorum, & quæ adigerent eos ad res absurdissimas, satis haberent respondere, *admitto, nam sequitur ex conclusione mea* : unde est illud: *ego nego, proba tu, defendam consequenter*. Nam qui consequenter, ut ipsi dicunt, defenderit, quamlibet absonis admissis & concessis, pro erudito habetur, & disputationi, hoc est apici scientiæ totius aptissimus. Quippe luctæ hujus universa ars in hoc est sita, si tueatur quisque quemcunque errorem susceperit sine contradictione sui ipsius. Ceu vero difficile hoc sit factu, ex eorum arte objurgatoria, permissis omnibus quæ consequuntur, qualiacunque sint: sublatis quæ adversantur, vel liquidissimo veris atque indubitatis. At vero qui error est in disputatione ita defensus, ut non tum potuerit convelli propugnatori, tanquam fætus suus, & multis spectantium tanquam novum inventum arridet. Ita primum ex errore fit controversia, ex controversia opinio.

Et quod unusquisque suis favet immodice, odit contraria ; fit acerrimus propugnator opinionis suæ, impugnator alienæ. Unde extiterunt initia sectarum, quæ pertinacissime sunt & a sectatoribus propugnatæ, & ab inimicis oppugnatæ. Quia, ut nos velut per rimulam quandam versum procul positum aspicimus magis, quam discernimus; si & propugnator ut suam opinionem tueatur, & oppugnator ut alienam opinionem expugnet, omnes ingenii vires intendant ad rimulam hanc oblimandam, existimantes in hoc verti magnum decus, sed uterque ingeniosus creda-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

datur adverſus veritatem, facile eſt intelligere, quanto rimula ejuſmodi fiet anguſtior, & malignius cernetur verum. Toties, tandiu altercari, omnia revocare in dubium, & ad ſtultas quaſdam ſubtilitates ac minutias; hoc vero non eſt veritatem purgari, ſed primum interteri, hinc deteri, poſtremo interire. Non putant iſti; ſed ſcarificant, & ſcalpunt, & dulcedine ſcalpendi acti, ſanguinem quoque eliciunt; & hæc quidem non pro vero, ſed contra verum, ut ſuſceptum illis eſſe dicas bellum in veritatem: nam pro ea dicere, cujuslibet eſſe arbitrantur; contra verum autem ingenioſiſſimi & peritiſſimi, quod non magni eſt ingenii, ſed pravi. Quid autem proficient dementes? veritas in tuto ſe collocavit; nihil adverſus eam poſſunt fuci, fraudes, calliditates noſtrorum ingeniorum: ingenia cum ingeniis confligunt, & inter ſe certant pulverem ac tenebras muto offundere. Quid non inveniant homines contra homines, ſi in hoc penitus, & ſemper incumbant, ſi nihil reliquant intentatum, dum imponant, & fallant? præſertim quum vitio noſtrorum oculorum quædam aliter multo videntur, quam ſunt; & ut Ariſtoteles ait, *falſa quædam majorem habent ſimilitudinem veri, quam vera ipſa:* ergo aliquas præſtigias excogitat, quæ poſitæ ob aciem noſtræ mentis, illam ad veri lucem non ſinunt penetrare. Quumque minus multo poteſt dare operam, ut an tenebræ ac præſtigiæ ſint, dijudicet, intenta & occupata, vel dum alium ferit, vel dum ſe tuetur: non vacat in ſe redire, & lucem ingenii ac judicii offuſis nebulis quiete admovere: plus nimio occupatæ quæſtiunculis ad diſputationem armandis, atque exarmandis, ſemper in agitationes volvuntur, ac motu; nunquam ſinunt aquam fieri liquidam, quam ſint bibituri. Quo *fit, ut moderata quadam collatione ſtudiorum eniteſcat veritas, tanquam attritu; nimium autem altercando amittatur*, ut Publius Mimographus dixit: tanto ſapientius poeta in ſcena, quam philoſophus in ſchola. Age vero, quemadmodum ſe parant huic pugnæ. Primum graves omnes autores, & qui parum eſſent altercationes adjuturi, ex ſchola ejecerunt, tanquam ſenes & imbellem multitudinem e caſtris aut urbe obſeſſa; Platonem dico, Ciceronem, Senecam, Plinium, Hieronymum, Ambroſium: retenti ſunt modo, qui

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

qui tela conflictatiunculis illis possent suggerere, Aristoteles, Augustinus, & similes; ex quibus ea tantum decerpserunt, & quidem prave intellecta ac detorta, quæ in aciem venirent, non eruditam illam & dignam inquisitione magnorum ingeniorum, sed circulatoriam, & divinatricem quam quivis facile obeat sine libris, sine cognitione rerum. Immo hæc inutilia sunt isti pugnæ: cui satis sit, unumquenque cogitasse, ac se muniisse, quemadmodum absurdissimum inventum possit retinere; veritati autem pedicam, & cavillum objicere. Quo circa nemo istorum libros Augustini, & Aristotelis attingit, quibus opus sit animi attentione ac studio, ad res cura & cognitione dignas; non libros de Civitate Dei, non de doctrina Christiana, non Aristotelis problemata, aut de animalibus, politica, œconomica, non ejusdem rhetorica, nec hujus quidem artis noverunt nomen: quod hæc magnum studium, variam rerum notitiam, perpetuam orationem, exactum judicium requireret. Mathematicas quoque artes deseruerunt penitus, quoniam *radio & pulvere* contentæ: non didicerunt histrionicam; quod si res ante oculos non ponas, frustra in eis multa verba temere funditaris: quædam tamen ex illis surripuerunt vocabula, punctum, lineam, superficiem, corpus, triangulum, quadrangulum, circulum, centrum; hæc quoque ad clamores ac rixas pertracta, si quando horum mentio in libris Aristotelis incidebat: cætera, quæ studium & tacitam cogitationem postulant, verecunde sunt relicta. Jam si quid ex solidis attingerent scriptoribus, non alia mente percurrebant, quam gallus Æsopi scalpebat fimum, ut aliquid, quod ederet, inveniret: sic isti ut telum aliquod vel acciperent jam paratum atque expositum, vel sibi concinnarent, hasta & ferro illic repertis, cætera omnia suspensis legerunt animis, & ad curam certaminis properantibus. Quocirca quum disputandum esset, quum loquendum, & quidem promptissime, (nam illis nihil turpius quam tacere, aut cunctari) & loquendum iis esset, qui eo venerant ab omni lectione, ab omni cognitione inopes, ac deserti; quid fuit reliquum, nisi excogitare sibi novas artes, nova dogmata, novam rerum Naturam, quam ut impudenter asserent, disputationis ardor initio suasit? Hinc quum vi-

de-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

derent ſe defendere conſequenter poſſe, tanquam vera receperunt: res enim & ab imperitis, & inter imperitos agebatur, id eſt, inter eos, qui irridere & refellere ſtulta inventa neſcirent. Somniarunt mira dogmata, tanquam formulas totius veritatis: talia, ut nulla ſit plerunque veritas certior, quam quæ ad ejuſmodi canones minime congruit: qualia ſunt in Dialectica, in Phyſicis, in iis omnibus, in quibus multum & diu regnavit diſputatio: & tamen ad has regulas cenſeri veritatem volunt, ad quas cum veniat illa invita & repugnans, ſeu verius nunquam veniat, mirum non eſt largiſſimam altercationibus materiam ſuppetere, dum ea via inſiſtitur ad inveniendum verum, qua nunquam pervenias. Ita nihil tam videtur certum & ſtatutum, & veritati aptum, quod non illico diverſiſſimum eſſe a vero appareat; unde contendendi & rixandi copia benigniſſima. Quid dicitis? Ariſtotelem vos diſputando victuros? Ne juretis ipſi, ego id pro vobis dejerabo, & quidem perſancte: nam quas artes vos modo ex ſomniaſtis, quas nugas, & quidem ex illius, ut putatis, dogmatibus, ipſe ſi reviviſceret, non intelligeret, ac ne ſuos quidem libros, ut vos explicatis: nec ſolum hoc Ariſtoteli contingeret, ſed Platoni, & acumini illi tam celebrato Chryſippi, aut Carneadis; prudentem, gravem fenem, ſi ad luſiones ſuas & cavilla pueri pertrahant, haud ægre vincent. Et ſi civitatem legibus atque inſtitutis civis alicujus bene conſtitutam ac ordinatam pervertas, is ſi redeat, qui illam inſtituerat, nimirum peregrinus erit in ſua republica. Si veſtra iſta eſt dialectica, dialecticam Ariſtoteles ignoravit. Si philoſophia, philoſophiam. Si jus civile, rudis eſt juris Ulpianus. Si medicina, neſcivit medicinam Galenus. Jam nec Cicero quidem ſit Latine, ſi Latine locutus eſt Scotus, aut Thomas. Nec Titus Livius bonus autor rerum Romanarum, ſi vera ſunt geſta Romanorum moralizata. Quæ ſpes eſt mutaturos iſtos ſuas glandes bonis frugibus, ſi illas cuivis ſiligini anteponunt? Vos quidem Ariſtotelem vinceretis, ſi veſtra ſomniata dogmata admitterentur, ſed illis ſepoſitis, & ex communi hominum intelligentia, & natura, vel vetulæ vobis fucum facerent, & iſtam veſtram invictam loquacitatem conſtringerent ac

co-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

cogerent obmuteſcere. Quanquam hæc non tam ſenes jactant, quam juvenes præfervidi, & pugnaces; qui ut homines militares ingentem ſe ex bellicis facinoribus, & multis victoriis gloriam relaturos confidunt. Nam ſenes errorem ſuum taciti agnoſcunt, ſed partim piget confiteri, quia ſeram eſſe pœnitentiam credunt, quum *nulla ſit ſera ad diſcendum ætas*, ut Auguſtinus inquit. Fatum eſt enim quod neſciant, flagitium, quod nolint ſcire: partim pudet, quod percepta gloria ſpoliari iniquo animo capiant, atque hoc interdum impedimento eſt, quo minus juventutem ſuam admoneant, ut quæ ipſis defuerunt, illi quærant. Sed antequam de diſputationibus finem dicendi facio, adjiciam illud, quod oſtendit, quam iſti homines eruditionem & cognitionem veri parvi fecerint, quam ſe penitus conflictui dediderunt, & eum quibuſcunque potuerunt rebus aluere: etiam inter illa ipſa inepta, abſurda, ſtulta dogmata, ſi quod eſſet unde copioſum aliquod & fertile oriri poſſet diſputationi ſeminarium, tametſi falſum eſſe exiſtimarent, inferebant nihilo minus in ſcholam, & ſtatuebant tanquam poſitum & fixum, ne materia deeſſet rixandi: videlicet quod ex illo, quod verum eſſe non dubitarant, pauciora exiſterent quam ex falſo argumenta. Exempli gratia: ſecta illa ſcholaſtica, quæ a Gulielmo Occhamo defluxit & Nominalium ſe appellavit, ridet, quæ Johannes Scotus, & ii qui reales dicuntur, de *punctis*, de *momentis*, de *intervallis*, de *indiviſibilibus* affirmant, & tamen illi ipſi diſputaturi, vel in logicis de *incipit*, & *deſinit*, vel in phyſicis de *motu* & *tempore*, opinionem Scoti tanquam veram ſubjiciunt, ut ſit dimicatio diuturnior. Sed quamvis illi altercandi nec finem, nec modum ullum noverunt, nobis tamen aliquis eſt faciendus finis, & tranſeundum ad reliquas corrumpendi artium cauſas, tametſi non minor ſuppetit nobis materia infectandi rixas illas, quam illis clamandi, dum rixantur. Sed nemo non videt quanta & moribus, & judiciis, ac proinde diſciplinis quoque inter haſce pugnas plaga eſt inflicta.

Diximus de ingeniorum tenebris, dicendum nunc eſt, quantum negligentia nocuerit, per quam etiam tenebræ ſunt in noſtris pectoribus denſatæ, & quaſi per deſidiam ſquallor & rubigo menti obductus. Olim Veteres, qui ſe ad ſtudium veritatis

ac

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ac ſapientiæ contuliſſent, *omne perire tempus* ſunt rati, *quod literis*, quod cognitioni *non impenderetur*. Nota eſt Plinii Secundi diligentia, quam Cæcilius ſororis ejus filius, in literas retulit: & idem ipſe in præfatione naturalis hiſtoriæ ſatis indicat, de ſomno ſe, & rebus valetudini neceſſariis detrahere ſolitum, quod impenderet ſtudiis: nimirum quod tum demum ſe vivere cenſeret, dum illa commentaretur; uſuſque eſt Marci Varronis teſtimonio, quod *vita eſſet vigilia*. Ariſtotelem quoque ſcribunt ita ſtudere conſueviſſe, ut *globum æneum teneret in manu ſubjectis pelvibus, in quos decideret ſi dormitaſſet, & excitaretur ſonitu*. Longum erit ſi exordiar hiſtoriam diligentiæ antiquæ, ſi peregrinationes literarum gratia, ſi ampliſſima patrimonia, opes, dignitates ſtudiis poſthabitas: facilia ſunt cognitu, ſi quis philoſophorum acta velit inſpicere. Habebant etiam proceres Romani in illis imperii occupationibus lectores, quos Græca voce ἀναγνώστας nominabant, qui epulantibus, qui dormitantibus, lavantibus, deambulantibus, iter facientibus legerent. Refrixit mirum in modum ardor ille in hominum animis, vel quia non liberet operam dare, vel quia non liceret: non libuit propter ſocordiam, aut deſidiam, quod grave cor hominis, ad terram nutu ac pondere ſuo vergens, nullis ad diligentiam ſtimulis pungeretur: vel quod non putarent opus eſſe in publicum ſua diligentia, quum crederent ſatis multos in eam rem incubuiſſe, atque incumbere, & veritatem quantum in commune ſufficeret productam eſſe. Nec ipſi ſe arbitrati ſunt indigere, quod ſatis cognitione rerum viderentur inſtructi ad vitam: honorem autem vel opes, aut tenues, aut profecto contemnendas ex literis atque ingenio provenire: aut illis ita abundarent ipſi, ut ex literis non haberent quærendas: poſtremo eas non tanti facerent, ut propterea laborem ſtudiorum ſuſciperent ſcribendi vel expoliendi, quæ inveniſſent, homines pigri & impatientes curæ ac laboris: quales fuere Lucilius poëta; ut Horatius eum taxat, & Galba; multique oratorum, de quibus in Bruto M. Tullius. Fuere qui deſperarent, ſe tam multa poſſe legere, quot erant legenda ei, qui mediocrem in ſtudiis operam vellet ponere. Pars diffidit ſe intellecturos aliquot ingenii

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

nii fui vitio, etsi hi rari : sed plerique conscientia imperitiæ earum rerum, quæ essent ad intelligentiam necessariæ, ut puta linguarum, aut philosophiæ, aut veræ alicujus eruditionis ac solidæ, quibus non tam diligentia deerat, quam facultas. Queritur Justin. Cæsar tot millia versuum esse in libris veterum Jurisconsultorum, quos etiam majores altero tanto juvisset cognoscere : piguit illos legere, piget etiam centones illorum in Pandectis rite scrutari : non piget scrutari ac rimari *Bartholos*, *Baldos*, *Albericos*, *Jasones*, quos qui videat, exclamet protinus illud e satyra : *Quis leget hæc?* Qui plures habent, & longiores versus, quam non dico sex & triginta integri juris scriptores, (tot enim sunt in Pandectis eorum nomina) sed etiam sexcenti tales. Qui a Livio abhorret, ut diffuso, non dubitat se credere pelago Vincentii historialis. Vallam qui non legit, leget Catholicum. Nuper causabatur quidam vitæ brevitatem, quæ non sufficeret evolvendis Hieronymis, Augustinis, Ambrosiis, Chrysostomis ; & is tamen ad umbilicos percurrerat non paucos ex iis, qui summas, aut commentarios in sententias theologicas conscripserunt, quibus omnibus legendis tres ætates hominum non sufficerent quamlibet longæ. Aristotelem gravamur inspicere, non Paulum Venetum, aut Averroëm, bone Christe, quantam molestiam ; videtur mihi istis contigere, quod nostri homines proverbio dicunt, *farinam spargere*, *cinerem colligere*. Ut divites male profusi denarium pauperi datum deflent, scurræ mille numos datos gloriantur. Sic isti in rebus bonis præparci sunt temporis : in malis largi & liberales. Non sunt visæ illis obscuræ tricæ, & exsomniationes recentium in omni disciplina, in Dialectica, in Physicis, Jure civili, Medicina, Theologia, quoniam illis assueverunt, ut vitiosi oculi tenebris : visa sunt eis obscurissima, & impenetrabilia, quæ dilucide erant ab antiquis prodita, quoniam insueta : ita malunt ea qualiacunque ex interpretibus sui similibus, hoc est, ex cœnosis lacunis haurire, quam ex ipso puro fonte. At quod gravissimum est, negligentia hæc in dies crescit, nam & in dies magis assuescunt commentis recentium, minus veteres curant agnoscere, quos omni-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

no vellent perditos , nisi conservaret eos majestas nominis , & reverentia vetustatis , nunquam tamen nec videntur nec audiuntur , tantum sententiolæ quædam illorum sunt vulgares , quas passim jactant & ubique inculcant quantumcunque sint iis , de quibus loquuntur , alienæ . Quædam etiam a principibus suæ sectæ citata traduntur per manus , cum eo intellectu & interpretamento , ad quod torsit illa , qui ad placiti stabilimentum inducebat , quo nihil putant esse certius ac exploratius . Et istis quidem non libet , aliis non licet , non est commodum ; non vacat , quod longe diversis rebus sunt intenti atque occupati : ut qui vel parandis opibus dediti , aut venandis voluptatibus , aut mala potentiæ atque opum ambitione inflammantur , ea in illorum animis cura studium literarum blandum & mansuetum facile expellit , imo has esse nugas arbitratur , præ suis voluptatibus ac pecunia .

Sunt qui eruditionem suscipiunt , tanquam facultatem quandam numi aut honoris quærendi ; isti ad adipiscendum præstitum animo finem intenti , id solum de studiis desumunt , per quæ breviſſime , quo intendunt , perveniant . Nam qui propter mercedem operam sumunt, mallent si fieri posset , mercedem citra operam omnem consequi : quod in istis est agnoscere , qui , qua via ad honorem aut opes perveniant , pensi nihil habent , perveniant modo . Quo fit , ut illa consectentur sola , quæ ad destinatum animo finem compendio perducunt , reliqua tanquam supervacanea sinunt valere : atque adeo , ut quisquilias rejiciunt , & purgamenta . Sic medici , quas practicas nominant , solas legunt , illi quidem qui quæstus gratia student . Juris studiosi rubricas , formulas , & actiones , & constitutiones litium , reliqua sive philosophiæ arcana , sive ex jure , pulchra quidem illa , vera , solida, & cognitu digniſſima , ne attingunt quidem : nihil est enim eis dulce , nisi quod præsentem adfert mercedem , in quam solam inconniventes habent oculos . Quippe non secus philosophia & labor studiis impensus , gravis istis molestusque est , atque agricolæ fossio vel aratio , veredario cursus , sutori suere , textori texere . Servile est enim mercenarium quodcunque , angitque animum properantem ad præmium : & sicuti Horatius inquit , *Spe finis dura ferentem.*

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

tem. Ita nullum eſt eis tempus breve, ut animo cupienti nihil ſatis feſtinat. Olim ſeptem anni liberalibus artibus impendebantur, reciſi fuerunt ad quinque: & hoc nimis longum, ad tres cum dimidio ſunt redacti. Ferunt utcunque ſervitutem hanc nonnulli eorum, & ſicut ille in comœdia amator, macerant ſe tantiſper; nam quidam de hoc ipſo detruncant. Qui illorum animus apertiſſime ſeſe ſubinde profert. In illis enim, quas vocant relaxationes ſtudiorum, & recreationes animi, in quos ſe luſus, & quantam ſeſe licentiam effundunt, etiam grandiores natu; nam de pueris minus miraudum. Quo gaudio ex ſcholis tanquam e caveis evolant? quam inviti eodem revertuntur? ut videntur ſervi ex compedibus ſoluti, intolerabili quadam miſeria ad tempus levari magno metu, ac mœrore, quum ad eandem redeundum eſt in ergaſtulum. Simul per licentiam illam ea deſignant flagitia, ea ſcelera, ut credas nihil eos in ſcholis diſcere aliud, quam malefacere. An non ſatis clamant ſe in opera detineri, cætera odioſiſſima niſi propter mercedem. Nam qui generoſiori ſunt pectore, & dignitate ſcientiæ ipſius inducunt ad philoſophiam animum, iis vel ex ipſa philoſophia crebra adſunt alia ex aliis oblectamenta, aut ita ex bibliothecis exeunt, ut ſolius valetudinis habere rationem videantur, rei vehementer ſtudioſo labori neceſſariæ. Quo circa moderatiſſimis ſe ad ſtudia vel deambulationibus, vel luſionibus reficiunt, ac reparant. Verum illi nec quærunt niſi mercedi aptiſſima, & eam conſecuti finem labori imponunt: nam quorſum attinet amplius defatigare & ulterius progredi, ubi ad metam perveneris? Itaque undecunque malunt raptim defungi rerum ſummis, quam rationibus detineri, & cauſis cujuſque cognoſcendis, quod demum vere eſt ſcire. Inventi ſunt in omni ſtudiorum genere, qui deſidiæ conſulerent, collectis ex lectione veterum quibuſdam ceu floſculis, ne priſcos illos poſteri haberent perlegendos, homines plus ſatis nugis occupati & diſtenti: & hi fugitantes laboris, præſertim moleſtiſſimi, quod ſcilicet ægre illos intelligerent, centones ejuſmodi pro ſolidis magni nominis autoribus complexi ſunt. Ita nunc Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, & priſci illi ac primi religionis

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

noſtræ ſcriptores , non ex ſuis ipſorum monimentis cognoſcuntur , ſed ex collectaneis ſententiarum Petri Lombardi , ex Catena Aurea Divi Thomæ , & aliis rhapſodiis ejus notæ . Nacti ſunt & medici ſuos decerptores floſculorum ex libris Galeni , Hippocratis , Avicennæ : conſuit centones juriſconſultorum Tribonianus . Detruncatus eſt Lutetiæ Ariſtoteles & traditus vix dimidiatus. Ne ſic quidem breviaria hæc lectores inveniunt : longum exiſtimatur ea percurrere , ſit ſatis indices , aut rubricas inſpexiſſe . Qui poſſunt autorum ſenſus percipi deſerti , & deſtituti ſuis velut fulcimentis , nempe iis quæ antecedunt , quæque ſubſequuntur ? utraque enim maximam lucem adferunt interjectis , quæ nuda hodie ac orbata proponuntur . An non iſtud paſſim uſuvenit , ut quod per ſe parum intelligitur , ex collatione priorum ac poſteriorum fiat manifeſtum ? Et iſti floſculis , & ſummariis , & ut vocant , margaritis contenti , feſtinantes ad finem animo optatum , ea tanquam ſupervacanea contemnunt , unde non modo vera eruditio , ſed nec illa ipſa conſtare poteſt ficta & adumbrata , quam ipſi affectant. Nam quum ex parvis naſcantur & componantur magna , neceſſe eſt , ut parvis ſuo ipſorum judicio contemnendis aditum quoque ſibi obſtruxerint rerum maximarum . Primum nihil fuerunt ſolliciti , quemadmodum ſcriberent , quum tantum intereſſet probus dicerent an probrus : cædo , an cedo : hominis , an ominis : Chriſte , an Criſte . Atqui Meſſala Corvinus & C. Cæſar tanto ingenio , eruditione , opibus , dignitate viri , non duxerunt ſe indignum de ſingulis literarum præcipere . Si enim literæ ſunt vocum elementa , quibus artes omnes ac diſciplinæ conſtant , quomodo non compoſita negliguntur , ſi ſimplicia contemnantur ? an tu pharmacum ullum recte confeceris , cujus vel herbas vel radices conculces prius , ac conſpurces ? jam & verba diſſimulabant ſe curare , quum maxime laborarent facundiſſime dicere . Sed quia non ſuccedebat , volebant aliis perſuadere non ſequutos ſe , quod aſſequi non quiviſſent . Ergo nomina omnia vetera eorum quibus poſtea mutatæ ſunt appellationes , funditus pene amiſimus , herbarum , ſtirpium , animantium , urbium , regnorum , fluviorum , montium : herbas pro ſaxis , urbes

pro

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

pro fluviis, homines pro navibus uſurpamus. Intercide-runt, quod proximum fuit, phraſes, & loquendi formu-læ, tum hiſtoria, mores populorum ac gentium, & to-ta cognitio vetuſtatis. Negabant ſua intereſſe, fuerit ne Annibal Pœnorum dux, an Scipio. Vicerit Cæſar Pom-pejum, an contra Cæſarem Pompejus. Sit in Aſſyria Babylon, an in Meſopotamia. Hiſpania ſit ne ad Oc-cidentem, an ad Meridiem. Scolopendra herba ne ſit, an avis. Sint in duodecim tabulis Romanæ leges an Scythicæ. Hæc ſi dicunt futuri cerdones aut coqui, nihil repugno. Sin eruditi homines de cathedra vitæ duces, & profeſſi ſe ingeniis lumen adferre, quis non indigne-tur? Quocirca priſci homines, qui orbes illos diſciplina-rum confecerunt, videas quicquid liberis ſuis admiſcent, adeo eſſe purum atque exactum, ut unum illud ſtuduiſ-ſe ac egiſſe ſemper dicas in vita. Differit Cicero, Se-neca, Ariſtoteles, Plato, Hieronymus, Ambroſius, Ga-lenus, Ulpianus, Scævola, aut illorum aliquis de re-bus morum, attingit obiter hiſtoriam, fabulam, deſcri-ptionem regionis, naturam herbæ, animantis ingenium ac mores, tam accurate, tam vere ac prope, quam qui illis de rebus profitentur ſe tradere. Scribit noſtro-rum hominum quiſpiam de Philoſophia, de Jure, de Theologia, de re medica, admiſcet hiſtoriam ineptiſſime narratam, & falſo, negat hoc ſuum eſſe inſtitutum: at-tingit aliquid de Coſmographia inſcite, negat eſſe ſuum inſtitutum: loquitur de vi verbi imperite, negat eſſe ſuum inſtitutum: de arbore, de animante indocte, ne-gat eſſe ſuum inſtitutum. Quod eſt ergo tandem tuum inſtitutum? nihil ſtatuiſſe recte dicere? Quam eſſe puta-mus ejuſce rei cauſam, niſi quod veteres & evolve-bant omne librorum genus, & intelligebant: iſti nec inſpiciunt, & fruſtra inſpicerent egeni lucis illius, quæ nos ad intelligentiam artium quaſi manu ducit, quæ in iſtis nulla eſt prorſum, in antiquis magna erat, & di-lucida. Iſtos miſeros facit & inopes negligentia omnium, illos faciebat divites omnium diligentia & cura. Nimi-rum acute illi apud ſe cogitabant, nullam eſſe artem aut peritiam adeo ab alia remotam & disjunctam, quæ non illi lucem ſæpe aliquam adferat: ideo diſciplinas omnes

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ut virtutes, communionem inter ſe quandam & nexum habere docuerunt, quod non ab uno autore, aut uno loco eſt proditum. Teſtantur id Plato, Cicero, Fabius, Vitruvius, & alii permulti; unde natus eſt ille, ut Cicero inquit, concentus doctrinarum omnium, & conſenſus: & ut Quintilianus, orbis diſciplinarum, quem Græco verbo ἐγκυκλοπαιδείαν vocant. Defuit multis ad inquiſitionem artium, & ad præcepta illarum dexteritas, ut temere ſine arte, ſine ſagacitate quacunque ſe via aliqua oſtendiſſet, illhac inſiſterent ad inveſtigationem veritatis: non penetrarunt ex effectis ad cauſas primas, non ex compoſitis ad elementa, & initia, non ex ſingulis collegerunt univerſum, non ex univerſo præceperunt de ſingulis, & quaſi fluvium, qua opus eſſet, corrivarunt. In quibus reliquos omnes non ſecus antecelluit Ariſtoteles, quam ſydera univerſa ſol. Proximus eſt ei Galenus Pergamenſis, ſi non eſſet tam redundans, nempe Aſianus. Sed & iſti non raro ad rem præſentem accommodarunt, quæ inquirerent: ut Ariſtoteles, quemadmodum etiam alii in rhetoricis, & poëmatis ſparſe, & temere profuderunt, quæ inveniſſent, non aliquo fine propoſito: media alia ex aliis naſcentia tanquam in ſcalis gradus ſuffulcierunt: non ex re atque univerſitate naturæ ad præſens inſtitutum atque opus deduxerunt, quod eſt artis, ſed aliam ex alia ſimilitudine quadam collegerunt: aut quæſita eſt eis præſens utilitas, non ut finem tenerent artis, ſed ut ſuum. Hæc antiqui: recentiores vero qua tandem dexteritate tractabunt artes, quum neſciant quæ cujuſque artis ſit materia, qui finis, & quaſi ſcopus, quid agat, quo ſpectet, in quem uſum diſcatur? Modo artes ex ſimilitudine conjungunt, & faciunt unam ex duabus diverſiſſimis. Rhetoricam vocarunt Grammaticam, quod utraque eſſet de loquendo. Poëtam dicunt Rhetorem, Rhetorem Poëtam, ob concinnam & modulatam orationem. Dialecticen de locis argumentorum Rhetoricen appellant, quia Rhetorica quoque inventionem argumentorum traderet. Modo ex artificibus diſtinxerunt. Si quis bene loquatur Latine, quia hoc in ludo literario putatur didiciſſe, Grammatica eſt quicquid loquatur, & de quacunque re.

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

re . Differant duo de re eadem philoſophica , Latine unus , alter vitioſe ac barbare , quæ Latinus dixerit , erit Grammatica : quæ vero imperitus , philoſophia . Quæ Lyranus , aut Hugo ſcribunt in novum Teſtamentum , Theologia eſt , quæ Eraſmus , Grammatica . Idem de Hieronymo , Ambroſio , Auguſtino , Hilario dicturi , niſi nomen obſtaret , tametſi hic etiam neſcio quid muſſant. Quod ſi Joannes Picus Apologiam ſuam corrupto illo non ſcripſiſſet ſermone , haudquaquam haberetur Theologus , ſed Grammaticus . Alciatus , Zaſius , Cantiuncula , Grammatici ſunt , quum de jure diſputant . Accurſius eſt juriſconſultus vel quum interpretatur , que , id eſt , &: ait , id eſt , dixit : ſeu , id eſt , aut . Diligens , & accuratus hiſtoricus , vel quum de origine XII. tabularum lepidam fabellam comminiſcitur , aut de adoptione Germanici Cæſaris . Quicquid civilis homo in republica de civitate adminiſtranda , de moribus , de re familiari loquitur , eſt Rhetorica , quicquid dialecticus , eſt Dialectica : quicquid tractat juriſconſultus peritia juris , etiam ſi de vocabulis inquirat , & in medio Grammatici jure ac poſſeſſione verſetur . Quicquid phyſicus , Phyſica , etiam de punctis , & lineis , & ſuperficie , & numeris . Quicquid ergo facit ſutor , ſunt calcei : quicquid carpentarius , carpentum , etiam quum intritum parat ad cœnam . Et hæc vulgus rude ſi diceret , rideremus : at dici ab ipſis ſapientiæ luminibus , quis non indigniſſime accipiat , qui fines & modos , & materiam earum artium , quas honore profeſſionis ſuæ obſtentant , penitus ignorant ? Non deſunt , qui nec ſimilitudinem ullam ſequantur , nec artifices , ſed quod primum in buccam : Oratoriam nolunt Grammaticam vocare , Poëticam dicunt , hanc Rhetoricen: homines delicatuli bellum exiſtimant puerorum more res alias pro aliis in loquendo uſurpare , quod in pueris ridemus utique , amplectimur , obſculamur : in illis ſenibus reliquorum magiſtris flagitioſum eſt , & animadverſione dignum , non aliter ac ſi velint ipſi ad pueriles ineptias redire decurſa jam ætate . Homines , qui tam prave , & a magiſtris ſuis artes acceperunt , & in animis ſuis excolunt , quomodo ſunt eas niſi praviſſime quoque tradituri ? Si ex olido utre in olidum utrem vinum tranſvaſe-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

tur , quale tandem proferetur ex hoc ſecundo ? Non ſolum corruptas eas diſciplinas atque eruditionem neceſſe eſt illos tradere , ſed multo jam corruptiores quam acceperant : nam ipſi male atque imperite verſando in pejus deformarunt , & res ſemel a via in avium delapſa , quo longius progreditur , eo magis a recto aberrat , & longius ab eo diſcedit , quo erat eundum . Jam ut libros non attingebant , quos nec intellexiſſent , illos dico veterum , unde tanquam ex fonte eruditio omnis dimanat , erat tamen neceſſe aliquid dicere : tranſtulerunt omnia ad commentitias quaſdam formulas , ad ridicula quædam & ludrica , ad quæ nihil eſſet opus lectione veterum , aut omnino libris ullis , quando facilius & expeditius videretur abſurdum aliquid invenire & cogitare , quemadmodum tueri poſſes : quod ſi perfeciſſes brevi tempore , labore exiguo author prodibas novi inſtituti , & alieno labore magnam partam gloriam verbis in te tranſmovebat , ut inquit ille . Et quemadmodum authori nihil erat libris opus , ita nec impugnatori , & ei qui demoliri contendebat , quæ alter extruxiſſet : quumque hæc rerum natura eſſet eis ignorata , ipſi aliam ſomniarunt , quæ eſſet ad ludendum , ad altercandum , ad rixandum aptiſſima , & ad pullatam coronam accommodatior , quæ illa admiraretur , quæ nullo modo caperet , & acumen illorum ſuſpiceret , qui ea , quæ nuſquam eſſent , tam acute eſſent intuiti .

Ipſi vero novæ & confictæ rerum naturæ aſſueti , quum ad hanc noſtram tranſeunt , omnia offendunt nova , omnia ſunt eis paradoxa , omnia admirantur , quaſi in ſylvis & ſolitudine educati , in urbem tunc primum adducentur. At quum ſe aliquando ad lectionem magnorum authorum traducunt , vehementiſſime demirantur illa non congruere cum ſuis : nam ad illos ſuos fictitios canones , ſententias auctorum volunt cenſeri , quæ quum videant inter ſe repugnare , primum imperitiæ adſcribunt veterum , rati ſe exacte loqui , illos ruditer , & quod dicunt , *Minerva craſſa* : deinde impulſi authoritate nominis , tum magnitudine eorum , quæ illic ſcribuntur , hærent inter illa ſenſa , & ſuas formulas , incerti quorſum ſe applicent : ſed vincit in multis inveterata conſuetudo , & authores ajunt ad bo-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

bonum ſenſum loqui, ſe vero ad perfectam quandam rationem & regulam, id eſt, ad rigorem, ſic enim ſuum frigus vocant appoſitiſſime.

Age vero, quomodo authores ipſos vel intelligunt vel enarrant? Primum nihil penſi habent, quis ſit author, cujus inſtituti, quo fuerit tempore, qua uſus ſcribendi ratione. Epicureum, Stoicum, Academicum torquent ad placita Peripatetici, omnia denique ad ea, quæ ſola norunt. Magnos authores nolunt quicquam habere commune cum populo, quaſi vero non illi fermonem a populo acceperint, ſed ipſis domi naſceretur. Quo remotius ab omni communi ſenſu ſcriptoris ſenſum abduxerint, eo putant acutius ſe dixiſſe, & propius ad illius mentem acceſſiſſe. Quicquid eſſet ex communi intelligentia, tanquam indignum ſcriptoris ſententia rejecerunt, & ab hac diſceſſerunt rerum natura, ne quid ſibi eſſet commune cum populo: quippe naturam hanc imperitorum ducebant eſſe alteram illam ſuam doctorum. Ad examen: quod ſibi ipſi confinxerant, revocarunt ſyllabas, literas, literarum apices. Unuſquiſque voluit ad ingenii ſui modum alios omnes ſcripſiſſe. Aridus & jejunus lector nihil cenſuit explicandi cauſa eſſe dictum, non animadvertit copioſum ſcriptorem ſæpenumero contentum non eſſe rem unam ſemel bene dixiſſe, alia repetere infigendi & inculcandi gratia, quia ſic expedit argumento, alia ut magis intelligatur quod dicitur, alia, natura copioſi ingenii atque interdum redundantis. Contra laxus & fuſus multo vult dici, tanquam corticem, quæ poſſis tollere ſine periculo. Ita jejunius in copia Ciceronis, tanquam in undis jactatur: copioſus in Ariſtotelis parſimonia, tanquam in anguſtiis premitur: quum Cicero pleriſque locis ornatum ſpectarit fuſus & plenus; Ariſtoteles autem aſtrictus & ſibi inſtans, res ſolas, parciſſimus verborum. Quæ autem vel exempli cauſa, vel ſimilitudinis, vel confirmandæ, aut declarandæ ſententiæ ſuæ, ab authore ex aliis diſciplinis attinguntur, qui non confidit ſe poſſe explicare, præterit penitus, & negat eſſe ſuſcepti inſtituti, nihil pertinere ad ſe: alii qui turpe exiſtimant penitus tacere, ſic exponunt, ut præſtitiſſet tacuiſſe. Nam quum ſibi doctiſſime videntur locuti, dicunt in genere: Galilæa nomen eſt regionis: ſtruthiocamelus

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

camelus nomen eſt animantis: colloquintis nomen eſt fructus: Cyrus nomen eſt viri: quærat lector quid & quale ſit quicquam. Alii qui ſibi magis fidunt, nacti ſuo judicio campum, in quem excurrant, unius verbuli tenuiſſima arrepta occaſione de re dicunt pauciſſima, præter rem infinita: alieniſſimis locis infarciunt, quæcunque eſt collibitum: nimirum quod quum finem & uſum artium ignorent, omnia ubique ſatis apte & congruenter dici poſſe arbitrantur: Loquitur obiter Ariſtoteles aliquo loco de punctis, ipſi totam Geometriam eodem effundunt, ideo eam quam norunt, quæ eſt a Geometria alieniſſima. Loquitur de Helena; totum *bellum Trojanum ab ovo gemino*, ſed novum penitus, & vel ipſi Homero aut etiam Ulyſſi inauditum. In ſacris literis fit Orientis mentio, non autumant alienum de toto ortu & occaſu ſignorum differere, de Solis curſu, de Lunæ vicibus: ut poſtquam peroraverint, poſſit tanta loquacitate tortus auditor queri, bella hæc quidem, ſed quorſum hæc tam bella? Jam qui nihil videretur falſum dixiſſe, etiam ſi nihil congruens cum ſenſu autoris, ſatis ſe bene putabat ſuo munere perfunctum, videlicet Ariſtotelica fretus regula, *omne verum omni vero conſonat*: atqui hæc parum inter ſe cohærent. Dionyſius fuit Syracuſis tyrannus, & Sol movetur in zodiaco: non conferebant priora cum ſequentibus, ſed detruncatam ſententiam ſumebant exponendam, nec expendebant an ſatis recte diceretur, ſi is eſſet ſenſus. Hieronymus Platonis peregrinationes recenſes in Epiſtola ad Paulinum inter cætera ſcribit: *Captus a piratis & venundatus tyranno crudeliſſimo paruit, ſed quia philoſophus, major emente ſe fuit*: hic interpretati ſunt, *majore ſe fuit mente*, id eſt, *fortiorem ſumpſit animum*: nec conſiderarunt, poſſet ne Latine dici, *majore ſe fuit mente*, & tamen acutum ſe quiddam credebat inveniſſe Brito, aut ſi quis fuit alius inventor. Sodalis quidam noſter Lutetiæ quoties diſputaret, tot ſoloeciſmis, tot barbariſmis, ut intelligi a nemine poſſet, *ſuppoſita*, inquiebat, *congruitate*. Sed in ſacris literis & in Ariſtotele plurima ſunt detorta, hac de cauſa, quod ſententiolam aliquis decerptam ad diſputationem adfert, quam alter ex tempore interpretetur, nec prioribus nec poſterioribus expenſis, quæ nec recordaretur, ac

ne

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ne vidiſſet quidem unquam. *Suſcepit Iſrael puerum ſuum*: volunt *eum qui ſuſceperit puerum eſſe Iſraelem*: quaſi in eum poſſit competere, quod additur, *recordatus miſericordiæ ſuæ*: ſed horum exempla non poſſunt numero comprehendi. At quicquid ſemel affirmaſſent, præſertim multis audientibus, nefas fuit recantare, aut ab eo diſcedere, tanquam *a voto*, quod dicunt *ſolenni*. Subjectoque abſurdiſſimo aliquo ſenſiculo, tanquam fundamento, ſurgebat illico incredibilis moles ædificii, quæ hoc erat inanior, quo altius erigebatur. Sed fortaſſis non adeo nocuiſſet imperitia, ni fuiſſet cum arrogantia & impudentia conjuncta: nam ceſſiſſent indocti melioribus, aut verecunde utique tradidiſſent, quæ ſentiebant. At vero arrogantia audaciam & impudentiam confirmavit. Ita nihil dubitarunt, ut quæque in mentem veniebant, ea continuo ingenti cum ſupercilio aſſeverare: deformoſiſſima portenta ſunt illata in Jus civile, in Theologiam, in Poëtas, in Oratores: & ea erat ſive confidentia, ſive ſocordia, nunquam ut crederent futurum ullum, qui ea refelleret, quia refelli in præſens non poterant. Qualia vero ſint, quæ in reconditis & non omnibus notis rebus pro veris aſſeverant, ex iſtis promptioribus & nulli non obviis licet conjecturam ſumere: in expoſitionibus vocum, in hiſtoriis, in iis quæ etiam pueris ſunt nota, magno ſupercilio, magna totius vultus aſſeveratione ac faſtidio falſiſſima confirmant: peſſimum cæcitatis genus eſt neſcire ſe eſſe cæcum: clamant & indignantur, & injuriam ſibi teſtificantur fieri, ſi quis ad ſanitatem tentet reducere, quod eſt phreneticorum proprium.

Sed ut Ariſtotelis obſcuritas multum nocuit artibus, ſic horum in Ariſtotelem interpretationes artes omnes perverterunt. Non potuerunt recte Ariſtotelem exponere, & hæc ipſa difficultas temeritatem atque impudentiam exacuebat, ut tanto magis auderet quiſque pro interpretamento adferre quicquid in mentem veniſſet, quo minus refelli ac confutari poſſet inter tantas tenebras. Et quemadmodum vulgo dicunt, perturbatus amnis quæſtui erat piſcantibus. Dixi, quanta eſt ejus & ex ſententiis, ex verbis, ex tota dictione, in Græca quoque lingua obſcuritas: cui alia acceſſit, fortuitaque. Verſus eſt male ab im-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

imperitis, qui dum in Latinum transferunt, nec Latinum fecerunt, nec reliquerunt Græcum : & ut difficile eſt interpretari, quæ non capias, nec a doctis quidem potuit recte verti : quod multis in locis non ſatis, quid ille ſibi vellet, intelligerent . Tum etiam abundat ille ac plane paſſim ſcatet hiſtoriis, fabulis, alluſionibus ad Homerum, Sophoclem, Euripidem, Alcæum, Heſiodum, omnes denique Poëtas, oratores, hiſtoricos, ad proverbia, & ſententias vulgo receptas . Quid poterant in his dicere homines omnium ignari, præterquam eorum quæ ipſi ſibi finxerunt? neceſſe erat eos, quod in aliis fecerant, hic quoque comminiſci aliquid & fingere : & tamen hac difficultate ipſi abuſi ſunt ad ſuum commodum, ut minus deprehendi poſſent, quæ prave contorſiſſent : unde magnus acceſſit unicuique ſcholæ ac ſectæ favor, tanquam ab ſe Ariſtoteles ſtaret, tractus ab expoſitore, quo nunquam ſe Ariſtoteles venturum potuit ſuſpicari . Ut jam etiam vulgo inter eos non omnino, ut ſolent, inſcite Ariſtoteles dicatur habere naſum cereum, quem quilibet, quo velit, flectat pro libito. Nam cum eo tempore ſublatis linguis, clauſa cognitione vetuſtatis, extincta luce omni, qua declarandi eſſent authores, quum facillimos & apertiſſimos nemo intelligeret, & unicuique liceret in eo quicquid videretur tuto fingere ; quantam putamus ex Ariſtotelis obſcuritate licentiam ad quodcunque animo eſſet collibitum vel affirmandum vel negandum acceptam? Tyrannio grammaticus & Andronicus Livius, qui libros illius, ut dixi, diſtinxerunt, & evulgarunt, tum Alexander primus Ariſtotelis interpres, Themiſtius, Boetius, Joannes grammaticus & alii multa ſe in Ariſtotele non aſſequi verecunde ſunt profeſſi, homines Græci & Græce peritiſſimi, diutiſſime in illius philoſophi libris cum magna diligentia atque ſtudio verſati. Iſti vero nec Latini nec Græci primo Ariſtotelis intuitu fortiter aſſeverant eum eſſe illius ſenſum, qui illis primus in mentem venerit, imo vero in buccam : nuſquam cunctantur, nuſquam hærent, omnia ſunt illis Sole clariora : nimirum juxta ſuum illorum dictum, *qui nihil ſcit, nihil dubitat*. Et hunc non minus quam alios detorſerunt ad ſuas illas formulas : tantoque hunc accuratius, quanto exactius in omnibus exiſtimabatur

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

tur ſcripſiſſe . Quapropter obſcuratis artibus , remotis a ſenſu communi , converſis ad ludicra quædam ſpinoſa & inamœna ſine ullo penitus emolumento ac fructu ad vitam , præclara ingenia & ſolida , & cum magno tum ſuo, tum publico fructu ſtudiis vacatura , ab ſchola refugerunt . Nam ubi paulum modo ad illas ſe literas arteſque applicuiſſent, ceu ſpecimine quodam & exemplo capto, reſiluerunt protinus non a peritia , quam illa ingenia unice expetebant , ſed a carnificina animorum inutili, ſeu potius damnoſiſſima : videbant enim ſub tot corticibus tam duris nihil occultari nuclei , inanem ſumi laborem , ubi nihil ſperaretur fructus , tum ſe a rectis & naturalibus ſenſibus ſtudio illarum artium ad detortiſſimas ac depravatiſſimas traduci artes ac diſciplinas . Illas ergo juſſerunt valere , & earum poſſeſſione ceſſerunt ingeniis cum artibus congruentibus , *ut ſimiles haberent labra lactucas* . Itaque vacuam & derelictam poſſeſſionem artium obſcuri homines & abjecta ingenia occupaverunt , delata illuc tanquam ex naufragio ad ſcopulum & ſubſidium neceſſitatum ac rei familiaris : nonnulli quod laudem aliquam & gloriolam quandam hinc ſeſe apud homines aliquos paraturos ſperarint . At quum populus maximos habuerit olim honores artibus propter eas utilitates, quæ ab illis in commune naſcerentur , adempta utilitate omni ab artibus , honorem quoque eis ſuum detraxit , quem nec tueri profeſſores ipſi poſſent . Hinc factum eſt , ut ignorati fines artium , quo ſpectarent , quo tenderent , ignoratus uſus , ignorata utendi ratio ac via effecerint , ne jam artes eam utilitatem in publicum aut privatum præſtarent , ob quam & inventæ fuerant , & excultæ . Tum acceptæ & tractatæ propter opes , aut honorem quærendum , finem tantis inſtrumentis indignum , quum præſtantius eſſet , quo quærerent , quam quod quærerent : non potuerunt animos diſcentium aut docentium ad humanitatem & virtutem excolere atque informare .

Quo circa non ſolum artes , ſed profeſſorum quoque mores ſunt corrupti . Vetus eſt hac de re infectatio illorum , qui adverſabantur philoſophiæ , & querela eorum , qui faverent . Rhetores , Poëtæ , Comici , & Satyrici Philoſophos mordent & lacerant , quod homines ſapientiæ præceptis inſtructi , leves ſe præbeant , ineptos , aſſentatores ,

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

res, mendaces, adminiſtros ſceleris cujuslibet, ac facinoris, interdum etiam duces; præcipiebant de prudentia, nihil erat illis imprudentius: de legibus & juſtitia, nihil iniquius: de temperantia, erant ad voluptates omnes projectiſſimi: de contemnendis opibus, indigniſſima faciebant & patiebantur unius numi gratia: de veritate, nunquam verum dicebant: de libertate, nihil erat abjectius: de modeſtia, nihil arrogantius: *homines*, inquit Pacuvius, *ignava opera*: philoſophica ſententia. Ariſtophanes Comicus quoties eos perſtrinxit? Ariſtides & Lucianus Sophiſtæ, & Timon, qui Syllos compoſuit, dentem illis infixerunt. Juvenalis Satyram unam in illorum maledictis conſumpſit: & erat materia Satyræ aptiſſima, atque uberrima. Prætereo veteres Poëtas Atticos. Philoſophiæ ſtudium profeſſi meliores viri, quam vulgus philoſophorum, ut Plato, Cicero, Seneca, dolent propter illos in totum vituperari philoſophiam, diſciplinam ſanctam, & ampliſſimum Dei munus. Nec querelæ hujuſmodi priſcis ſunt ſeculis conſumptæ: ad nos uſque redundarunt. Quippe noſtro tempore qui artium doctrinam profitentur, nec ea exhibent, quæ ſint cuiquam uſui, nec ſe meliores viros, quam illi de quibus modo dixi. Cujus mali eadem eſt cauſa, nempe illa ipſa, quæ quibuſcunque ſeſe rebus admiſceat, magnam & præſentem perniciem adfert rebus publicis, privatis, ſacris, profanis, aviditas pecuniæ. Nam in ſcholis, quo in majore numero lautior eſſet docentis conditio, nullus eſt ingeniorum habitus delectus, admiſſi omnes promiſcue: & qui cum fructu aliquo verſaretur in literis, & qui vel operam luderet & impenſam, vel magno eſſet ſuo atque aliorum malo literis abuſurus: nec ſolum tales in cætus ſunt ſcholarum recepti, ut eſſent diſcipuli, verum etiam in numerum eorum, qui alios eſſent docturi. Excogitati ſunt in publicis academiis quidam velut honorum gradus, non malo utique, ſententia mea, conſilio. Nam ut Romæ ſub Cæſaribus non licebat cuivis de jure reſpondere, ſed cui hoc eſſet a Principe conceſſum, ita rectoribus ſcholarum viſum eſt arcere a profeſſione artium imperitos. Eos vero quos ad hoc magno adhibito judicio & ſevero examine dignos cenſuiſſent, ut gradu aliquo honoris inſigne-

rent,

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

reut, batalarios dixerunt , vocabulo vetere lingua Gallica uſurpato in tirocinio militiæ de iis , qui jam prælio interfuiſſent , ideo longe alio , quam vulgo creditur , etymo ; ſed non hoc agimus : hinc licentiatos quaſi facta copia quandocunque velint , magiſtros fieri : poſtremo magiſtros & doctores. Verum quod ſcholæ nonnunqaam opus eſſet pecunia ad ſumptos inevitabiles velut alendis miniſtris publicis , gymnaſio conſervando ſarto tecto , impoſita eſt ſumma pecuniæ iis , qui honores inirent : a primo modica , quæque neceſſariis impenderetur uſibus. Expetiit eum dignitatis locum indignus aliquis , & quod eruditione atque ingenio præſtare non poterat , tentavit iis , per quos ageretur , corrumpendis : alius adorſus eſt illos gratia , alius promiſſis , alius præſenti pecunia. Ubi ſemel ſancti prius, atque incorrupti homines lucri dulcedinem guſtaverunt , is ſenſus reliquos omnes ſemel extinxit , certaſque ſtatuerunt ſummas , quas illi penderent , qui admitterentur ad honores : quarum pars ſcholæ & miniſtris ejus cederet , pars magiſtris & rectoribus ſcholarum : nec providerunt quantam literis , artibus , diſciplinis , Orbi toti , qui ab iis regitur , ac diſponitur , cladem & ruinam adferrent , promiſcue quibuslibet admittendis : ſed potentior fuit reſpectus exigui commodi , quam tanti publici in univerſam hominum gentem . Igitur quæſtuoſa res cœpit eſſe ſcholarum regimen , & emptum eſt non ſecus ac mercimonium promercale , ut revenderet , qui erat mercatus : quæſitum eſt pretio , ambitu , & ne quid deeſſet , dedecori ac indignati , armis quoque. Qui erat adeptus , agebat propter quod quæſierat : nullus locus , nullus honor , nulla dignitas denegata eſt ei , qui numeraret. Sed ut ſciretur , quanti ordinarie emeretur dignitas , ſtatuta eſt certa ſumma pecuniæ , qua minorem nefas eſt accipere , de majore fas eſt liceri : definitum etiam tempus , & aſſignati , qui examinarent .

Nominent mihi vel unum iis ducentis annis rejectum , qui verſatus præſcripto tempore in ſcholis , certam illam pecuniam dependerit , quacunque ætate , conditione , ingenio , peritia , moribus. Si quis non credit , inſpiciat tot per Galliam cerdones , fartores , coquos , rhedarios , nautas , fabros , & pejores iis graſſatores , latroneſque artium

vel

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

vel magiſtros, vel batalarios , nec deſunt in Germania , nec in Italia. Si quis alibi non invenit , Romæ quærat. De licentiatis juris nihil ſcilicet poſſum dicere : ſed hoc fortaſſis riſu magis dignum : quærunt ubique lites , quas nutricent, pueriliter cavillando , & homines in odio illo detinent, moleſti & clientibus, & adverſariis , & judicibus. Illud dolendum magis, quod annis omnibus tot batalarii, licentiati, magiſtri medicæ artis, ex Academiis in vicos atque urbes, tanquam carnificum manus emittuntur. Iſti ergo quando nihil in ſcholis egerunt aliud, quam macerando ſe exſpectare finem ſtati temporis , ut honoribus donarentur, adepti quod concupierant, omni renuntiant laborı, & ſi eruditione non queant , certe nomine ſe authoritatem ſuam tuituros confidunt . Quum vero ex ſchola exeunt inſignes nomine magnæ ad populum authoritatis , ac venerationis , quid aliud poſſunt docere , quam quæ negligenter & imperite didicerunt ? Ab his ignorantia per Europam omnem velut ſeminatur, ac propagatur. Videas in eis pueros jam magiſtros, qui pædagogo adhuc indigeant , & quos Ariſtoteles tanquam inidoneos auditores de ſchola expellit moralis diſciplinæ , tum hanc, tum alias omnes non præſtant quidem , profitentur tamen . Quid aliud oportet hos facere tam immaturato honore onuſtos, & preſſos, quam diſciplinarum labori cedere , & arrogantia , invidentia , cæteriſque vitiis repletos, intollerabiles fieri, quum magiſtri nominentur earum artium , quarum vix prima rudimenta poſuerunt . An putamus inſolentiores quoſquam eſſe iis , qui quum ſapientiam nullam habeant, pro ſapientibus tamen ad turbam ſeſe vendicant ? nihil eſt medium : ſapientia optimos facit , ſimulatio ſapientiæ peſſimos : propterea quod quæ tenere bonis artibus nequeunt, fraude & flagitiis tuentur. Sunt ex magiſtris nonnulli, qui vel nulla penitus peritia , vel minore audacia non applicant ſe ad exercitium diſciplinarum: in familiam ſe locupletum dant hominum , nec nomen tamen deponunt , & indigna honore illo miniſteria obeunt, adulantur , aſſentantur ut ſervi dominis: quod etiam peritiores faciunt ad divites ſcribentes, quum illucet ſpes lucri aliqua : & quia iſtis inter ſcholaſticas illas concertationes & pugnas nullus fuit lo-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

locus vel hiſtoriæ cognoſcendæ, vel præceptis morum, vel eloquentiæ, vel inſtitutis civitatum, & rationi reipublicæ adminiſtrandæ, tantum in fictis illis quiſquiliis moleſti & rixoſi corruptum ad negotia ſive privata, ſive publica judicium traducunt. Quocirca nemo ſemel operam illorum expertus magnis denuo rebus adhibet: in cœtu hominum ſuperciliosi, in convivio moroſi, & triſtes, in concionibus loquaces, & inepti: in conſiliis importune cavillatores, omnia tentant carpere, & convellere ex fictis illis ſuis normis: in magiſtratu rapaces: in poteſtate impotentes: in colloquio ſpinoſi, & ab omni humano ſenſu alieni. Ut quemadmodum de philoſophis ſui temporis ait Socrates in Apologia Platonis, melius multo de rebus judicaret vulgus hominum, quam illi totius ſapientiæ conſulti. Semota utilitate ab artibus, & a profeſſoribus remotis animis ſua eruditione dignis, honor omnis & ab artibus, & a magiſtris eſt excuſſus: quippe quum nec ullis prodeſſent artes, nec ſuis ipſis profeſſoribus, vel ad bene vivendum eſſent utiles, vel ad bene ſentiendum. Tum ex multis judicium eſt factum de omnibus, ut tales putarentur univerſi, quales ſe non pauci exhiberent. Inviſi fuerunt Athenis, philoſophi & ipſa adeo philoſophia, etiam tum, quum maxime in illa civitate ſtudium illud floreret: hinc populus etiam Romanus. Indignabantur enim eos, quos rerum & ſapientiæ cognitio meliores debuiſſet facere, pejores eſſe hominibus omnino imperitis. Et erat quodcunque vitium in illis notabilius, qui formationem morum, & ſcientiam omnium virtutum promitterent. Itaque Athenis & Romæ, quiſquis vituperare voluit vel philoſophos, vel ipſam philoſophiam, ſecundo admodum populo eſt uſus. Neque nunc vero repugnantem haberet multitudinem, quanquam populus noſter multo ſe habuit, quam ille priſcus moderatius: nam quum hujus ætatis philoſophi, & utilitatis minus adferant, ſive ad loquendum, ſive ad ſentiendum, quam illi Athenis aut Romæ, nec probitate, aut compoſitione morum antecellant; tamen populus ſervavit adhuc non parum venerationis iis, qui artes profiterentur, etſi nullam præſtarent. Neſcio an ea ſit cauſa, quod Athenienſis & Romanus populus, quæ a philoſophis dicerentur, intelligebat, ideo facilius poterat

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

de illorum ingenio, ac eruditione cenſere: noſter non intelligit, ideo nec judicat, & admiratur. Honore artibus detracto artes jacuerunt: illæ ſolæ ſunt excultæ, quæ eſſent in pretio, ut oratoria propter forum, & curiam, & jus civile ad conſtitutiones formularum, & litium: reliquam eruditionem, qui magni & honeſti cupiebant eſſe in populo, vel negligebant prorſus, vel ſi quam didiciſſent, occultabant ne ſe proferret: & tam ſolicite literas tegebant, quam erant diſcendæ. Marcus Antonius orator apud Ciceronem hoc probabiliorem orationem ſuam populo fore exiſtimabat, ſi omnino didiciſſe nunquam putaretur. Scire ſe diſſimulabant, multo minus volebant videri docere: id munus ad ſervos eſt delegatum, ſi quos haberent literatos: aut Græcis & Aſianis hominibus mandatum, liberis quidem, cæterum non multo meliore conditione, quam erant libertini, de qua indignitate merito queritur Seneca. Ante Blandum, inquit, rhetorem, qui eques Romanus Romæ docuit inter libertinos præceptores, pulcherrima diſciplina continebatur, & minime probabili more turpe erat docere, quod honeſtum erat diſcere. Quo factum eſt, ut literas ſcire indignum ſit habitum viris principibus: docere vero ſordidum prorſum & abjectum. Agrippina Neronis Mater Senecæ viro integerrimo profeſſoriam linguam tanquam probrum objicit, & quæ non objiciebat adulteris adulteria, militi crudelitatem, ſenatori avaritiam, judici rapacitatem & ſordes, viro innocentiſſimo & optimo, quod alios meliores redderet exprobrabat. Ea perſuaſio ad noſtram uſque ætatem pervenit, ut potiorem ac præſtantiorem eſſe vulgus exiſtimet diſcipulum magiſtro: vel cerdo, aut rhedarius præceptorem filii ſui juvenem bono loco natum, quod præceptor ſit, pejorem filio ſuo cenſet. Idem judicium impie eſt ad res ſacras, & ſanctiſſimas translatum: ut ſacerdotem viliorem exiſtiment profano, tantum neſcio quid exhibent honoris propter receptum morem. Quid dicemus eſſe cauſæ, an quod natura mercenarius omnis ſordet? an quod ita ſuaſit peccatum in nobis regnans, & peccati author & altor diabolus, ut pro viliſſimis habeamus, quæ ſint optima: deſidere, nihil neque ſcire neque agere, nihil a beſtia differre, pulcherrimum ſit & præſtantiſſimum? Quocirca excellen-

tia

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

tia ingenia, quæ ſe contemptui vident futurum, ſi doceant, munus, tam fructuoſum, tam dignum illo acumine, illa ingenii luce, illo judicio, ac peritia refugiunt & averſantur; deſerunt ſcholas, in quibus totius humani generis linguæ, animi, mentes ad optima, aut peſſima informantur: tradunt has contaminandas, & conſpurcandas tardiſſimis ingeniis, rudiſſimis, pravis, ſervilibus, quæ vel nihil cunctantur ſpe tenuiſſimi præmii in ſcholas ſe tanquam in piſtrinum detrudere: vel avide ſcholas arripiunt tanquam gloriolæ alicujus meſſem. Atqui hujuſmodi ingenia docent vel peſſima, quia non norunt alia, vel corrupta ab animo ad pecuniam, vel famam cæco impetu currente.

LIBRI PRIMI FINIS.

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

JOHANNIS LUDOVICI VIVIS

DE

CAUSIS CORRUPTARUM ARTIUM.

LIBER II.

Qui eſt de Grammatica.

QUæ proximo ſunt a nobis libro dicta, ſemina ſunt univerſarum artium corruptarum; nam illa cunctas pariter læſerunt, tanquam fatum non in unam, aut alteram eruditionis, aut literarum partem, ſed in cunctas ſimul ad perniciem corporis totius incubuerit. Nunc ſingillatim de unaquaque differendum eſt. Veterum Scriptorum conſenſio tres artes de ſermone poſuit, Grammaticam, quæ quid, & qua ratione diceretur, indicaret: Rhetoricam, quæ ornatum & cultum: Dialecticam; quæ argumenta & probabilitatem. Ut in Grammatica ſit illud, quod ipſi volunt docere: in Dialectica probare: in Rhetorica movere. Sed de his poſtmodum videro. Nunc de Grammatica: ea Græco nomine de literis dicitur, idcirco a Quintiliano *literatura* transfertur in Latinam vocem, aptam quidem illam, ſed non perinde receptam. Infantia ejus circa literas, ſyllabas, & ſingulas vocum eſt verſata, ut quidque apte & ſcriberetur & pronuntiaretur, hiſque finibus fuit contenta. Qui hæc præſtabat, γραμματιστὴς a Græcis dicebatur, a nobis, Varrone authore, *literator*: cujus artem Martianus Capella γραμματιστικὴν vocat, verbo apud Græcos, quod equidem meminerim, rariſſimo, ſed uſurpavit illorum in fingendo licentia. Viſum eſt paulo altius puerum ducere, ut quæ in lingua, quam diſceret, ſcripta eſſent, intelligeret. Expoſiti ſunt ei poëtæ, hiſtorici, & alia Scriptorum genera: hoc quoque voluerunt Grammatici eſſe munus, quem

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

quem *literatum* nominarunt: artificis hoc eſt magis, quam artis. Sed fuit hoc illorum prudentiſſimum conſilium. Nam, quum linguæ arbitrium ſit penes populum, dominum ſermonis ſui, mutatur ſubinde ſermo, uſque adeo, ut centeſimo quoque anno prope jam ſit omnino alius, nec qui tunc vivunt, eorum linguam intelligant, qui ante centum annos fuere. Ergo, ne intelligentia veterum ſcriptorum penitus interiret, proviſum eſt, ut eſſent profeſſores, ad quos ea cura ſpectaret, tenere verborum omnium vires, ac ſignificationes, & eſſe velut theſauri illius cuſtodes, atque ærarii tribunos. *Jus ſermonis*, ſicut Horatius inquit, *populi eſt*; recte ne, ac vere, quicquid ſit dictum, vel ſingularum artium, vel judicii ac prudentiæ. At quid quicque ſignificet, quem ſenſum reddat, hoc demum Grammatici: qui, ſi locus incidat in Virgilio:

Eſt via ſecta per ambas,
Obliquus, qua ſe ſignorum verteret ordo;

explicet quid ibi Poëta ſenſerit, & ſatisfecerit ſuo muneri. Ulterior inquiſitio, recte ne dixerit, hoc jam Aſtronomi erit. Quod ſi idem ipſe Grammaticus non leviter omni genere artium imbutus ſit; hoc copioſius & ſplendidius explicabit, quos enarrandos ſuſceperit: non id exigit ars Grammatica; ſed diſciplinæ nexu quodam mutuo, ſe continent, & juvant. Ergo Grammatici officium eſt os pueri, & manum formare; hinc intelligentiam; ut ad cæteras artes remittatur, maximis adjumentis fultus eorum Scriptorum, quos ſub Grammatico viderit. Artem hanc locupletavit, atque illuſtravit diligentia: ſed obſcuravit nimia; funditus perdidit minima. Quidam, inventis ex analogia artis formulis, in eas velut indociles vaſtiſſimum uſus flumen derivare tentarunt: quum ex uſu obſervata & nata ſit Grammatice, ſicut Dialectica, ſicut Rhetorica, non ex iis uſus. Ergo ſermonem, ad miſerum formularum præſcriptum redactum, non ſolum debilitarunt, ac fregerunt; ſed corruperunt etiam multis vitiis: quum aliter loquerentur, quam oporteret, bene ad canones, non bene ad conſuetudinem, quæ eſt domina & magiſtra ſermonis. Ita videas permultos exactiſſimos præceptores artis, fœdis in oratione mendis ac flagitiis, dum artem ſequuntur, quæ totum uſum non potuit compre-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

hendere : propterea quod & varius eſt , nec analogiam ſequitur ; itaque nequiverunt rite omnia annotari . Adde, quod paſſim mutatur arbitrio ejus multitudinis , in cujus manu eſt lingua illa . At nunc , quum populum Græci aut Latini ſermonis habemus nullum , ſed ab authoribus ſumendum eſt jus verborum , ſunt , qui quoties aliquid non recordantur ſe legiſſe , damnant illico , &, tanquam lege Mutia Lucinia, ex civitate ejiciunt . Alii ita ſunt uni aut alteri Scriptorum addicti, ut quod non apud eos ſit, etiamſi millies apud alios, velut parum Latinum reprobent. Nec deſunt, qui ex uno, aut altero loco, generalem formam conficiunt. Atqui in his omnibus multipliciter peccatur. Nam nec Grammaticus legit omnia ; & ſæpe de his pronuntiat, qui ſolas legit familiares Ciceronis epiſtolas, aut Terentium: & ut legerit ; non attentus omnia; non omnia obſervavit, expendit, excuſſit; & ut fecerit , non omnia annotavit : nec memoria tantæ rerum ac verborum varietati una ſufficit , quæ & multitudine intricatur, & ætate fit invalida, quæ aufert omnia. Denique nihil eſt in homine fluxius , atque infirmius . Ergo plus tertia parte bonorum vocabulorum ex ærario linguæ Latinæ rejecimus , tanquam adulterinos numos : & in tanta egeſtate faſtidioſi , pauperiores in dies ſimus; dum unuſquiſque, quo diligentior videatur ærarii præfectus, aliquid repudiat, nemo infert. Ideo ſermonis inopia quotidie laboramus . Quidam (ſi diis placet) non verba modo, ſed ſententias multorum verborum, quas ſe non legiſſe recordantur , expellunt , & in peregrinitatem redigunt. Quod ſi ita eſt, nec licebit dicere : *Petrum diligo ;* aut , *Rem mihi gratam vos tres feceritis :* nuſquam enim hæc ſunt apud authores Latinæ linguæ . Sed neque Scriptores omnia ſcripſerunt, & eorum multi amiſſi ſunt. Et quædam vel verba, vel loquendi formulæ , apud aliquem unum tantum leguntur : qui ſi periſſet , nos illa , quæ ſunt germane Romana, ex civitate pelleremus. Itaque in iis, quæ dicenda ſunt nova, ut ex ipſis veteribus & receptiſſimis, oportet analogiam non parum valere, de qua deſtinatus eſt mihi aliis libris locus. Jam, authores, ut dem eos, qui ætate Ciceronis vixerunt, optimos eſſe in Latina lingua: Terentius tamen, qui antea fuit, non malus;

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

lus ; nec Titus Livius , Seneca , Plinius , Quintilianus , Tacitus , & alii , qui poſt vixerunt uſque ad Adrianum Cæſarem . In hoc Laurentius Valla eſt nimis vehemens , & acer , tanta in Ciceronem , & Fabium Quintilianum admiratione , atque obſervantia . Idem eſt in aliis omnibus : ut de cenſendis vocabulis , & quicquid non recordatur ſe legiſſe , damnando ; ſeu minus probando : tum de univerſalibus formulis , ex uno loco , aut altero , obſervato . Fortaſſis hæc tam immodica religio , ipſius erat tempore perneceſſaria . Nam quum omnia peſſum iviſſent in negligentiam , acri aliqua & exacta erant cura revocanda . Sed eam rem , quum jam nihil videretur neceſſarium , auxit iuſequentium Grammaticorum ſuperſtitio : partim ut ipſis quoque benemeritis de Latina lingua cognomen attingeret , partim miro ardore inſectandi , ac reprehendendi . Quis audeat facile pronuntiare Latinum non eſſe verbum aliquod aut dictum , quum in eo Quintilianus & Cicero ſint falſi , duo totius Latinæ linguæ & lumina & columina ? Ille , quum negat Romane dici : *germanus frater* ; Cicero : *piiſſimus* , & *facere contumeliam* . Sunt , qui contaminari ſe verentur , ſi quid aliter Latine dicant , quam Cicero ; ridicula religione , ne dicam ſuperſtitione ſtulta . Primum quomodo loquentur de iis , quæ apud Ciceronem nulla ſunt ; de ſtructura , de ſutrina , de textrina , de agro colendo : niſi forte omnia ſint mutuaturi ex paucis illius verbis in Catone majore , & aliquot ad fratrem , & ad Atticum epiſtolis ? neceſſe erit eos obmuteſcere in reliquis , ne quid dicant parum Ciceroniane ; videlicet ſatius erit tacere , quam male loqui . Quid in poëmate , quid in hiſtoria facient , quæ ille non ſcripſit ? Quid , quod quædam dixit , quæ eadem nec minus acute , nec minus feſtive , nec minus vel ad declarandum , vel ad perſuadendum apte ab aliis dicuntur ? Immo ſunt apud eum nonnulla , quæ ſi aſtrictius & preſſius cogerentur , haberent plus nervorum , & efficaciæ . Sed de Ciceronis imitatione alibi . Habemus etiam ſignificatus vocum , & differentias , Græce , Ammonii , & interpretum poëtarum ; Latine , Nonii , Gellii , Donati , Acronis , Servii , ut interdum de induſtria videantur ea præcipere , quorum penitus contraria magno authorum conſenſu liceat deprehen-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

dere : ut non aliter rectius utare, quam ſi contra, atque iſti monſtraverint. Ajunt diſtare, quæ ſunt ſynonyma, aut aliter differunt, quam ipſi præſcribunt.

At vero obſervatio, & cura hiſtoriarum, ac fabularum, interdum, quum ad minutias illas ineptas, & ſcitu indignas ventum eſt, confundit ingenia, judicium, & alia magis neceſſaria obtundit, & memoriam occupat, ne ſit locus melioribus. Tum dulcedine illa nominis *diligentiæ* evehuntur longius. Et tanta cura hujuſmodi rimantur, ac perquirunt, ut videatur in eo agi Imperii totius ſalus : tanta gloria, ſi quis quid eruerit, tanta ignominia ſi ignorarit, ut conjuraſſe contra rempublicam exiſtimetur : hinc rixæ & maledicta, & convitia atrociſſima. Iſtis impenditur tempus, & obruitur ingenium cum majore fructu aliis vacaturum : nam hæc in infinitum recedunt, & caſſæ cujuſdam ſunt ſolicitudinis. Audiant de ea re Quintilianum : *Nam qui omnes*, inquit, *etiam indignas lectione ſchedas excutit, anilibus quoque fabulis accommodare operam poteſt. Atqui pleni ſunt hujuſmodi impedimentis grammaticorum commentarii, vix ipſis, qui compoſuerunt, ſatis noti. Nam Dydimo quoque, quo nemo plura ſcripſit, accidiſſe compertum eſt, ut quum hiſtoriæ cuidam tanquam vanæ repugnaret, illius proferretur liber, qui eam continebat. quod evenit præcipue in fabuloſis uſque ad ridicula quædam, etiam pudenda : unde improbiſſimo cuique pleraque fingendi licentia eſt, adeo ut de libris totis, & authoribus, ut ſuccurit, mentiatur tuto : quia inveniri, qui nunquam fuerunt, non poſſunt : nam in notioribus frequentiſſime deprehenduntur a curioſis ; ex quo mihi inter virtutes grammatici habebitur aliqua neſcire.* Hactenus Quintilianus.

Jam vero ſunt, qui omnino formulas negligunt : nam quum conſuetudo ſit magiſtra orationis, & huic ars cedat ; quid, ajunt, opus eſt canonibus & præceptis, ex quibus non raro videmus multa in ſermone vitia contrahi ? Nec mihi ſane nimia illa præceptorum obſervatio, ut expoſui, placet : & ſi populum haberemus vel Latine loquentem, vel Græce, mallem cum eo annum unum ad linguam illam percipiendam verſari, quam ſub eruditiſſimis ludimagiſtris annos decem. Nunc vero, quum civitatem nullam habeamus vel Græcæ linguæ, vel Latinæ, vel

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

vel Hebraicæ, quorum tandem uſu diſcemus linguas has? Ex authoribus, inquiunt. Quum ergo non ſuccurret animo, quemadmodum apud illos legerimus, hærendum erit, atque etiam obmuteſcendum, aut ſolœciſmis fœdanda oratio, quod iis videmus accidere, qui formulas in totum reſpuunt, ut modo Cicerones ſint, modo ſolœciſtæ. Quid quod iſti etiam normas quaſdam ſibi ex uſu colligunt, quîs regantur in loquendo. Atqui hæc eſt ars. An non præſtat collecta a maximis & doctiſſimis viris accipere labore exiguo, quam tanto & tam infelici ipſum ſibi parare? & quæ tu ſingillatim conſectaris, habere generatim annotata magna cura & judicio? Profecto mediocris artis cognitio & pueros ad cognitionem linguæ manu ducit, & provectis ſæpenumero adjumento eſt, quum a memoria nihil ſuppeditatur lectum, quod ſit ei, quod eloqui conantur, ſimile. Quid quod nec analogiæ normas ſingulorum verborum, & compoſitionis negligebant, etiam eo tempore, quum a populo peti poterat uſus, certiſſimus magiſter ſermonis, ut Quintiliani tempore, etiam Tullii, & uſus prave loquentium plerumque analogia refellebatur. In Scriptoribus quoque nonnulla depravata corriguntur ex artis formulis, & canonibus. Sed hæc a me planius fuſiuſque explicabuntur in libris de ratione linguarum. Nunc ſolas artium corruptelas demonſtramus. At vero veterum grammaticorum mores, artem apud nonnullos in contemptum adduxerunt: Sed ea tamen res non tam artem, quam profeſſores læſit: magis nocuit illud, quod nonnulli, qui viriles admodum viros exiſtimari ſe cupiunt, Grammaticam contemnunt, quod pueris tradi ſit ſolita. Ceu vero non & optima conveniat ætate illa exhiberi. Quis fundamenta & tenues origines deſpiciat, ſine quibus res maximæ non conſtant? Non dubitandum eſt, quin utilitatem artis acutiſſime Romani proceres perſpexerunt, de quibus hæc ſunt in libro Suetonii Tranquilli de illuſtribus Grammaticis: poſt Lælium Stilonem, qui vixit Sylla Dictatore, *cura grammaticæ artis increvit, ut ne clariſſimi quidem viri abſtinuerint, quo minus & ipſi aliquid de ea ſcriberent, utque temporibus quibuſdam ſuper viginti celebres ſcholæ fuiſſe in Urbe tradantur, pretia, mercedeſque grammaticorum ingentes:* & hæc quidem ea ætate

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

te , qua videbantur ad eum ſermonem, quem ſuxerant cum lacte, non admodum arte hac indigere . Sed illi nihil negligebant, quod poſſet aliquando provectis utilitatem aliquam adferre . Idcirco de ſingulis literis Julius Cæſar Dictator, & Corvinus Meſſala, non ſolum oratorum ævi ſui, ſed civitatis quoque principes ſingulos libros conſcripſere. Ergo illi minima conſectando ingentem peritiæ omnes acervum confecerunt : nos contraria ratione diruimus, ac penitus diſſipavimus, minima non modo negligendo, ſed etiam contemptu proſequendo, atque odio.

Nam quidam ætate hac oderunt magis hanc diſciplinam, quia ignotam ſibi, quam contemnunt, tanquam vilem, aut ſe indignam . Sed ne odiſſe exiſtimentur, contemptum, aut negligentiam præ ſe oſtendunt , tanquam eam pro nihilo ducant cura rerum præſtantiorum occupati, reſque huc eſt paulatim deducta , ut grammatici nomen jam objiciatur pro convitio. Ego vero , ut de hoc quoque loquar, non video quid ſit, vel in nomine , vel in profeſſione, vel in dignitate grammaticorum deſpicabile, & contemnendum : quæ omnia iſti , quibus grammaticus maledicti loco eſt, ignorant : ſed nos paucis explicabimus.

Primum Grammaticus *literatus* eſt : atqui hoc nomen honeſtiſſimum, quo literis præditus ornatuſque denotatur.

Literatos, inquit Suetonius ex authoritate Cornelii Nepotis, *vulgo appellari , qui aliquid diligenter , & acute , ſcienterque poſſint aut dicere , aut ſcribere* . Quanta eſt in iſtis inſcientia ? Si quis literatos appellaret, tanquam honorificam nuncupationem amplecterentur , & pro beneficio haberent gratiam : ſi quis grammaticos , injuriarum dicam ſcriberent: non aliter ac quidam canonici nomen libenter audiunt, regularis aſpernarentur . Diaconos dici volunt, miniſtros ſe dici contumeliam clamarent . Ignoſcendum quidem eſt inſcitiæ linguarum , indocta tamen arrogantia caſtiganda. Porro quid Grammaticus profitetur? non ſolum literarum & vocum peritiam , quanquam neque hoc omnino parum, ſed intelligentiam verborum & ſermonis totius ; cognitionem antiquitatis , hiſtoriarum , fabularum , carminum: denique veterum omnium Scriptorum interpretationem . Quid poteſt hoc majus vel amplius

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

plius in ſtudiis dici? Qua de cauſa illis, ut jam dignitatem attingam, permiſſum eſt de Scriptoribus cujuſque generis judicium, quo ſicut Quintilianus refert, ita ſunt ſevere uſi veteres Grammatici, ut non verſus modo cenſoria quadam virgula notare, & libros, qui falſo viderentur inſcripti, tanquam ſubdititios ſubmovere familia permiſerunt ſibi, ſed authores ipſos in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero. Tales inter cæteros fuerunt Ariſtophanes, non author veteris comœdiæ, ſed Grammaticus, Bizantius genere, & Zenodotus, & Ariſtarchus, qui cognominatus eſt cenſor authorum, & alii permulti. Cui tandem vel philoſophorum, vel eorum, qui maximis titulis ampliſſimas diſciplinas, quaſque nemo non ſuſpicit, & profeſſi ſunt, & præſtiterunt, tantum eſt permiſſum, nedum iſtis fumoſis, qui contemnendo omnia, videri volunt omnium callentiſſimi? Ergo Grammaticorum nomen priſci affectarunt complures. Nec ætate noſtra defuerunt doctiſſimi, qui ornari ſe appellatione ejuſmodi arbitrati ſunt, inter quos Angelus Politianus, & Hiſpanus noſter Antonius Nebriſſenſis, qui pro varia, & late patenti eruditione, quum eſſet diligenter in omni Scriptorum genere verſatus, potuiſſet quodcunque nomen uſurpare, non ſolum cum bona profeſſorum ejuſce artis venia, ſed cum magna etiam lætitia, quod non parum gloriæ profeſſioni ſuæ acceſſurum ex hujuſmodi hominis ſplendore, & nominis celebritate exiſtimaſſent: nihil tamen dici & haberi maluit, quam Grammaticus. Nec Pius Pontifex urbis Romæ nomen ejuſmodi abhorruit. At nihil ſcilicet præſtiterunt Grammatici in omni genere doctrinarum. Johannes Philoponus illuſtres, ac celebratos ſcripſit in Ariſtotelem commentarios: hujus nomen nec ſcholæ ignorant, Johannes Grammaticus nominatur. Erotianus Grammaticos enumerat, qui accuratos, doctoſque in Hippocratem libros compoſuerint. Xenocritus Hippocratis civis, Ariſtocles, & Ariſteas Rhodii, Dydimus ac Antigonus Alexandrini. Utinam aliquid tale præſtitiſſent univerſi iſti grammaticæ contemptores. Quod ſi grammatici horum temporum hæc vel non faciunt, vel non poſſunt: culpa eſt hominum, non artis, vel profeſſionis. Profecto nimium favemus nobis. Pulchra volumus tantum credi, &

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

& haberi, quæ poſſidemus, cætera vilia & aſpernanda. Si grammaticam haberemus, celebraretur ea a nobis, & cohoneſtaretur: eſſet ex præcipuis, & maxime neceſſariis artibus. Argumento eſt, quod non quævis grammatica a nobis improbatur. Quis enim iſtorum grammaticæ oſorum non cædit ſuum puerum, ſi dicat: ego ſequor tibi: ac permittit dicere: ego ſequor abs te: quia illud ſcit Latinum non eſſe, hoc neſcit? Eodem modo Latinam linguam contemnunt. At qui clamores, quod in vulgares linguas quædam de Latino vertebantur? non id in totum probo, ſed tantum malitiam iſtorum retego: nam quia hanc non habemus, ne hac parte exiſtimemur manci, nec velle quidem nos habere ſimulamus. Olim ita ſunt vitioſo ſermone uſi quidam ac ſpurco, ut eum videantur conſulto affectaſſe, tametſi non multo poterant terſius loqui, ſed quædam certe minus ſordide potuiſſent dicere. Nam ſimul ignorari cœperunt linguæ, continuo quod intellectum non eſt deſiit in pretio eſſe, & poſt paulum ignominiæ, ac dedecori duci apud eos, quos pudebat & neſcire, & ab aliis doceri: pigebat tamen in curam ſe & laborem dare: quocirca operam ea in re noluerunt ponere, quæ cum deſuetudine facta eſſet obſcura & perdifficilis: tum nihil utilitatis allatura videretur præſenti exercitamento artium, imo vero cum probro, & deriſu omnium diſceretur. Nam quando de linguis deſperaverant, tum auditores ſuos, ad omnia, quæ traderentur, ſequaces tum populum minime repugnantem in eam opinionem adduxerunt, ut cultu illo, atque ornatu ſermonis magnæ atque excellentes artes tradi non poſſe haberent perſuaſum, quicquid ſic diceretur eſſe Grammaticam, quicquid ſuo illo more fœde ac ſordide, id demum eſſe ex diſciplinis altiſſimis, ac præcellentibus. Quoties illud mihi *Johannes Dullardus* ingeſſit? *quanto eris melior Grammaticus, tanto pejor Dialecticus, & Theologus:* quaſi vero non ſit Latinus, & Græcus ſermo multo quam ipſorum balbiſſima barbaries facundior, & copioſior, & non maximi viri de artibus omnibus quanto quam nunc accuratius, & rectius puriſſimo ſcripſerint ſermone. Sed haud dubie nova prodigia, *quidificatio*, *realitas*, *identificatio*, *quiditative*, *ecceitas*, & ſimilia vetere elegantia explicari nequeunt: non

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

non capit res tam immundas pannus candidiſſimus . Sed nec illi omnino indubie mentiebantur ; nam illæ artes , quas ipſi ſomniarant, ut a rerum natura , ſic etiam ab omni uſu ſermonis abhorrebant : nova rerum natura fuit illis quærenda , novus ſermo . Ergo ſi quid ex veteribus diſputationum gratia attingebant , partim animo ſemper in quæſtiones vel armandas , vel exarmandas intento , non vacabat quicquam de ſermonis uſu annotare : tum quod viderent non facere ad eam ſpem laudis , quam ipſi captabant , ut ingenioſi eſſe ac docti crederentur . Nam qui paulum ab ſcholaſticis illis exercitamentis abſceſſerant , ſecretorum ſtudiorum fructu , atque oblectamentis contenti, diligentiſſime cultum orationis affectarunt : ut Beda , ut Bernardus , Hugo s. Victoris , Ricardus item s. Victoris , Robertus Tuicenſis , Gerſon , Cuſanus , Simon Caſſianus , Alcuinus , Rabanus , id genus alii , non tamen plus aſſecuti vitio ſeculi : quippe adeo ſunt procedente tempore obſcurata omnia , ut jam quum vel maxime cuperent , neſcirent tamen quid in tantis tenebris ſequerentur . Ita putantes ligonem ſumere , arripiebant penicillum , & ciſtam pro arca : ut nec hi recentiores , qui a Laurentio Valla ad hanc ætatem fuerunt , quum ſumma ſint in revocanda Latina lingua uſi diligentia , nondum tamen diſtinguere potuerint verba , quæ urbana , quæ ruſtica , quæ germane Romana , quæ peregrina , quæ per jocum detorta . Neque urbanus eſt ſermo , quicquid in Bucolicis Virgilii , de quibus eſt illud , *noſtri ſic rare loquuntur* . Nec quæ apud Theocritum , qui magis etiam quam Virgilius paſtoriciam ruditatem in loquendo expreſſit . Nec omnia ſic a ſervis , quos Plautus inducit , dicta , ut ſenatores loquebantur . Riſus cauſa multa inverſa . Sed tantæ in linguas & tam denſæ incubuerunt tenebræ , ut deprehendi iſta nondum potuerint . Ad hæc quomodo potuit vel ab ipſis artis profeſſoribus ſedulo , & pro dignitate Grammatica tractari , quum illi quoque ipſi probro ducerent Grammaticos vocari ſe ? An poteſt recte munus aliquod adminiſtrari , niſi ab eo , qui illo & delectatur , & gloriatur tanquam ſibi decori futuro ? Amiſſis vocabulorum veris ac genuinis ſignificatibus , tum etiam ratione conjunctionum , atque idiomatis linguæ , neceſſe fuit primum judicium

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

cium funditus tolli : illud dico judicium a Grammaticis uſurpari, & eis omnium ſententia merito concedi ſolitum. Hinc exegeticen Grammaticam amiſimus: methodicen vero clauſis Donato, Priſciano, Capro, Phoca, Diomede, & reliquis veteribus invaſerunt, qui quum de ſermone Latino præciperent, eas ipſas præceptiones barbare tradebant, ut Alexander Gallus: & quia expoſitionem vocabulorum qualemcunque, aliquam certe oportebat ſcholis perhiberi, Donato, Servio, Acroni, Porphyrioni, Feſto, Varroni, Marcello, & hujus notæ ſucceſſerunt Hugutio, Papias, Catholicon, Brachylogus, Græciſmus, Johannes de Gharlandia, & alia ridicula nomina, quæ docerent ſuam quiſque patriam barbariem, non Latinam linguam. Nec ſatis illis fuit hæc ignoraſſe, & ab eorum cognitione arcuiſſe alios pro virili parte ſua; etiam infamarunt teterrimi criminis, ne quis vellet propius accedere metu contagii. *Ajunt linguas errorum eſſe quoddam velut ſeminarium*. Primum, non puto eos id ſentire de linguis omnibus: nam & ipſi iidem, qui hæc dicunt, tametſi ſpurcam, obſcœnam, diſtortam, balbam, vitioſiſſimam linguam, tamen habent aliquam, fontes totius ſapientiæ & Mundi oracula. At linguæ excultæ ajunt atque elegantes. At ipſi admirantur, ac ſuſpiciunt concionatorem in patria ſua lingua facundum & exercitatum. Latina, inquiunt, & Græca. Quid meruerunt miſeræ? ſed hoc quî conſtat, quum ipſi videri velint Latine loqui ſe, & quidem accuratius Latina intelligere, quam illi, quos ipſi vocant linguarum profeſſores, ut Hieronymum, Ambroſium, Hilarium, Auguſtinum, & veteres Juriſconſultos, qui omnes Latiniſſime ſcripſerunt. Quid ergo ſi intelligas linguas? non potes eſſe hæreticus? eris, ſi loquare? ceu vero in ſermone ſita ſit hæreſis, & non in intelligentia: an ideo erit fons culpandus, ſi liquidior fluat, & purior? Deinde cur potius vera & exacta Latina hæreſes adferet, quam corrupta & neglecta? quaſi non omnes pene hæreſes e pravo ſanctarum literarum intellectu naſcantur: quod neceſſe eſt iis contingere, qui linguas eas ignorant, quibus Scripturæ ſunt proditæ. Mirum ni Baſilius, & Gregorius Nazianzenus, & Chryſoſtomus, quanto Ario eloquentiores fuerunt, tanto hæreticiores exiſtimentur: tum Hieronymus hæ-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

hæreticus ſit, qui Latinos, Græcos, Hebræos, Chaldæos Scriptores plures evolvit, accuratius excuſſit, quam eorum qui poſt eum quiſquam : nempe homo ſumma induſtria præditus, indefatigabili ſtudio & longa vita uſus . Vigilantius vero, Jovinianus, Ruffinus catholici, qui minus Græce ac Latine, quam ille, noverant, & quos Hieronymus velut linguarum imperitos infectatur, tanquam errores ex ignorantia hauſerint: & revera ita erat: nam ut de aliis taceam, Vigilantius, ſi ſciviſſet, qui vocarentur Hebraice *fratres*, & vim illarum vocum noviſſet, *primogenitus*, & *antequam*, non illa adverſus puritatem ſacræ virginis deblateraſſet. At docti ſunt Græci, ac Latini ſermonis Lutherani, & Lutherus ipſe, quos Pontifex Romanus, & academiarum conſenſus damnavit. Auditis dialecticorum acumen? Quid, num non etiam Lutherus dialecticus, & ſophiſta, & theologus ſcholaſticus, & quidem magis quam Latinus? nam Græce nihil penitus noverat, quum ad ſcribendum acceſſit, Latine parum admodum: & quæ tuenda ſuſceperat, dialectica, & argumentatiunculis tutatus eſt, non linguis. Sed fac habere linguas. An quicquid vir malus habet, protinus malum eſt? nec unde venenum quidem ſumit: nam viperæ & ſerpentes eiſdem herbis victitant, quibus oves: eæ tamen in bonum, & ſalutarem ſuccum convertunt eſcam; illæ in virus malum & mortiferum. Panis ſalubris eſt ſano: ægro noxius. An aliunde hæreſes ſuas cœperunt hæretici, quam ex dictis myſticorum librorum, ſed quæ inſcitia & arrogantia ſua depravarunt, dum malunt illa ad ſuam opinionem detorquere, quam mentem ſuam illis accommodare? Cur quum damnati ſunt Viclevus, & Johannes Hus, non etiam damnarunt ſophiſticam, cujus illi erant callentiſſimi? videlicet hanc omnes norant, linguas non norant. Sed quid in re nulli ignorata immoramur? Lutherani ſunt Pomeranus, & Lambertus, an non magis Latini rex Angliæ, Roffenſis, Ruſeus, Latomus, Clichtoveus, & in eadem Germania Moſellanus, Joannes, Faber, Capito, Eccius? Contra Lutherum Eraſmus, & Longolius ſcripſerunt, & contra Eraſmum Lutherus. An non his Lutherani omnes in oratione concedunt? Tam abeſt ab omni hæreſi Budæus, quam dulce ab amaro. Vivit ne quiſquam ho-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

hodie utriuſque linguæ callentior? Quid huc adferam Alexandrum, Tonſtallum, Morum, Sadoletum, Bembum, Laſcarem, Brixium, tot philoſophos, tot theologos linguarum peritos, quîs omnibus atrociſſima fit injuria, ſi cognitio puriorum linguarum ſeminarium hæreſeon exiſtimetur. Quid illi ipſi, qui linguas inſectantur, quam jactarent eas paſſim, quam oſtentarent, ſi vel intra mediocritatem haberent: quantopere affectant, & non ſolum eleganter volunt dicere: ſed ſi vocabulum unum ſunt nacti paulo terſius, illud tanquam gemmam in pileo, in digito ubique monſtrant atque ingerunt oculis: ergo quod habere tantopere concupiſcunt, quia non habent, damnant; ſi haberent, vehementer de eo gloriarentur. Cedo vero, eſt in ſtudio vocum hæreſis, an ſtudio rerum? utrum eſt in voce hæreſis, an in re? Stultum eſt in voce dicere: eſt ergo in ſenſu & re. Atqui res & ſenſa non ſunt linguæ. Dicet aliquis, eſt in iis ſenſis, quæ linguis ſunt tradita. Age quorum authorum, Gentilium, an Chriſtianorum, an hæreticorum? Gentiles ſi anſam dant hæreſeos, pejus faciunt qui, Ariſtotelem, qui Porphyrium, qui Averroëm tanto ſtudio evolvunt, quam qui Ciceronem, Livium, Quintilianum, Virgilium, & ejuſmodi. Quæſo unde paratior errorum materia, utrum ex diſputatione de anima Ariſtotelis, Averrois, Alexandri Aphrodiſæi, an ex univerſis poëtis, & oratoribus? ne quid dicam, quam eſt in Ethicis, in Politicis Ariſtoteles impius. A Chriſtianis vero nefas eſt dicere inſtillari hæreſes ſive Latini ſint, ſeu Græci, quorum omnium ſcripta, & ſententias, quomodo poſſunt, conantur cognoſcere linguarum inimici. At hæreticorum libri nulli ſunt, & ſi qui ſunt, eos ſtudioſi linguarum magis theologis legendos concedunt, quam ipſi attingunt: mavult enim Latino, aut Græco ſermoni deditus, quid Cicero aut Demoſthenes dicat, & quemadmodum ſcrutari, quam quid Johannes Viclevus, cujus libros ne inſpiciat quidem, etiam magno pretio invitatus. Quid? nolunt legi proceres artium, & diſciplinarum omnium, philoſophiæ, Platonem & Ariſtotelem: medicinæ, Hippocratem, & Galenum: Juris, illos veteres Pandectarum, aut Cæſarum reſcripta: theologiæ, Ciprianum, Baſilium, Chryſoſtomum, Hieronymum, Auguſtinum, Am-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Ambroſium , Hilarium . Atqui omnes hi ſine linguarum ope intelligi nullo modo poſſunt . Cur damnant linguas ? cur iis , quibus bene eos oportet cupere , tantum bonum invident? Si quando aliquem ex iis ſcriptoribus , quos modo nominavi , legunt , quod fit raro , & ſero ; ſed quum fit tamen , tum deprehendunt , quanta luce ad intelligentiam authorum careant , qui a linguis ſunt deſtituti , ac inopes . Profecto oportet eos eſſe praviſſimos ac impios , qui quod ipſi ſint cæci , nec alios communi hac luce patiantur frui . Enimvero non tam ego de illis male ſentio, quamlibet ſint imperiti , & ex eis nonnulli ſtupidi , ut credam hæc ipſos non aſſequi . Sed hoc eorum animos urit acriter , quod vident adventu linguarum non parum dignitati , & gloriæ eorum detrahi , qui tam neceſſaria eruditionis parte carent . Ideo linguas rem inviſam ſibi conantur cum hæreſibus conjungere , re omnibus meritiſſimo inviſa , quum natura & re ſint disjunctiſſimæ , quod vel pueri ipſi non ignorant . Nec ipſi ſane Latinæ linguæ calumniatores parum ei debent . Nam quum alia permulta , tum hæc ipſa , quæ de linguis latrant , ſi vulgari aliquo ſermone dicerent , exploderentur a populo , & ejicerentur : quia tamen facie aliqua Latini ſermonis balbutiunt , non ferun-tur modo , ſed etiam adorantur a multitudine , quæ credit non aliud Latina lingua contineri , quam mera myſteria . Jam vero mirum ſi altercationes & rixæ hanc ſtudiorum partem quietam reliquerunt : minime gentium .

Sed quæſtiunculæ illæ vere Grammaticæ de cognitione antiquitatum , de fabula , de hiſtoriola , de loco alicujus Scriptoris , de voce , de proprietate ſermonis , de ratione carminis , parum ſunt viſæ aptæ ad ſuppeditandam altercationi contentioſam materiam . Nam ſi quæras quis confecerit primum Punicum bellum , aut quo primum appulerit Æneas poſt tempeſtates , aut quid ſit vitiligator apud Plinium & Catonem : ſi recte ille reſponderit , ad aliam quæſtionem eſt tibi tranſeundum : ſin ſecus , adducta boni Scriptoris ſententia & authoritate corrigendus . At iſti in eadem quæſtione volunt diu litigari : cedere melius dicenti , aut ad aliud differendi argumentum tranſire turpe , tanquam torpidi & rudis ſit ingenii non invenire quod in eodem cavilleris : ſtatim conclamant , *ad rem* , imo vero

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

in rem , & præter rem . Ergo ex aliis artibus pertracta ſunt in Grammaticam prolixioris rixæ & incitamenta & fomenta : quod non facile modo fuit factu philoſophis, & theologis, qui occuparunt ludos literarios, ut ex ſuis concertationibus aliquid in prima hæc rudimenta derivarent, ſed etiam neceſſarium iis , qui alia omnia præter rixoſa hæc , neſcirent. Ex dialectica ſumpſerunt definitionum & diviſionum rationes , argumentationes , majorem , minorem , concluſionem , conſequentias . Unde ſunt quæſtiones ſuper Donatum , & Gloſſa notabilis cum argumentis , & manulis , & alia jucundiora , dictu , quam lectu . Tum ex metaphyſicis realitates , formalitates , entitates , de modo ſignificandi vocum : de quo ſcripſerunt Scotus , & Albertus Saxo : & libellus Boëthi , tam illius , quam cui titulus eſt De ſcholarium diſciplina : qua re nullam ego in univerſa artium omnium corruptela ineptiorem, aut ſtultam magis excogitatam unquam eſſe arbitror . Ut quæratur cur nomen hoc maſculinum ſit , illud neutrum , hoc verbum activum , illud deponens . Ceu vero non idem nomen apud Græcos maſculinum ſit apud Latinos femineum ant neutrum . Idem verbum Græcis activum , Latinis deponens aut neutrum : & diverſæ voces ejuſdem ſignificatus in eadem lingua genera , & inflexiones habeant diverſas , & alia pene infinita . Scilicet neceſſariæ erant amœnæ aliquæ digreſſiones aſſecutis penitus , quicquid de grammatica arte , & Latino ſermone poterat diſci : ingenia bonorum authorum lectione defeſſa reparanda erant jucundis diverticulis . Sed quum jam Latina lingua prope tota interiſſet , viderentque plauſibile , & venerandum , magnique ad opinionem ingentis eruditionis momenti horrenda barbarie , & ſolœciſmis orationem conſpurcare , unuſquiſque ad exprimendum , quod volebat , verbum de ſermone vernaculo mutuabatur , alias quod decorum crederetur , ſi quam peſſime Latine loqueretur , alias quod expeditius : interdum quoque quod meliore quidem voce non carebat quidem , ſed non eſſet intellecta . Itaque malebant aliqui juxta vetus dictum imperitius loqui , modo apertius , nata eſt hinc barbaries non una , ſicut una erat Latina lingua , verum ſua cuique nationi & genti . Aliam ex ſuo vernaculo invexit Hiſpanus , aliam Italus , aliam Gallus ,

aliam

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

aliam Germanus, aliam Britannus, nec hi mutuo intelligebant. Cognitioni grammatices adjuncta est poëtarum, & historicorum enarratio, atque interpretatio. Poësis oratio est certæ cuidam legi numerorum adstricta, in qua non solum est pedum alligatio, sed etiam rhythmus, & concentus quidam harmonicus, quo audientium aures capiuntur, & demulcentur animi. Apparet quæsitum esse delinimentum hoc, ut si quid vellent altius in auditorum pectus demitti, & tenacius affligi memoriæ, hoc lenocinio delectationis facile consequerentur. Nam & libentius in animos admittimus, quæ sic delectant, & numeris devincta, atque alligata magis recordamur. Itaque primis & vetustis carminibus laudes sunt decantatæ Dei immortalis a Mose, & Davide Rege Israëlis: & apud Gentiles deorum responsa carminibus sunt edita, quorum oporteret quam diutissime recordari. Quocirca condimentum hoc rebus profuturis tantopere conducibile, quum ad res minime est profuturas translatum, apparet ex suo loco in alienum admodum invitum, ac coactum demigrasse: hoc asperserunt res leves, ac noxias, & tanquam melle venenum intinxerunt. Primi illi Gentium poëtæ Amphion, Orpheus, Linus, Museus, Thamyras, & eos sequuti Phemius, Homerus, Hesiodus carminibus, & cantu dulcissimo genealogias & acta persecuti sunt perditorum hominum, regulorum, pastorum, denique illorum omnium, quibus rudis vetustas vel ob inventionem falcis, aut rotulæ, aras & templa erigebat, & honores tribuebat uni Deo immortali debitos. Hinc eorum peregrinationes, nuptias, convivia, venationes, navigationes, quæ omnia, quum narrant, mireris vel eorum patientiam, qui tam diu sustinere potuerint de rebus usque adeo leviculis cogitare, vel auditorum lectorumve quos longæ adeo fabulæ de re nihil tædium non cœperit. Huccine cantus illi musici erant quæsiti? ut homines libenter audirent cœnatos nescio quos, aut venatos aprum, quem prima ferierit puella venatrix, aut Herculem duos occidisse tauros, ex quibus sibi & comitibus cœnam struxerit. Jam pergunt in gestis illorum, quos populus pro diis habet, colitque: narrant eorum bella, parricidia, adulteria, expulsiones parentum, fraudes, impietates, scelera capitalia & nefanda. At de

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

quibus hæc? nempe de iis, quos imitari nos quatenus liceat, fas juſque ſit, ita ut nullum in civitate admitti vel flagitium poſſit, vel malum facinus, cujus non homines deum aliquem habeant authorem, & exemplum, quo non modo ſe tueantur, verum etiam ad illud incitentur atque inflammentur. An non in theatro Gentilium, & quibus erat deum atque hominum pater Jupiter, audet hiſtrio perſona adoleſcentis magno cum plauſu dicere: *Deum ſeſe in hominem convertiſſe, atque per alienas tegulas veniſſe clanculum, per impluvium ſucum factum mulieri?* At quem deum? *qui templa ſumma ſonitu concutit. Ego homuncio hoc non facerem? ego vero illud ita feci, ac lubens.* Reſpondeat totum theatrum pro ſuo Jove, purget deum, damnet hominem: quomodo id faciat, non inveniet. Si inter eos ſedebat Lælius aliquis, aut Galba, aut Gracchus, aut quiſquam illius ævi orator, ſurgat, dicat colorem aliquem pro ſuo deorum rege. Quocirca graviſſimus philoſophus Plato non poëſin ex illa civitate exegit, quam condebat, hominum bonorum, ſed ejuſmodi poëmata & poëtas. Quid? de deorum providentia, de præmiis bonorum, de malorum ſuppliciis ea dicunt, quæ expoſita ſint irriſioni omnium. Lucianus ſophiſta ex placitis Epicureæ ſuæ ſectæ, omnes Gentilium deos, eorum facinora, actiones, ſacra & religionem naſo ſuſpendit: nihil facit magnum: vel vetula quævis delira tales deos irrideat, ac contemnat. Trahunt quidam illorum fabulas ad interpretationem quandam naturalem, ut Stoici. Alii ad moralem, ſed ita quemadmodum omnes Græcæ, Romanæ, Barbaræ hiſtoriæ poſſent torqueri. Eo deducunt eorum dicta, quo ipſi pertinere nunquam ſunt ſuſpicati: non aliter quam quod Donatus grammaticus facit in explicatione conſiliorum Terentii. Sunt ſcilicet hæc Poëtarum figmenta ſenſus ſpiritus divini, qui unus capit omnes quotquot venire univerſis hominibus in mentem poſſunt. Landinus adeo Virgilii Poëſim ad mores, & naturæ cauſas trahit, ut non ſolum abſolutum eum philoſophum, verum etiam Chriſtianum fuiſſe contendat. Homerum Græci non philoſophum tantum, ſed omnium quoque ſectarum, & initia omnibus dediſſe, Jonicis, Italicis, Platonicis, Peripateticis, Stoicis, Epicuræis, Academicis. Scite Seneca: *Apparet nihil horum eſſe*

in

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

in illo, *quia insunt omnia*. Plato sententiam suam aperte ponit in Phædro, & quidem Socratis personæ assignatam. Si quis, inquit, fabulis poëticis non habens fidem ad convenientem sensum velit traducere, tanquam rusticana quapiam fretus sapientia, otio nimirum magnopere indigebit. Sed Stoici & quidam veterum philosophorum prudentissime ad altiores sensus traduxerunt Homeri dicta, ut frequenta ad vulgum tanta authoritate, ac fide minus læderent. Quanto sapientius quam nostri, qui ea, quibus vident multum a plerisque tribui fidei, malunt premere quam leniter ad se deflectere. Sed istud aliorsum, & altius pertinet, de quo dicemus aliquando. Descendunt jam a diis ad homines. Quid aliud sunt de hominibus dicturi, quam dixerant de diis? nefas est meliores homines facere, quam deos. Bella & sævitias deorum, & amores, & divitias, & fraudes, & versutias cecinerant. Tales effinxerunt homines maxima laude dignos, quales deos summos: acutissime isthuc quidem. Quænam enim inveniri poterat laus amplior, quam esse diis immortalibus longe simillimum? Ego vero homuncio id non facerem? ego vero id feci, ac lubens. Canuntur & concelebrantur ab eis ultiones, bella, & exempla omnia crudelitatis. Homero imago optimi principis expressa est in Achille, quo nullus fuit trunculentior, aut inhumanior. Imago sapientis in Ulysse, quo nullus fuit fraudulentior, aut mendacior. Admirantur potentiam, regnum, opes, adulantur eis, pares faciunt deo, qui his sunt præditi. Quid illi qui vel suos, vel alienos sunt amores persecuti? quanta peste pueritiæ atque adolescentiæ animos consauciarunt? Quid enim aliud sunt cordi adolescentis amatoriæ narrationes, quam flamma stupis proxima? ipsæ per se attrahunt, atque incendunt; de quibus Menander sentit, cujus versiculum Paulus Apostolus ore suo consecravit: *Corrumpunt mores probos collocutiones improbæ*. Atqui omnia de libidine, de sævitie, de inani gloria, de fraudibus non dicta sunt ruditer, atque impolite, sed exculta, exornata, ut etiam absque omni rei ipsius illectamento verba ipsa per se arriderent, atque adblandirentur. Quid vero in illis rebus, quas ultro malitia nostra expetit? quas audire, quas videre gestit, quas omnibus sensibus usurpare, ad quas toto impetu fertur? Res sine ver-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

bis invitaſſent, & attraxiſſent: verba ſine rebus ad ſe pellexiſſent : dulci veneno dulce additum eſt condimentum, in quo gemina accepta eſt calamitas, & quod abjecerunt occaſionem tantarum utilitatum, ſi illa numerorum ſuavitate, atque elegantia orationis res optimas audientium mentibus inſtituiſſent commendare, & quod teneros animos, & in quidvis flexibiles rebus peſſimis infecerunt. Iſtis ne tandem rebus parati ſunt numeri tantæ melodiæ, ut melius humanis animis mala commendentur? Iſtis canendis aſſecuti ſunt Poëtæ, ut divini vates nominarentur, ut ſancti, ut pii, ut audeat dicere ille Ovidius Naſo:

Eſt deus in nobis, agitante caleſcimus illo.
Sedibus æthereis ſpiritus ille venit.
Eſt deus in nobis, ſunt & commercia cœli.

Quæſo te, Publi Naſo, quando? quum doces quomodo puella ſit expugnanda, an quum epinicion cantas de expugnata? An ne quia finxit hæc Homerus & tranſtulit ad deos hominum ineptias, levitates, malitiam, ſcelera, dictus eſt ingeniorum parens? quanto ille aptius, qui nugarum parentem nominavit: & Eratoſthenes, qui poëſin anile nugamentum nuncupabat? Et tamen conſuetudo hæc legendi ac ſcribendi in eam opinionem homines adduxit, ut jam non exiſtimetur poëma, niſi de vitiis canat: Ita in poëſin tanquam in ſentinam quandam vitia omnia confluxerunt, ac recepta ſunt. Lex carminum hæc eſt a Catullo lata: Solonem aut Lycurgum dicas, aut ſi quis fuit iſtis ſanctior:

Nam caſtum eſſe decet pium poëtam
Ipſum, verſiculos nihil neceſſe eſt.
Qui tum denique habent ſalem, & leporem,
Si ſunt molliculi, & parum pudici.

Quaſi vero caſtus poëta eſſe poſſit, quum in libidinem eſt immerſus, de libidine cogitat, libidinem meditatur, ſcribit, cantillat. Plato in Phædone poëtam ait oportere fingere, ſi ſit futurus poëta: idem Plutarchus. Ariſtoteles etiam de rebus magnis & ſeriis Scriptorem, non poëtam nominari perhibet: ſed aliud quiddam, ut Empedoclem. Eſt ne magis quiddam quam de Deo canere? atqui poëtarum eſt hymnos componere. Cur orationis ſuavitate vel nugas condierit poëta, vel res malas, magnas autem &

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

& præſtantes non poterit, quas volet memoriæ quam diutiſſime mandari? Jam vero cur vera non canet poëta ut falſa? An non ſatius eſt dulcedinem veritati, quam mendacio ineſſe? Canit Virgilius res commentitias de Ænea, canit res veras de Romanis in VI. & VIII. Cur minus hic quam alibi poëta? An non in Georgicis poëta, & quidem melior, quam in Bucolicis? At vero quoties in illo opere ad fabellam digreditur, ſtatim adeſt Servius, qui ſummoneat nos, Virgilium non oblivifci ſe eſſe poëtam, hoc eſt nugatorem. Quum vera Anneus Lucanus canat, ſcriptum eſt de illo diſtichon:

Sunt quidam, qui me credant non eſſe poëtam,
Sed qui me vendit bibliopola putat.

Quaſi vero materia diſtinguatur ab aliis poëta & non oratione. Quod ſi omnino poëta is demum eſt, qui mendacia verſu concelebrat, valeat poëſis. Quid mihi mendacium, & vitia, ad quæ feror proclivis? etiam ſuavitate & blanditiis carminis inſtillas, ut medullis vel non ſentienti affigantur? Quid me in Sirenes præcipitas, quæ cantus dulcedine deceptum interficiunt? male profecto iſti merentur de arte poëtica, quam tantis laudibus in cœlum tollunt, ſi unicum illi opus tribuunt nugari. Hactenus quidem rerum corruptela. Jam verborum, quæ per recentiores contigit. Nam ut craſſi illi victores, qui ſe, ut tempeſtas quædam a Septentrione in Occidentem effuderunt, non magis harmoniam, & concentum illum Græci, ac Romani metri capiebant, quam aſinus lyram, aut Midas Apollinis melodiam, ut eſt in fabulis: ad permulcendas aſininas illas aures omiſſo rhythmo & proportione longorum ac brevium, ſimiliter cadentibus & deſinentibus fuit opus, alioqui non magis metrum cenſuras, quam orationem numeris ſolutam. Nam diſcrimen omne brevium, & longarum ſyllabarum prorſum amiſerant, quod acuta illa Romani, aut Græci populi auris facile dijudicabat. Hinc vulgares omnes per Europam linguæ non aliud habent metri genus: translatum hoc eſt ad Latinum ſermonem, & diverſi excogitati concentus, ut fines ſimiliter deſinerent, ut media cum finibus, ut media inter ſe, fines inter ſe, quorum ſingulis ſunt ſua nomina, caudati, leonini, & alia quæ ſatius erit non commemorari. Sed bel-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

belle in ſua barbarie luſerunt deploratis illis melioribus, tanquam ita eſſet de rebus humanis actum, ut nullius felicioris, quod ad literas pertinet, ſeculi ſpes ulla foret reliqua.

Venit in ſcenam poëſis populo ad ſpectandum congregato, & ibi ſicut pictor tabulam proponit multitudini ſpectandam, ita poëta imaginem quandam vitæ: ut merito Plutarchus de his dixerit, *poëma eſſe picturam loquentem, & picturam poëma tacens* ita magiſter eſt populi; & pictor, & poëta. Corrupta eſt hæc ars, quod ab inſectatione flagitiorum, & ſcelerum tranſiit ad obſequium pravæ affectionis, ut quemcunque odiſſet poëta, in eum linguæ ac ſtyli intemperantia abuteretur. Cui injuriæ atque inſolentiæ itum eſt obviam, primum a divitibus potentia ſua, & opibus: hinc legibus, quibus cavebatur, ne quis in alium noxium carmen pangeret. Tum involucris cœpit tegi fabula: paulatim res tota ad ludicra, & in vulgum plauſibilia eſt tradućta, ad amores, ad fraudes meretricum, ad perjuria lenonis, ad militis ferociam & glorias: quæ quum dicerentur cuneis refertis puerorum, puellarum, mulierum, turba opificum hominum, & rudium, mirum quam vitiabantur mores civitatis, admonitione illa, & quaſi incitatione ad flagitia: præſertim quum comici ſemper cataſtrophen lætam adderent amoribus, & impudicitiæ. Nam ſi quando addidiſſent triſtes exitus, deterruiſſent ab iis actibus ſpectatores, quibus eventus eſſet paratus acerbiſſimus. In quo ſapientior fuit, qui noſtra lingua ſcripſit *Celeſtinam tragicomœdiam*. Nam progreſſui amorum, & illis gaudiis voluptatis exitum annexuit amariſſimum, nempe amatorum, lenæ, lenonum, caſus, & neces violentas. Neque vero ignorarunt olim fabularum Scriptores turpia eſſe quæ ſcriberent, & moribus juventutis damnoſa. Plautus *Captivos* ſuam fabulam ſic commendat:

Profecto expediet fabulæ huic dare operam.
Non pertractate facta eſt, neque item ut cæteræ:
Nec ſpurcidi inſunt verſus immemorabiles.
Hic neque perjurus leno eſt, nec meretrix mala,
Neque miles glorioſus.

Hanc eo commendas nomine, cur non & alias eundem ad modum componis? Sed ſtatuerant omnino populo ſe ven-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

venditare, & ab illo captabant plauſum. *Poëta quum primum* animum ad ſcribendum appulit,

Id ſibi negotii credidit ſolum dari,
Populo ut placerent quas feciſſet fabulas.

Erat ille populus & ignorantia numinis, & magnitudine opum ac imperii in omne delitiarum ac voluptatum genus profuſus, & projectus: nec aliud ingenti favore excepturus, niſi ea quæ animo ſic imbuto atque inſtituto obſecundarent. Recentiores in linguis vernaculis multo mea quidem ſententia excellunt, veteres in argumento deligendo. Nullæ fere exhibentur nunc publicæ fabulæ, quæ non delectationem utilitate conjungant: quemadmodum iidem recentiores arte ſuperantur a priſcis Poëtis; tametſi nec illi ubique fuerunt artis obſervantes, Ariſtophanem dico, Plautum, Ennium, &, qui omnes dicitur arte viciſſe, Terentium; nam decori ſæpe obliviſcuntur. Sic agunt fabulas, ut videantur agere, quod eſt indecorum: nam fabula non refert ſeipſam, ſed rem geſtam, aut quæ geſta fingitur, ut rem pictura, non ſe. *Sume tibi verbenas ex ara*, inquit Davus apud Terentium: at res Athenis acta exprimebatur, non in ſcena: neque enim in ſcena pepererat Glycerium, ut ejus infantulus involvendus eſſet verbenis aræ Apollinis, aut Bacchi, quæ duæ in ſcena erigebantur, ut Donatus exponit. *Nonne tu dixti mihi eſſe inimicitias inter eos?* ait Simo. Atqui ſcenæ ita erant occupatæ, ut nullus exiſtat locus, in quo id potuerit Davus dicere Simoni. In *Moſtellaria* Plauti nominatur de improviſo quidam, cujus nomen paulo antea dicebat ſe ignorare, qui nominat. Et in *Pœnulo* loquitur Hanno Pœnus: *At ut ſcias nunc, dehinc Latine jam loquar*: quum res fingatur Athenis contigiſſe; nec ſervaſſet decorum, ſi dixiſſet, *Græce loquar*, ſed ſic: *lingua qua tu me intelligas, atque hic juvenis*. Tum in media actione inducit dicentem agi fabulam. Donatus illo Terentii loco, *utinam invenirem unde me præcipitem darem*, ait: *Non poſſe ferrum nominari in comœdia, ne tranſeat in tragœdiam*. Quod ſi verum eſt, non ſemel ex ſocco in cothurnum traſcendit Plautus. Nam in *Pſeudolo* ferrum nominatur: & in *Ciſtellaria* adoleſcens quidam vult ſibi manum adferre gladio armatam. Sed fortaſſis dictum illud Donati eſt ex nimiis illius ſubtilitatibus.

Hi-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Hiſtoria ſequitur, in qua diffinienda parum ei juſtos limites circumdederunt. Alii enim ſequuti etymon hiſtoriam dictam volunt ab ἱστορεῖν, quod eſt *videre*, quaſi viderit quis quæ ſcribat. Alii, ut Cicero, *hiſtoriam finiunt eſſe geſtam rem ab ætatis noſtræ memoria remotam*. Quæ duæ expoſitiones inter ſe pugnant, ita ut quæ Livius de bellis Punicis ſcribit, non ſint prioribus hiſtoria: quæ vero de ſua ætate, non ſit Ciceroni. Ceu vero non queat hiſtoricus res perſequi, quibus ipſe interfuerit. Quid quod ipſe Cicero, quum de hiſtoria ſcribenda deliberaret, primo De legibus ſic diſputat. Q. *A quibus temporibus ſcribendi capiatur exordium. Ego enim ab ultimis cenſeo, quoniam illa ſic ſcripta ſunt, ut ne legantur quidem, ipſe autem ætatis ſuæ memoriam depoſcit, ut ea complectatur, quibus ipſe interfuit.* A. *Ego vero huic potius aſſentior: ſunt enim maximæ res in hac memoria, atque ætate noſtra: tum autem hominis amiciſſimi Cnei Pompeii laudes illuſtrabit: incurret etiam in illum memorabilem annum ſuum, quem ab iſto malo prædicari, quam, ut ajunt, de Romulo & Remo.* Sic Cicero: qui quid ſit hiſtoria, quanto verius ac dilucidius in libro ſecundo De oratore, videlicet opere majoris eruditionis, ac judicii. *Hiſtoria eſt*, inquit, *teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuntia vetuſtatis:* nam quod ab ἱστορεῖν deducitur, hoc valet, ut hiſtoria res ſit viſa, atque ſpectata, quaſi quis dicat geſta. Quum contra fabula ſit quam nemo viderit, quemadmodum Lucianus ait, Cteſian quendam Gnidium de rebus Indicis ſcripſiſſe ea, quæ nec ipſe viderit, nec de alio narrante audierit. Ergo quum *teſtis ſit temporum, & lux veritatis*, prima ejus depravatio fuit admiſceri rebus geſtis mendacia. Initio a Poëtis, qui quod ſolam captarent audientium voluptatem, & aurium quandam titillationem, ea ſola conſectati ſunt, quæ delectarent; quod quum efficere ſe interdum germana rerum veritate non confiderent, & veris miſcuerunt falſa, & ipſa eadem vera alio detorſerunt, ubi plus putarent habitura vel gratiæ vel admirationis. Abuſi ſunt ad eam rem loquendi figuris, metaphoris, allegoriis, amphibologiis, ſimilitudinibus rerum, aut nominum: ut hominem cui eſſet nomen Tauro, taurum bovem eſſe proderent, navem cui aries in-

ſigne,

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſigne, arietem : vellus fulvum , vel aurea ſcobe inſperſum, aureum : excelſum montem, cœlum : partem ſublimem terræ , ſuperos : devexam , inferos. Si quis ſuo periculo alterum e morte liberaſſet , pro illo dicebant montem oppetiſſe : ſphæram aſtrologiæ, dixerunt cælum : montes teretes columnas quibus fulciretur cælum : longam haſtam , cælum tangere : grandem clypeum, turrim . Fuerunt Poëtæ Scriptores antiquiſſimi : tradebant illa rudiſſimis hominibus elegantiſſima , ut illo ſeculo , oratione : tenebant ingenioſos , capiebant tardos : paulatim error traditus per manus , & confirmatus effecit, ut tam occulta veritas, & tot involucris operta , retegi jam & proferri a ſequentibus non poſſet. Phurnutus, & alii non pauci tentarunt veritatem ceu nucleum ex poëticis nucibus elicere, ſed parum feliciter , & mira inter ſe diverſitate . Acceſſerunt confuſiones nominum : multi enim eodem vocati ſunt nomine , ut Hercules , Joves, Saturni, Apollines, Junones : & a Poëtis ſimilitudine morum, aut formæ aptata nomina : ut quemadmodum Romæ multis principibus indita ſunt ſordidorum hominum propter ſimilitudinem nomina , ut patri Pompeii Magni Menogenis coqui . Cornelio Scipioni Serapionis : Lentulo Spintheris . Sic Poëtæ reges vocarunt Joves , ut Plautus inquit : viros robuſtos Hercules : Reginas Junones : ſapientes virgines Minervas . Quo factum eſt, ut quæ alius geſſiſſet , alii attribuerentur : ſicut omnia Herculum geſta , qui ſex eſſe produntur, uni Herculi Thebano : omnia Jovis , qui fuerunt Ciceroni tres , Jovi Cretenſi . Et quum nihil magis faciat ad hiſtoriæ lucem , quam digeſtio temporum per notas quaſdam inſignes ; ante Olympiades omnia prodita ſunt perturbata & obſcura , quod nulla fuit temporum ratio atque annotatio communibus quibuſdam ſignis tanquam luminibus diſtincta & impreſſa : Quemadmodum Varro Terentius ſcribit author inprimis diligens & doctus : alii enim Ægyptiis regibus ſignabant ævum, alii Atticis , alii Sicyoniis : ita ut quid quoque tempore ſit actum confundatur : haud aliter quam priſcæ menſurarum & ponderum rationes propter tantam varietatem ægre ad has noſtras poſſunt conferri : ac ne præſentes quidem inter ſe eadem ipſa de cauſa :

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſa : nec ſolum in poſitione ætatum , ſed in numero etiam annorum uſque ad deriſus eſt in mendaciis progreſſum . Ubi ſexaginta annos hi numerant , illi ſexaginta millia : ubi centum alia ducenta millia , ut in annis Ægyptiis , & Chaldæis , in quibus gentes illæ ſine fronte mentiebantur . Annum hi habebant menſtruum , illi bimeſtrem , hi trimeſtrem , illi quadrimeſtrem , ſemeſtrem , decem menſium , duodecim menſium : aliis unaquæque ſideris converſio erat annus , ut nobis Solis . Et fuit illis nationibus tanta cupiditas patriam ſuam extollendi , præſertim ad exteras nationes , ut vaniſſima commenta non dubitarint impudentiſſime aſſeverare . Ita quod Cicero , & Quintilianus , & Juvenalis *hiſtoriam Græcam* mendaciorum damnat . Commune eſt illis omnibus ad orientem & meridiem nationibus . Quid enim levius in mentiendo quam Ægyptii *ventoſa regio* , ut inquit Hadrianus , *& ad omnem impulſum mobilis ?* Sed Græcos multæ res ad mentiendum in hiſtoria pellexerunt . Primum idem ille patriæ amor , quam putarunt ſe vehementer celebraturos , ſi magnitudine mendaciorum extollerent , & ſe de illa optime mereri . Præter hæc in Græcia ingens fuit excellentium ingeniorum copia , tum dicendi facultas prompta & abundans : quæ ſi ſe intra veritatis limites cohibuiſſet , non valuiſſet ſeipſam ferre tantis viribus luctantem ſecum & erumpere nitentem : ita quam materiam ex rebus non poterant nanciſci , ipſi finxerunt ſibi inuſitatam , raram , immenſam , admirabilem , ſtupendam , in qua ſe vis illa ingenii ac orationis facile exerceret . Sic etiam judicabant ſe magis lectori placituros , quam illos qui nudam eſſent & ſimplicem veritatem perſecuti : præſertim quod viderent ſuperiores occupaſſe laudem veræ narrationis , ſe ſi eadem dicerent fore contemptui , nec lectorem inventuros . Quid quod videbant illa grandia , & tragica , & fabuloſa magis otioſo lectori arridere , magnamque ſibi paraſſe gloriam qui illa ſcripſiſſent , ut Homerum , Heſiodum , Muſæum , Orpheum , & alios priſcos Poëtas . Jam quo minus poſſent redargui , non auſi ſunt de rebus Græcorum mentiri : quandoquidem facile poſſent domi a multis confutari , longe petierunt hiſtoriam in qua tutius mentirentur : res Perſicas , res Ægyptias , res Chal-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Chaldæas desumpserunt sibi, ut Herodotus, quem verius *mendaciorum patrem* dixeris, quam quomodo illum vocant nonnulli, *parentem historiæ*: & Diodorus Siculus, quem nescio cur Plinius dicat desiisse primum apud Græcos nugari, quum nihil sit eo nugacius. An defendit eum titulus, quod libros suos non illecebrosa aliqua nuncupatione invidiosos fecerit, ut priores, sed *bibliothecæ* historiam inscripserit. Alii ad mendacia prolabuntur imprudentes: quod veritatem rei non petunt, unde oportet: sed colligunt ex iis, in quibus raro est eam invenire, nempe ex dissipatis rumoribus, ex epistolis, quæ dum res geruntur. sunt scriptæ, in quibus certiorem amicus amicum reddit non de his quæ sunt gesta, sed quæ ipse audierit: quale est quod Cicero scribit ad Atticum, in Britania nec scrupulum quidem esse auri; id scilicet fama vulgaret primo Cæsaris ad eam trajectu. In laudationibus vel viventium vel mortuorum multa affinguntur, quo major & præstabilior appareat, qui laudatur. Livius ostendit nonnunquam quosdam historicos, secutos funebres orationes, falsa quædam pro veris prodidisse. Explicatius Cicero in claris oratoribus loquens de epitaphiis: *Quamquam*, inquit, *his laudationibus historia rerum nostrarum est facta mendosior. Multa enim scripta sunt in eis, quæ facta non sunt: falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa, & ad plebem transitiones, quum homines humiliores in alienum ejusdem nominis infunderentur genus; ut si ego me a M. Tullio esse dicerem, qui patritius cum Servio Sulpitio consul anno* x. *post exactos reges fuit*. Sic ille. Addunt inter virtutes historiæ esse illam *magistram vitæ*: atqui non raro de levibus rebus scribitur, in quibus nihil sit omnino utilitatis aut fructus: ut de convivio, de venatione aliqua. Sæpe de rebus noxiis, ut de amoribus, ad quorum vel solam commemorationem humanus animus inflammatur non aliter audiendo, quam videndo. Item de ultione ejus, qui læsit prior: quod ut libentissime facimus; etenim versiculo quodam Græco fertur esse dulcissimum; ita etiam cum voluptate quadam audimus, & approbamus. Jam de bellis cum admiratione & commendatione, ut legentis animus ad cupiditatem ejus rei ultro delabatur, quam audit tantopere celebrari, ac extolli. Nec pauci prin-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

principes ad arma, & bellum venerunt, haud alia de cauſa, quam extimulati gloria eorum, qui aliquando vicere. Miltiadis tropæa Themiſtoclem exuſcitabant. Achillis nomen Alexandrum accendit, Alexander Cæſarem, Cæſar permultos. Occidit Cæſar variis præliis C. XCII. M. hominum ſine bellis civilibus. Hæccine aliquis in laudibus ejus ponat, tantam, ut ſapienter inquit Plinius, *injuriam generis humani?* Solvantur diaboli, plures occident. laudabitur vero Julius Cæſar, quod tot hominum millia neci dederit, quum ne uni quidem potuerit vitam dare? Non eſt auſus computare ſanguinem civilem. At ſi quis acute inſpiciat, quid aliud ſunt omnia inter homines bella, quam civilia? Non minore conjunctione devinctus eſt indus Romano, quam Romanus Romano: non raro etiam majore: hoc docet natura, hoc jubet naturæ auctor & magiſter Chriſtus. Additur hiſtoriam eſſe *imaginem veritatis*. Imago ea eſt abſolutiſſima, quæ rem neque majorem reddit, nec minorem, non ut umbræ in ortu & occaſu Solis longiſſimæ, in meridie prope nullæ. Quidam & ſua laudibus in majus auxerunt, & aliena inimica infectatione quantum ipſis licuit depreſſerunt: quorum neutrum eſt hiſtorici, ſed ſingula ſuæ magnitudini ac naturæ relinquere. Invenias apud Scriptores rerum Græcarum ex culice, quod ajunt, factum elephantum Indicum: proponunt nobis tanquam egregium & clariſſimum aliquem ducem, qui ſemel tantum ſit cum hoſtibus congreſſus. Si cogites, quibus eum ornent laudibus, aliquem te lecturum ſperes Alexandro, aut Cæſare aut Pompejo præſtantiorem: prodit aliquis Iphicrates Athenienſis, aut Agis Lacedæmonius, aut Philæpomenes Megapolitanus: non hos vitupero, ſed tot laudibus dico impares: quod Salluſtius perſtringit, dicens: *Athenienſium res geſtas ſua quidem ſententia ſatis amplas fuiſſe ac magnificas, verum aliquanto minores, quam fama feruntur: ſed quia provenere ibi ſcriptorum magna ingenia, per terrarum orbem Athenienſium facta pro maximis celebrantur. Ita eorum qui ea fecere, virtus tanta habetur, quantum verbis potuere extollere præclara ingenia.* Ea vero Græcorum jactantia rerum ſuarum magis aucta eſt & impudentius, poſtquam magnitudo rerum Populi Romani claritatem Græcorum cœpit obſcurare, & quaſi officere lumi-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

luminibus. Tum Græci ne Romanis ſubſtructionibus ſua ædificia opprimerentur, cœperunt & ipſi altius tecta ſua erigere, & granditate verborum, & quum rebus deficiebantur, mendaciis quoque. Scripſit Plutarchus ingens quoddam opus de Vitis illuſtrium Græcorum, & Romanorum, per collationem, & alterum brevius de ſimilitudine rerum Græcarum & Romanarum, quod inſcripſit Parallela. In priore quam iniquæ comparationes? Producit Romanus Marcum Catonem, vel Claudium Marcellum: opponit Græcus Ariſtidem, aut Pelopidam! Producit Romanus Brutium, producit Græcus Dionem. Mirmilliones cum Thracibus comparantur. At in collatione, qui labor, quæ anxietas docti hominis, nec infacundi, ut in pari magnitudine ſimiles oſtendat, vel diſſimiles? Quam trahit breve corium dentibus, ut ſutor? Jam in Parallelis loca quæ ſuſceperat replenda, quando de re ipſa non poteſt, de ſuo implet, ne quid turpiter hians & inane, vel lectorem offendat, vel minorem faciat exiſtimationem rerum Græcarum. Hæc quidem veteres. At vero recentiores homines hanc partem memoriæ, hoc adjumentum prudentiæ pene totum amiſerunt. Si narrant priſca, ut Græca illa aut Romana, aut barbara, ibi mira imperitia hominum, locorum, temporum, & ſine fronte, ſine pudore, mendacia fortiter aſſeverata de iis, quæ prorſum ignorabant. Cujuſmodi ſunt crebra in hiſtoricis libris linguarum vulgarium. Sed in eis quoque, quæ Latinæ exiſtimantur, qualis eſt liber de vitis philoſophorum, qualis de geſtis Romanorum moralizatis: quid erat opus tantis mendaciis? ceu vero moralizationem, quam quærebat, non potuiſſet invenire in veris Romanorum geſtis. Sed fortaſſis hæc, quamvis gravia, tolerabilia fuerint. Quale eſt, in res ſacras hanc quoque licentiam mentiendi irrepſiſſe, ſeu potius aperte eſſe invectam: ut quæ traduntur de lepra Conſtantini & balneo ſanguinis puerilis, de lepra Veſpaſiani, de Gamaliele, de Beronice, de actis Chriſti, & divæ Virginis: clamamus & latramus ad minora, connivemus ad hæc, quæ ſi in manus impiorum hominum veniant, ſanctiſſimam & graviſſimam noſtram pietatem ridiculam illis, & exibilandam reddiderint. Nec in rebus propinquioris memoriæ tradendis ſumus religioſiores. Scribunt

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

bunt Galli Gallica , Itali Italica , Hiſpani Hiſpanica , Germani Germanica , Britanni Britannica , aut alii in gratiam gentis cujuſpiam : putat rerum author in ſe tantum munus ſuſcepiſſe , ut quantum poſſit , gentem illam evehat : non oculum ad veritatem adjicit , ſed ad decus illius nationis : hoc ratus eſſe hiſtoriam ſcribere , ſi quid gens illa præclarum egerit , prodere , dilatare , exornare , extollere : ſi quid turpiter , aut ignominioſe , tegere , elevare , extenuare , defendere , excuſare . Stulti non intelligunt hoc non eſſe hiſtoriam ſcribere , ſed cauſam illius gentis agere , quod patroni eſt , non hiſtorici . Nec in actis ſanctorum Scribendis major eſt veritatis cuſtodia , in quibus omnia oportebat eſſe exacta , & abſoluta . Unuſquiſque eorum acta ſcribebat , ut in quenque erat affectus: ita ut animus hiſtoriam dictaret , non veritas . Quam indigna eſt divis & hominibus Chriſtianis illa ſanctorum hiſtoria , quæ *Legenda aurea* nominatur , quam neſcio cur auream appellent , quum ſcripta ſit ab homine *ferrei oris, plumbei cordis* . Quid fœdius dici poteſt illo libro ? ô quam pudendum eſt nobis Chriſtianis , non eſſe præſtantiſſimos noſtrorum divorum actus verius & accuratius memoriæ mandatos , ſive ad cognitionem , ſive ad imitationem tantæ virtutis , quum de ſuis ducibus , de philoſophis , & ſapientibus hominibus tanta cura Græci & Romani authores perſcripſerint . Sed ſunt aliqui paulo digniores hiſtorici nomine , ut Froſardus Gallus , aut Monſtreletus , aut Philippus Comminius , aut Valera Hiſpanus . At iſti omittunt ſæpe præcipua , & quæ ad exempla , quæ ad rerum uſum conducerent : dicunt de nugis , de rebus leviſſimis : ut in caritate annonæ quanti Abbas quidam triticum vendiderit , aut quomodo proventus monaſterii auxerit : ut in prælio , quomodo miles aliquis gladium amiſerit , aut in pedes deſcenderit , aut in equum aſcenderit celeriter : quemadmodum Lucianus inſectatur hiſtoricum quendam ſui temporis , qui in narratione conflictus ad Europum Syriæ , relicto prælio longam fabulam exorditur de Maſaccha quodam Mauro milite , qui præ ſiti aberraverit , & inciderit in quoſdam agricolas , a quibus prandio eſt exceptus , quorum unus aliquando fuerit in Mauritania , & alia inepta . Jam prudentiæ nihil poſſis illinc

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

illinc haurire: non conciones admiſcent, quas juvet legere, non ſententiam ſuam acute interponunt, non prudenter admonent. Sunt in illis, quos modo nominavi, quidam dialogiſmi & ſermones & admonitiones loquaciſſimæ, & frigidiſſimæ, ut mirer eſſe tam patientem ullum ſtomachum, qui illa poſſit devorare, dumtaxat quod res inſulſæ nullo condimento concinnantur, non eruditionis, non acuminis, aut judicii, non eloquentiæ & ornatus orationis. Equidem haud ignoro ſatis eſſe hiſtoriæ, ſi ſit vera, quæ ut reliqua habeat omnia, ſi veritatem non habet, obtinere nomen ſuum non poteſt. Sed tamen jucunditas orationis detinet lectorem, ut res illas geſtas velit cognoſcere, neque id ſemel. Cui lectio una ſufficit vel Livii, vel Taciti, vel Thucydidis? Quis non authores illos ſæpius ſumit in manus, ſæpius perlegit? At noſtri in illo ſuo Latino ſermone, ſtilo ſunt ſordidiſſimo ac ſpurciſſimo, ſeu nullo potius: neque enim eſt ſtilus incondita illa barbariſmorum & ſolœciſmorum congeries. Si vernaculis ſcribunt linguis, unus eſt totius orationis color fuſcus, & dilutus, unus habitus, ſine ſale, ſine ulla gratia & cultu, tenere ut lectorem dimidium horæ vix poſſit. Idcirco nec eos, niſi homo curioſus, legit, & cognoſcendi temporum cupidus. Qui vero relegant, non inveniunt, ut ſatius ducant libros legere aperte mendaces, & meris nugis refertos, propter aliquod ſtili lenocinium, ut Amadiſum, & Floriſandum Hiſpanos, Lancilotum, & Menſam rotundam Gallicam, Rolandum Italicum: qui libri ab hominibus ſunt otioſis confecti, pleni eo mendaciorum genere, quod nec ad ſciendum quicquam conferat, nec ad bene vel ſentiendum de rebus, vel vivendum, tantum ad inanem quandam, & præſentem titillationem voluptatis: quos legunt tamen homines corruptis ingeniis ab otio, atque indulgentia quadam ſui: non aliter quam delicati quidam ſtomachi, & quibus plurimum eſt indultum, ſaccareis modo, & melleis quibuſdam condituris ſuſtentantur, cibum omnem ſolidum reſpuentes.

LIBRI SECUNDI FINIS.

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

JOHANNIS LUDOVICI VIVIS

DE

CAUSIS CORRUPTARUM ARTIUM

LIBER III.

Qui eſt de Dialectica corrupta.

NUnc de Dialectica diſſeramus. Nam ea eſt, cui ſtatim a grammatica puer committitur: de qua mihi fuſius eſt, & cum cura diſputandum. Quoniam, ut eſt a pleriſque ſordide contrectata, ſeu conculcata verius, multum contraxit ſqualloris, ac ſordium, quam tamen conveniebat longe eſſe puriſſimam, atque integerrimam: nempe aditum, atque inſtrumentum aliorum ſtudiorum, & artium: ex qua depravata non parum aliæ quoque, ut philoſophia, medica ars, & theologia ſunt contaminatæ. In has enim artes plurimum quiſque ex illa puerili inſtitutione transfert. Itaque contigit ei, quod de codicibus dixi primo libro. Nam qui eorum multum fuerunt in manibus hominum imperitorum, hi mendoſiores ad nos venerunt, quam qui in bibliotheca aliqua intacti jacuerunt, ſitu & pulvere operti. Danda eſt ergo major opera, & accuratior, quo repurgetur exactius, præſertim inſtrumentum cæterarum. Nec ſolum novi ejus profeſſores, ſed veteres quoque in locandis finibus, in aſſignando ejus officio, ſunt falſi. Nam Dialectica inter initia ſua, & continuo in ipſis originibus res delicata, & tenera ab imperite tractantibus injuriam accepit: quo magis neſcio culpandi ſint recentiores, qui priorum errorem non animadverterunt, an danda iis venia: quum de acumine, judicio, diligentia, uſu rerum, ac peritia, magna conſpiratione de ſe deſperantes veteribus conceſſerint, tanquam effœta jam Natura, nec ulla meliore in poſterum in-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ingeniorum, aut ſtudiorum ſpe. Sed de antiquis prius loquar. Poſtea de recentioribus, in quibus omnibus tantum attingam rerum fundamenta, & cauſas corruptelæ, more ac inſtituto meo : atque ex iis ea, quæ ſunt omnibus confeſſa : nam opiniones ſunt, præſertim apud Neotericos, infinitæ, & quas nemo vel percenſere valeat. Ergo duas reliquas artes poſuerunt de ſermone. Dialecticam, quam *artem diſſerendi* vocat Cicero, Ariſtoteles logicam; & rhethoricam, quam *artem dicendi* : quarum illa argumentum paucis & brevibus quaſi punctulis colligat : hæc vero dilatet, & accommodet cauſis, *judiciali*, *deliberativæ*, *demonſtrativæ*. Idcirco Zeno Dialecticam manui dicebat eſſe ſimilem contractæ in pugnum, rhetoricen vero eidem manui expanſæ in palmam : ut in hoc velut ſermonis ædificio grammatica cædat ligna, & lapides : Dialectica domum erigat : rhetor condat civitatem. Grammatica uſque ad verborum conjunctionem progrediatur : Dialectica uſque ad argumentationem : rhetorica uſque ad ſermonem, & quod exactius eſt, orationem. Ariſtoteles in libro Topicorum primo de utilitate artis, quam tradit, videlicet de Dialectica differens, ſic inquit: *Illud vero jam ſequitur, ut ad quot, & quæ præſens ſit utile inſtitutum oſtendamus. Eſt enim ad tria, ad exercitationes, ad congreſſus, & ad cognitionem philoſophiæ. Quod exercitamentis, per ſe res indicat : quippe facultatem nacti, facile, quodcunque in manus detur, tractabimus. Ad congreſſus vero : nam eorum, quibus cum agimus in promptu habentes ſententias, non ex alienis cum illis diſſeremus, ſed ex familiaribus ipſorum opinionibus, reprehendentes, quæ parum videbuntur nobis recte dixiſſe. Ad notitiam porro philoſophiæ, nam qui poſſunt in utrumlibet dubitare, iis neutiquam fuerit difficile, quid in quaque re verum ſit perſpicere, quid falſum. Conducit etiam ad origines initiorum uniuſcujuſque diſciplinæ. Quippe ex cujuſque artis primis initiis impoſſibile eſt de iis ipſis aliquid dicere, videlicet quum illa ſint omnium prima. Atqui ex cujuſque probabilius neceſſum eſt de quoque inveſtigare. Hoc vero proprium, & maxime peculiare eſt Dialecticæ : quippe quum inquiſitiva ſit, viam, & rationem habet, qua ad omnium artium origines pertingat.* Hæc Ariſtoteles, bona, ut puto, fide a me

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

verſus, quæ ſunt ei ex Platonis ſententia deſumpta, ut juſtior ſit excuſatio culpæ cum tanto viro conjunctæ, & ignoſcendum ſit ejuſmodi ducem & præceptorem ſecuto. Principio ſi ita eſt, jam non ſolum eſt de ſermone Dialectica, ſed de rebus, & quidem omnibus. Deinde videtur Ariſtoteles ſentire, Dialecticam non habere modo veriſimilium inſtrumentum, ſed copiam domi eorum: quandam, & velut theſaurum. Quod quis non videt nullius artis aut facultatis eſſe, & ſi cujuſquam eſt, id potius altiori cuidam, quæ metaphyſice vocetur, eſſe deferendum? Nec illud ſane reſponſum procederet, habere eam inſtrumentum probabilium per locos argumentorum: nam quid ex illis diſputabit dialecticus de pronuntiato hoc: nota eſt, quæ partes habet nullas. Cicero explicatius quidem, ſed neſcio an plura in artem hanc, quam Ariſtoteles, conjiciat. Nam in Bruto ad hunc modum ait de Servio Sulpitio loquens: *Sic enim, Brute, exiſtimo, juris civilis magnum uſum, & apud Scævolam, & apud multos fuiſſe: artem in hoc uno, quod nunquam effeciſſet ipſius juris ſcientia, niſi eam præterea didiciſſet artem, quæ docet rem univerſam tribuere in partes, latentem explicare diffiniendo, obſcuram explanare interpretando. ambiguam primum videre, deinde diſtinguere, poſtremo habere regulam, qua vera, & falſa judicarentur, & quæ quibus propoſitis eſſent, quæ non eſſent conſequentia. Dialecticam mihi videris dicere. Ita plane.* Hactenus Cicero. In quo id quod Dialecticæ erat præcipuum tradere inſtrumentum inveniendi, omiſit, credo Stoicos ſequutus, qui intra judicandi fines Dialecticam concludunt, & eam finiunt ſcientiam veri, & falſi, & neutrius: at hoc ſecuti diffinire, dividere, obſcuram rem explanare, omnis ſunt artis, non alicujus unius. An enim dialecticus dicet, verum ne, an falſum ſit, *melius civitatem ab uno rege, quam a multis*. Vel hoc: *angulum obtuſum æqualem duobus eſſe, recto & acuto*. Sed nec inſtrumentum habet Dialectica, & ut Cicero vocat, *regulam*. Quænam ars habet regulam, quæ mihi dicat, an verum ſit, *duos angulos acutos conficere unum rectum*, præter geometriam? Neque vero Cicero hoc non videt, ſed ut eſt ſolutus ac liber, & probabilia tanquam aves conſectatur, nuſquam conſiſtit. In Academicis enim quæſtio-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſtionibus ſic loquitur : *Dialecticam inventam eſſe dicitis veri, & falſi quaſi diſceptatricem & judicem. Cujus veri & falſi, & in qua re? In geometria ne quid ſit verum aut falſum dialecticus judicabit? An in literis, an in muſicis? At ea non novit. In philoſophia igitur Sol quantus ſit: quid ad illum? quod ſit ſummum bonum, quid habet, ut queat judicare? Quid igitur judicabit? quæ conjunctio, quæ disjunctio vera ſit, quid ambigue dictum ſit, quid ſequatur quamque rem, quid repugnet.* Tantum Cicero. Nec diffiniendi aut dividendi norma hujus eſt artis, ſed alterius, quæ magis in cognitione rerum verſetur. Ideo recte illi, qui, ſicut Boëthus inquit, cenſuerunt *non eſſe hanc partem philoſophiæ, ſed velut ferramentum, ac ſupellectilem aliarum artium*: nec illud Petrus Hiſpanus indocte diſſimiliter ac ſolet: *Dialectica eſt ars artium*, non excellens inter omnes artes, quod imperiti dicunt, ſed ſicut miniſtra: ideo addit: *ad omnium methodorum principia viam habens*, quod eſt ab Ariſtotele deſumptum in Topicis. Quocirca Plato, quum nihil vellet Dialecticæ ex iis, quæ jam attributa, & quaſi uſu, & diutina poſſeſſione vindicata fuerant, detrahere; videretque illa, quæ poſui, maxima ex parte juris eſſe primæ philoſophiæ, Dialecticam dixit eſſe *ſpeciem quandam, & velut propaginem metaphyſicæ*. Nec Ariſtoteles diſſimulavit, metaphyſicæ eſſe, quæ ad logicam transferrentur, quum in Elenchis, ut dixi, tum quod ſtatim ingreſſum Dialecticæ fecit categorias, & quaſi fundamentum artis ex prima eſt philoſophia mutuatus. Quocirca parum eſt Dialecticæ pro dignitate locus aſſignatus, ut ad eam illico a grammatica puer mitteretur. Quid inveniet, quid dicet de probabilibus, & principiis aliarum artium atque diſciplinarum, cætera, præterquam verborum, aut ad ſummum hiſtoriarum, & carminum, plane rudis, atque utinam horum iſtorum non prorſum inſcius? Hinc videmus tam multa in artem hanc eſſe nugaciſſima commenta infarta, quod aliquid erat loquendum puero rerum omnium ſcitu dignarum experti. Sed antequam ad hæc venio, pergam de priſcis artis authoribus dicere, quorum primum, ut in omni artium humanarum genere, Ariſtotelem merito poſuerim. Nam Platonis etſi magna ſunt in illius o-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

peribus artium omnium ac disciplinarum sparsa semina, & Dialecticæ tota ratio, atque exercitatio in ejus Dialogis eluceat, præceptum tamen nullum fere difertis extat verbis, præter litigiosa quædam in Eutydemo: multo minus Zenonis Eleatis & Parmenidis: ad quos refertur artis inventio. Sed indubie Aristoteles eam in artis faciem reduxit, ut & rhetoricam. Cæterum, quod liceat cum bona venia dicere, præterquam quod more suo obscure, & prolixe, etiam parum apte ad usum vel inveniendi argumenta, vel judicandi argumentationes. Nemo est enim, qui quantumlibet diligenter lecta, & excussa universa Aristotelis logica, sentiat se instrumentum habere, quo in aliqua ad differendum materia argumenta in promtu excogitet. Ejus primus liber, quem statim objectum ingredientibus voluit, est *categoriarum*, hoc est *prædicamentorum*, quæ Quintilianus transfert *elementa*, Capella *prædicationes*: cujus cognitio ac tractatio, ut dixi, altioris est facultatis, nempe primæ philosophiæ: scilicet non ignarus juvenem nihil posse de aliarum artium principiis dicere aut invenire, quæ essent probabilia, nisi eorum notitia imbutus quæ ἐν τοῖς μετὰ τὰ φυσικὰ traderentur: idcirco eadem ipsa eisdem pene verbis in eo repetit opere. Decem facit rerum genera, in qua distributione sive ipse author illius fuerit, sive quis alius Pythagoricus, aut Megarensis, quid secutus sit, equidem non facile dixerim. Neque enim ordinem essentiæ ipsarum rerum, quem nemo percipere, & tenere potest; quum sint rerum essentiæ, vel ipso Aristotele teste, obscuriſſimæ, & procul a cognitione mentis humanæ remotæ. Adhuc enim inter eos, qui operam aliquam in studiis philosophiæ ponunt, ambigitur, quæ vera sint inhærentia a subſtantiis illis, quibus adhærent, non mente, & cogitatione, sed re vera distincta, tametsi non sede, aut loco, quæ contra. Sensuum vero, & cognitionis nostræ ordinem, non est secutus: alioqui primas obtinuissent partes inhærentia, & alia essent disjuncta, quæ connexuit: alia copulasset, quæ disgregavit, nempe quæ sub eundem sensum caderent, aut diversos, tam internos, quam externos. At vero in natura prima sunt *causæ*, *principia*, *elementa simplicia*, tum *agere & pati*: *postrema* omnium *composita*: nec simul sunt *quantitas numeri*, & *quan-*

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

quantitas molis, quum ex hac naſcatur illa: & prior *qualitas*, quam *ad aliquid*: nec *ad aliquid* naturæ eſt, ſed artis, ut *habitus*. Adde quod, ſicut ipſe idem Ariſtoteles in prima philoſophia ſapienter dicit, *mens noſtra non aliter ſe ad Naturæ manifeſtiſſima habet, quam noctuæ oculus ad lumen Solis*. Nec numerum quæſtionum de prima ſubſtantia reſpexit, quum multa quærantur, quæ non ſunt heic connumerata. Ut ſi quis roget, *quomodo ſit Socrates ſublatus?* veneno inquiunt: *cum quo diſputat?* cum Protagora. Jam *heri* & *hodie* de *prima ſubſtantia* non dicuntur: *tempus* vero de illis dicitur, ut *genus* de *ſpeciebus*, & in ea dividitur ut partes. Quid quod quæſtiones confunduntur? Et in confeſſo eſt alia, & ex his, & præter hæc potuiſſe dari genera, tum aliqua poſſe aliis concludi, & comprehendi. Nam permiſta & confuſa eſſe ſua prædicamenta Ariſtoteles non diſſimulavit, quum aliqua ex his, quæ eſſent πρός τι, in qualitate poſuiſſet, & poſitionem, ἐν τοῖς πρός τι, qui ſi categorias tantum collegit magis quam digeſſit, & oſtendit magis quam numeravit, tolerabile eſt eſſe confuſas: quod & nos fecimus in his, quæ indicatione tantum egent, ut in iis ipſis, & argumentorum locis. Et habent genera hæc tantam difficultatem, ut non ſolum adoleſcentulo in manus poſita, & rudi, ſed etiam grandiuſculo, & majore rerum cognitione inſtructo negotium faceſſant: ut nemo facile dixerit, quæ in his decem rerum generibus collocentur, egreſſus quotidiana illa, quæ crebro audit, niſi multum, & ſæpe pertractarit: quod idem ipſe author fatetur in calce capitis περὶ τῶν πρός τι imo vero neſciet, niſi unumquodque norit diffinire, quod eſt infinitum. Sæpe etiam aſſignantur loca pro libito, aut ex levi aliqua conjectura, vel ſuſpiciuncula, traditis ab eo omnibus tam implicate, ut opus ſit paſſim multis ad ſingula interpretatiunculis, imo interdum quoque divinatiunculis, tanquam cuneolis, & commiſſuris, reſciſſuris, & reconcinnationibus, quibus nihil eſt tam alienum, ac abhorrens, quod non eo quo inſtitueris, pertrahas: ut ſi quis quærat, quorum hæc ſint prædicamentorum, gloria, fama, effectus, jusjurandum, ætas, teſtimonium? cujuſve liber? ſubſtantiæ ne? quum conſtet forma, an qualitatis ex quarto ordine? ſi hujus, cur magis quam arbor? Tum ſimi-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

litudo , & paternitas : nam ad aliquid non ſunt , neque enim eſt paternitas filationis paternitas . Atqui ſi ſit patris paternitas , ſic erunt omnia ex genere qualitatis πρός τι : quanquam ſatis multa ponat , ut ſcientiam , virtutem , vitium, adducens non inconvenire genus & ſpeciem eſſe diverſarum categoriarum , quum id tamen diſertis verbis neget in quarto Topicorum . Scio poſſe ad hæc reſponderi . Quid enim in contrarium adfertur tam apertum , ac dilucidum, cui reſponderi non poſſit , præſertim a contentioſo ? ſed illud ab inquiſitore veritatis eſt tacite ſpectandum , quam apte , quam congruenter , quam bene . Jam hæc genera nihil ad diffiniendum juvant , non ad diffinitiones eſſentiales , quum præter unam aut alteram ordinationem prædicamentalem , reliquæ prope ſint ignoratæ propter differentiarum obſcuritatem & penuriam : de qua Ariſtoteles ipſe conqueritur . Nec accidentales cauſarum , inhærentium, partium , nam hæc in hiſce elementis non explicantur . Succedit Categoriis liber Περὶ ἑρμηνείας , id eſt , de interpretatione , quod , ut nomen ipſum ſonat , magna ex parte grammatici eſt potius , quam dialectici officii . Nam cujus eſt dicere , quid nomen ſit , quid verbum , quid pronuntiatum , quid univerſale , quid ſingulare , niſi grammatici ? Quod ſi ars Grammatica tradita jam ante Ariſtotelem fuiſſet , ſuperſediſſet profecto philoſophus acutiſſimus illis de rebus in Dialectica præcipere . Sed quia videbat non oportere illa a dialectico ignorari , quum nullus de iis mentionem feciſſet , non judicavit eſſe prætermittenda . Pronuntiata illa , quibus additur modus , non habent dialecticam, ſed grammaticam quæſtionem : videlicet de ſignificantia illarum vocum ἀναγκαῖον , δυνατὸν , ἀδύνατον , ἐνδεχόμενον : qua voce mire eſt Ariſtoteles delectatus , pro eo , quod poteſt & contignere , & non contignere : quum ſit potius, quod ſolet fieri , quod uſu venit , quod eſt probabile , quod in nobis , inque noſtra facultate eſt ſitum : quod verbo ejus oſtenditur ἐνδέχεται . In hiſce autem modalibus , ſeu affectis vel res ſpectavit : quomodo adverbia omnia modi ſunt , & modales enuntiationes reddunt : quod Boëthus ſubſignificat , ut , Socrates celeriter currit , bene , male . Tum verba , uſu venit , ſolet , congruit . Nam in hiſce omnibus , & infinitis harum ſimilibus , haud ſecus quam

in

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

in illis de *neceſſario* & *impoſſibili*, ambiguum eſſe poteſt, quid *modi* vel *ajentes* ſignificent : vel *negantes*, quæ quibus reſpondeant, & cum quibus recurrant aut non recurrant. Sin in pronuntiata ipſa eſt intuitus, ut eas modales nominaret, quæ temperatæ, & affectæ eſſent modo quodam, qui ipſi pronuntiationi competeret, ut, neceſſario, quaſi neceſſaria enuntiatio, poſſibilis, impoſſibilis: non videtur cauſa, cur quatuor illos ita recenſuerit, quaſi non eſſent alii. Ejus enim ſunt facultatis, & officii, *verum*, *falſum*, *ſcitum*, *opinatum*, quæ Joannes Buridanus, & alii quidam ſcholaſtici in modos referunt, *credibile*, *probabile*, *opinabile*, *certum*, *incertum*. Niſi forte Ariſtoteles pronuntiata ſpectavit ex rebus, non ex nobis. Sed certe in his non plus erat quod eſſet ex Dialectica petendum, quam in aliis, quibus adverbia inſeruntur.

Adduntur volumini Περί ἑρμηνείας duo libri priorum Analyticorum, utiles quidem illi, & magni, atque excellentis ingenii; ſed utilitas hæc obruta eſt primum multis ſupervacaneis adjectis, ut de modalibus, quæ ad rem non magis faciunt, quam cætera adverbia. Nam de illis ſtatuendum eſt ex negatione, affirmatione, univerſalitate, particularitate. *Impoſſibile* non aliud eſt hoc loco, quam *nunquam neceſſario*, quam *ſemper*, *poſſibile*, quam *aliquando*. Tum de *reductionibus* ſyllogiſmorum, de iis, quæ vera ex falſis naſcuntur, quod eſt cui vis ita promptum, ut vix ſit credibile Stoicos acutos homines, & in Dialectica multum verſatos, negaſſe id poſſe fieri. Omnia vero tanta ſubtilitate diſſecat, ut laborioſius ſit inſtrumentum intelligere, quam uſum: ita pulcherrimum organum, & ſupervacaneis oneratum, & in tantas minutias fractum, & conciſum, parum habile utentibus reddidit.

Sequuntur poſteriora Analytica, doctum ſane opus, acutum, & bonarum rerum pleniſſimum. Sed quorſum hæc tam bona? quid ad dialecticum de opinione, de errore, de ignorantia? non hujus ſunt loci, ſed diſputationis de anima. Demonſtratio vero non videtur ad dialecticum pertinere, quum hic probabilia tantum ſpeculetur, & quæ contradictionem patiuntur ex Ariſtotelis ipſius ſententia, demonſtratio vero in certis, & indubitatis verſetur, ut magis id videatur primæ philoſophiæ, quam Dia-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Dialecticæ. Quæ vero de demonſtratione, præterquam quod ſunt involuta & mire intricata, nulli ſunt uſui. Demonſtrationem vult eſſe ex primis, & neceſſariis, ex proximis, ex cauſis. Cedo reſpicis nos, & captum noſtrum, an rerum naturam? Themiſtius, Euphrade Hermolao interprete, ſic ait: *Nec demonſtratio ad naturam ſe ingenii noſtri ſubmittit, ſed rectam tenet ad veritatem viam, nec quid ipſi poſſumus attendit, ſed in ſolam rei naturam incumbit, illam veſtigat, illam explorat, etiamſi nobis ignota, inconſpectaque ſit.* Id ſi ita eſt, quid mihi tua iſta longa, & accurata de demonſtratione confert diſſertio? neque enim ego pro captu naturæ intelligo, ac ne tu quidem, ſed pro meo. Nos ſumus homines, id eſt, ingeniis errori obnoxiis, & infirmis: Natura habet intelligentiam non errantem. Qui ſcio ego, quæ ſint prima, quæ ſine medio, quæ tu vocas ἄμεσις, quæ neceſſaria Naturæ? Quæ ſint mihi talia vix ſcio, nedum ut illa norim Naturæ intima, ad cujus manifeſtiſſima, ut tu ipſe fateris, caligamus. Inanis eſt ergo totadem demonſtratione traditio, & ſine uſu. Sed nec omnino videris oculos in Naturam conjeciſſe, nam immediatas propoſitiones ad nos refers, in quibus nihil ſit opus quenquam edoceri. Quod ſi homines doces, non erit tibi una, & perpetua demonſtratio: aliis enim alia ſunt immediata, & prima: alii veriſimilibus tantum capiuntur: alii nec evidentiſſimis, & de quibus ſenſus teſtificantur, ſatis fidunt, ut Academici. Alii omnia credunt ſenſibus, ut Epicurei: aliis ſufficit authoritas dicentis: alii res ſenſibus expoſitas requirunt. Erit ergo demonſtratio quaſi Lesbia norma, quæ ſe ædificio accommodat, non ſibi ædificium. Jam neceſſaria requiris, id eſt, quæ impoſſibile eſt aliter habere: iſthuc vero quando erit notum, quum omnia univerſalia ex ſingularibus ſint nobis collecta, quæ ſingularia, quum ſint infinita, perſequi omnia non potuimus: at ſi unum deeſt individuum, non conſtat univerſale. Et univerſalia longo uſu comprobata, erant nobis in cœlo, in elementis, quæ vel tempora, vel loci prodiderunt non poſſe in univerſum affirmari. Jam cauſas requiris? & hic quæ nobis tenebræ? quæ quorum ſint cauſæ, qui effectus, neſcimus. Quid agis? ludis ne nos, haud aliter demonſtratio-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

tionem conſtare vis, niſi ex tam raris, tam procul petendis, tam pene impoſſibilibus? facis perinde, ut qui ad morbum graviſſimum, & deploratum medicinam promittunt confectam ex tribus aut quatuor ſimplicibus, quorum unum eſt in India invenire, alterum apud Seres, tertium in Riphæis montibus, quartum in nido phœnicis ex cineribus prioris naſcentis. Quæſo te, profer demonſtrationem unam, verbi cauſa, tanquam ad alias exemplum, quæ conſtet ex veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus, cauſiſque concluſionis: eritne vero illa, quæ eſt in ore totius ſcholæ? omne animal rationale eſt riſibile, omnis homo eſt animal rationale, ergo & riſibilis. Non tam homo eſt per hunc ſyllogiſmum riſibilis, quam ipſa demonſtratio ridicula: ceu vero in propoſitione inſint illa magnifica, vera, neceſſaria, immediata, notiora, priora, cauſæ concluſionis. Cedo vero, quid hic agunt cauſæ? an non etiam effectus demonſtrant eas, & quidem certius, atque efficacius utique nobis: num non alia etiam demonſtrant in duabus illis quæſtionibus, ſit ne, & quid ſit? quas duas ſolum cur poſuerit, neſcio, quum ſint aliæ, de quibus poſſit & quæri, & diſputari, & quatenus licet, demonſtrari etiam, ut de omnibus categoriis.

Poſt utraque Analytica ſequuntur octo libri de locis argumentorum, quæ dicuntur τοπικὰ locos vocant, & ceu theſauros argumentorum, quum ipſi argumentorum nihil habeant: neque enim hi loci ſunt pyxides, quibus continentur pharmaca, ſed pyxidum indices. Opus Ariſtotelis eſt longum, varium: multa ſunt in eo præclara, ſed ita tamen differit, tanquam qui colligit ſparſa, non qui formulas, & præceptiones artis tradit ad uſum aliquem conducibiles. Qua de re jam antea jure queſtus eſt Rodolphus Agricola. Neque enim ex operis illius ſatis juſti lectione quamlibet diligenti, & ſedula, facultatem ſe ullus ſentiet nactum unius argumenti inveniendi. Sunt inquiſitiones, quæ ſint genera, quæ differentiæ, quæ propria, quæ accidentia, quæ diffinitiones loquaces, involutæ, moleſtæ: & quod liceat cum bona tanti viri gratia dicere, nonnunquam etiam ſubineptæ, ſed infrugiferæ prorſum. Neque enim quærit unquam aliquis, quid cujus ſit aut genus, aut ſpecies, aut accidens. Admiſcet, quæ ſunt alie-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

lieniſſima, ut de eligendo, & fugiendo: in quo videtur phyloſophus ſylvam quandam ad communes locos congeſſiſſe, ut ſuos in theſibus exerceret, & quæſtionibus indefinitis. ſed ad inveniendi rationem parum commode. Ex his libris Topicorum ſumpſit Porphyrius, quæ de quinque vocibus compoſuit, opus, ut mea utique ſententia utiliſſimum, ita longe ab utilitate traditum. Prætereo παυτολογίαν, & moleſtiam orationis: de re loquar. Primum in eo locum obtinent quæſtiones, quarum nec numerus eſt ullus, nec ordo certus. Alii alia quærunt, alii prius, alii poſterius, prout eſt cujuſque ingenium, & mentis intelligentia: nos enim reſpiciunt, & noſtrum captum, non naturam. Jam unde ſumuntur quæſtiones hæ, quid eſt, quale eſt, & ea, quæ hiſce reſpondentur? nonne ex vulgo? quod Ariſtoteles fatetur primo Topicorum libro. Atqui ad multa quæſita per quid eſt, qualitatis reſponſum adjungimus: ut quid vides? hominem album armatum, patrem tuum: ut apud Poëtam:

Dic mihi quid feci, niſi non ſapienter amavi?

Et in Propheta: *Quid vides, Amos? trullam cementarii.* Et ad *quale* ποῖον Græci ſubſtantiam ſæpe reddunt: Latini quoque, ut *qualis res eſt homo?* animal ratione præditum: nam & qualitatem compoſitum naturale vocant quidam, ut Cicero in Academicis, ſicut Stoici ποιότητα. Jam vero quid dicunt eſſe prædicari in quid? Ea inquit Porphyrius prædicari in quid, quæcunque convenit eum, qui interrogatus eſt quid eſt aliquid, reddere. Atqui ad hujuſce rei intellectum neceſſe eſt evolviſſe totam philoſophiam, quæ eſt de natura. Neque enim Ariſtoteles ipſe in libris Topicis tot verbis tam alte, tam anxie repetitis, explicare valuit, quid genus eſſet, quid ſpecies, quæ dicantur per quid, & accidens, ac proprium, quæ per quale.

De genere locuturus Porphyrius *patrem*, & *patriam* dicit eſſe *genus*: in qua lingua? In Phœnicia credo. *Et mihi genus ab Jove ſummo eſt*, inquit ille. Et, *genus qui ducis Olympo*: quod & ipſe oſtendit Porphyrius ſuo exemplo: *Sive a parente*, inquit, *ſive a patria. Sic enim Oreſten a Tantalo dicimus habere genus*: Hylum ab Hercule. Rur-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Rurſus *Pindarum genere Thebanum eſſe* : Platonem vero Athenienſem. *Eſt enim patria principium cujuſque generationis*, ut pater. Non dixit Tantalum eſſe Oreſtis genus, aut Thebas Pindari.

Differentiam Porphyrius finit, qua *abundat ſpecies ſupra genus*, quaſi non & abundet riſibili homo ſupra animal, quemadmodum & rationali. Quod ſi dicatur, non eatenus eſſe ſpeciem ſupra genus, reſponſioni huic aqua hærebit, quod ajunt, *petetur principium*, & vitioſiſſima erit diffinitio, nempe perplexa: & id quod accuratius eſſet explicandum, & declarandum, pro luce inferetur minus etiam obſcuri: quum enim ex acceſſione differentiæ ad genus conſtituatur ſpecies, quomodo tu in diffinitione differentiæ de ſpecie meminiſti, tanquam jam nota & explicata? Cedo, quas differentias adfers? miram earum penuriam dicit eſſe Ariſtoteles, nec ullis nos rebus, quum magis indigeamus, magis carere. Rationabile eſt hominis differentia: vix aliam proferunt ſimplicem, nec ea ipſa eſt hominis ex ſententia philoſophorum. nam & angeli ſunt rationales, quos illi vocant deos, & quidem animalia rationalia. Qui quod ſi in adjectivo illo rationale animal pro ſubſtantivo intelligas, potius erit juſta diffinitio quam differentia? Sed rationale dicunt differentiam, capacem diſciplinæ dicunt proprium. Quid hoc plus habet, aut minus, quam illud. Quæſo bipes, & quadrupes, & volatile, & aquatile: quæ ab Ariſtotele & Porphyrio pro differentiis ponuntur, implent rationem illam differentiarum, quæ eſſentiam dicant, & formæ rationem, & diffinitionis eſſentialibus ſint aptæ, quum accidens deſignent. Quod ſi hæ ſint differentiæ, quid Ariſtoteles differentiarum inopiam deflet? Quomodo hæc congruunt cum hoc Porphyrii dicto? Interius autem perſcrutantes, non quodlibet eorum, quæ ſub eodem genere ſunt, dividentium eſſe differentiam, ſed quod ad eſſe conducit, & quod quid erat, eſſet, & ejus rei partes. Ergo bipes, aut volatile, non ſunt differentiæ. Verum enimvero quis hoc dictum intelligat, quis ullam aſſignet differentiam, tam artis limitibus concluſam? Non immerito Ariſtoteles ait nos differentiarum vexari paupertate, ſi differentiæ omnes ad tam exactam cenſuram æſtimantur. Quis vero

ſcit

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſcit, an mortale ad eſſe hominis conducat: quaſi vero non poſſint homines eſſe immortales, ex Dei munere, ut anima: corporeum vero & incorporeum non formam attingunt, ſed materiam, quæ pro differentiis ponunt in ordinatione. Quid quod Quintilianus mortale & immortale ſpecies dicit eſſe animalis generis? Sed rhetoris dictum parum exacte ad philoſophiæ formulas dicent eſſe tornatum: quale illud eſt Ciceronis, & Ciceronem ſecutorum Senecæ, Victorini, & Capellæ, Romanum, & Trojanum ſpecies eſſe hominis, quum non ſint hominis ſed nationis: neque enim ad eſſentiam hominis pertinent, ſed ad accidens: & de ſuis individuis, non in quid prædicantur, ſed in cujas. Nam quod dicitur humanum genus, & de genere hominum alios Romanos eſſe, alios Trojanos, genus eo loci pro gente ſumitur, aut natione, aut forma: & ratione, & modo: ut genus vini, genus cibi, genus dicendi, genus belli. Sed hæc omnia ita ſunt perplexe, & obſcure diffinita, ut mirum non ſit labi in eis magnos viros, & contraria inter ſe dicere. Bipedem Ariſtoteles differentiam facit, & Ariſtotelem ſequutus Quintilianus. Porphyrius dicit eſſe proprium. Martianus etiam ſic finit differentiam: eſt ſufficiens ad id quod ſuſceperis diſcretio. Et alio loco: differentia eſt ſufficiens quæſtioni diſcretio, ut ſi quæratur inter hominem, leonemque quid interſit, reſpondeatur, quod homo mitis, leo ferus ſit: quod quidem nec hominem a mitibus cæteris, nec leonem a feris aliis diſtinguit animalibus. Sic ille: quæ omnia Porphyrius, & ſchola rejiceret, tamquam imperita. Sed de proprio quid dicunt? Porphyrius proprium in quatuor ſignificatus dividit, quod ſoli, quod omni, quod ſoli & omni, quod ſoli omni & ſemper. Quintilianus etiam proprium dicit, aut quod ſoli accidit, ut homini ſermo, riſus: aut quod utique accidit, ſed non ſoli, ut igni calefacere. Quomodo poteſt proprium vocari, quod ſit alii commune? non ſecus, quam ſi bonum dicas malum, album nigrum, calidum frigidum: idque Ariſtoteles vetat fieri: nam bipes non proprium eſt homini, ſed generale, & amplius. Nec quod aliquo tempore, ineſt ſoli, niſi etiam proprium dicas eſſe homini bipedem eſſe, quum ſolus ſedet domi, cum cane, & equo; aut a dextris eſſe, quod Ari-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Ariſtoteles admittit, quo nihil video abſurdius. Adde quam ineptum eſt tertiæ rationis proprii exemplum Porphyrii, *caneſcere in ſenectute*: atqui ſi hoc omni homini accidit, ſemper accidit, nempe in ſenectute caneſcere: neque enim Porphyrius caneſcere pro exemplo dedit, & explicuit in ſenectute, ſed totum hoc eſt pro exemplo datum, *caneſcere in ſenectute:* Græce enim ſic legitur: ϰῇ τὸ μόνῳ ϰαὶ παντὶ ϰαὶ ποτὲ, ὡς ἀνθρώπῳ παντὶ τὸ ἐν γήρᾳ πολιᾶσθαι. Sed de verbis ne ſimus nimium ſoliciti, conniveamus ad hæc minuta. Ajunt *differentiam & proprium non accipere magis & minus*. Ego vero non video cur unus homo non ſit altero & diſciplinæ capacior, & ad navigandum aptior, aut ad artem medicam. Nam ſi eſſentia capacitatis aut facultatis ad diſciplinas, ad navigandum conſideretur, nihil magis recipit aut minus: tam enim alba eſt hæc charta, quam ille gypſus in eſſentia rei albæ. Et hæc adeo obſcura, involuta, difficilia, traduntur pueris paulo ante e ludo triviali egreſſis, quæ non intelligunt grandes natu in philoſophia detriti, ac pene conſumpti. Poſtremus eſt liber de ſophiſticis redargutionibus, haud ſane inutilis diſputantibus, in quo nihil convellemus, ne quidam nos arbitrentur anxie in Ariſtotelis operibus ſcrutari, quæ carpamus. Totius logici inſtrumenti hæc eſt clauſula: Reliquum erit veſtrum omnium, vel eorum, ad quos hæc pervenerint, ut venia iis detur, quæ videbuntur ad inſtitutionem prætermiſſa, gratia autem habeatur pro inventis, hoc vero eſt mea ſententia æquiſſimum. Nam nulla ars ſimul & inventa eſt, & abſoluta, nec ille tam multa potuit unus, & primus invenire, ac judicare: multa ex iis, quæ inveniebat nova, admirabatur, inſpiciebat propius: necdum tamen ſatis ſibi fecerat familiaria, cenſere ac æſtimare ut poſſet, quod omnibus contingit inventoribus. Nec dubito, quin idem mihi in iis, quæ ipſe pario. Itaque de Ariſtotele non dicam plura, quem ego veneror, uti par eſt, & ab eo verecunde diſſentio. Ariſtotelis enarratores Græci Alexander, Themiſtius, Simplicius, Pſellus, Philoponus, & alii multum habent verborum: ſententiarum non aliud, quam ipſe Ariſtoteles. Latini noſtri priſci illi Apulejus, Capella, Auguſtinus, Boëthus dialecticam ſuam depravarunt, & vim attulerunt Romano ſermoni, quod illum

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

illum in iis, quæ ad linguæ proprietatem ſpectarent, præceptis Græcitatis obtemperare coëgerunt invitum, ac repugnantem. Quæ enim ſunt ex ratione linguæ, ea in unaquaque lingua ſunt ſuæ liberæ, & popularis poteſtatis: ut nec princeps quidem quicquam habeat in ea juris, quamlibet in alia potens ac ſævus: nec qui donare homines civitate poteſt, verba poteſt. At Latini dialectici per omnia Ariſtotelis veſtigiis inſtiterunt in præcipienda, & tradenda dialectica: ut quæ ille de verbis, de nominibus, de enuntiationibus, non male Græce tradiderat, noſtri ad Latinum ſermonem male detorquerent. Cujuſmodi ſunt de nomine, & verbo infinito, de enuntiatione infinita, ſeu incerta, & aliis, quæ ex grammatica, & loquendi uſu cenſenda ſunt, non ex formula dialecticæ, & quidem, ſi diis placet, Græcanicæ. Neque enim ſubſtantiæ nomen infinitari poſſe credo, niſi perraro; ut apud Ciceronem in primo Academicarum. *Nec vero aut quod efficeret aliquid, aut quod efficeretur, poſſe eſſe non corpus:* Quod verſum eſt ad verbum de Græco Zenonis. Græcis enim facilius erat uti infinitis quibus, illud intelligeretur, ὃν ἢ οὐκ ὄν, πᾶν οὐκ ἄνθρωπος, οὐκ ὢν ἄνθρωπος. Latino vero quis ſic loquitur, *non homo diſputat*, ut intelligi velit *aliquid diſputat quod non eſt homo:* vel *non Socrates venenum bibit*, id eſt, *quod non eſt Socrates*. *Egeo non pane, ſed pecunia, an aliqua re, quæ non eſt panis?* Cicero pro Cluentio: *Non Archimedes potuiſſet melius deſcribere*. Et pro Rabirio Poſthumo: *non amicus mihi, non Pompejus fuit:* an aliquis, aut ut ipſi volunt aliquid, quod non eſt Archimedes, quod non eſt Pompejus; ut apud Quintilianum. Raro invenies judicialem, in cujus non parte aliquid eorum, quæ ſupra diximus, reperiatur: an in eo quod non eſt pars, ſicut apud eundem: *hoc feciſti, non hoc feci*. Et Portius Latro, *nulli non oculi ſenatorum teſtatim conſignarunt ingredientem*: & alia innumera. Latini enim circumloquuntur; quod non eſt hoc, aut illud. Cicero converſione illa perfinita, & infinita extrema, de qua eſt apud Ariſtotelem in libro Περὶ ἑρμηνείας: ut, *omnis homo eſt animal, nullum non animal eſt homo*. Sic utitur in rhetoricis: *Si conſtitutio, & ipſa pars conſtitutionis quælibet intentionis depulſio eſt, quæ intentionis depulſio non eſt, ea nec conſtitutio eſt, nec pars conſtitutionis*. Quare illa apud Ari-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Ariſtotelem πᾶς ἂν ἄνθρωπος ἐστι δίκαιος, ſic erant vertenda: *Quicquid non eſt homo, eſt juſtum*: nec Græci nomina hæc infinita obſervant, ac nec ipſe idem præceptor Ariſtoteles, ut in quarto Topicorum, εἴπας ἡδονὴ μὴ ἀγαθὸν, *ſi qua voluptas non eſt bona*. Qui quod ubi hærere poſſit negatio, ex uſu cenſendum eſt, non ex canone; ut Martialis:

Pellibus exiguis arctatur Livius ingens,
Quem mea non totum bibliotheca capit.

Quo loco negatur verbum, non infinitatur illa vox *totum*. Apud Ovidium:

Et ſi nullus erit pulvis, tamen excute nullum.

Quid illud eſt, *ex formula*? an non potius ex intelligentia communi, & conſuetudine illum ipſum, qui videbitur, ineſſe, aut eum, quem finxeris. Nam infinitari verbum adjectivum, illud penitus eſt non ſolum in Latino ſermone, ſed etiam in Græco alieniſſimum, & intelligentiæ repugnans: ut apud Ciceronem: Quum ingreſſus iter ſit pedibus, in equum omnino aſcendere non vult. Quis ſit ſenſus, vult aliquid, quod non eſt aſcendere. Non minus peccatum eſt in quantitatibus, ut vocant, enuntiationum. Aliquis concionatur, & quidam concionatur, particulares ſunt. Atqui non magis hæc: quidam concionatur, particularis eſt, quam hæc: Socrates concionatur; ſi qui audit, Socratem non norit, nam dicenti: quidam concionatur, ſubjectum ſingulare eſt; audienti vero, ſi Socratem non agnoſcat, non minus eſt verbum illud *Socrates* confuſum, & univerſale hominis, quam illud *quidam*. Jam hæc omnia: omnis homo eſt animal: animal eſt omnis homo: omnia bonum appetunt, & bonum omnia appetunt: aliquis concionatur, non aliquis concionatur, vulgaris ſunt conſuetudinis, penes quam eſt iſtorum omnium lex & arbitrium. Terentius hic ſolus neſcit omnia: intelligi poteſt, vel non omnia ab eo ſciri, vel nihil. Cur non bono viro ſtipem dediſti? alias hoc eſt, non eſſe datam bono, alias eſſe datam ei, qui bonus non ſit. Cicero pro Seſtio: Omitto gratulationes, epulas, partitionem ærarii, beneficia ſpe promiſſa, prædam, lætitiam paucorum, luctum omnium: hic omnium quaſi plurimorum, aut reliquorum omnium. Ideo Ariſtoteles ſenſus, oppoſi-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

tiones, leges universalium, & particularium posuit. Quæ vero essent universales, hoc est, quibus verbis, & signis, qua constitutione, quo ordine fierent, non attigit. Videlicet sciebat de illis non posse in universum præcipi, quæ essent usus varii & mutabilis. Idcirco etsi dixit, qualia soleret vocare usus universalia, qualia negativa, aut affirmativa, non tamen universalibus regulis definivit. In indefinita magis est adhuc peccatum, quæ pro intelligentia fit, vel universalis, vel indefinita, vel singularis. Romani hanc urbem condiderunt. Romanus homo hæc scripsit; non omnes, sed aliqui, aut aliquis. Ecce tibi equus, quidam, certus: beata vita virtute constat: omnis beata vita, vides ad omnia eam genera transire, idcirco infinitam seu incertam vocari, quod ambiguæ sit naturæ, & mutabilis. Jam in assignando subjecto, & prædicato, rem spectant, non verba. Ut quum: dico Socrates est albus, vel Socrates est homo, semper Socrates fit subiectum quocunque vertatur, quia in eo fundatur ratio prædicati, nempe justus, vel homo. Sed non considerant spectanda etiam esse nomina, & voces; ut quum dico: homo est animal: aliquod animal est homo: non omne animal est homo. Videndum enim non quid res sit, sed quid ego significem, quod nec ipsi possunt negare; nam dicunt in conversione ex subjecto fieri prædicatum, & contra. Item in conclusione indirecta, ut: aliquod animal est homo. In Baralipton: omne risibile est animal: & omnis homo est risibilis. Ex duabus particularibus negativa & affirmante, Martianus Capella, & Boëthus *subalternam oppositionem* constituunt. Quæ oppositio est, si quis dicit: *Omnis homo disputat. Socrates disputat*. Quid habent contrarium inter se *homo* & *Socrates?* Nec subcontrariæ sunt oppositæ, non magis quam si quis dicat: *Socrates disputat, Plato non disputat*. An repugnat sibi, qui dicat: *Aliqui senatorum sunt assensi, aliqui non sunt assensi?* Aristoteles ait *oppositionem esse affirmationem, & negationem ejusdem de eodem, & non æquivoce*. Qui dicunt, *aliquis etiam, aliquis non*, nec de eodem loquuntur & fere æquivoce. Eandem Latinæ linguæ proprietatem oportebat servatam esse in aliis locis Dialecticæ. In Elenchis multæ captiones, quæ in verborum ambiguitate sitæ sunt, ac constitutæ, in Latini-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

tinum verſæ nec gratiam, nec intelligentiam obtinent, quoniam proprietas Græca non eſt mutata : ut diſcentes ſunt ſcientes ; *μανθάνειν* enim illis eſt intelligere utentem ſcientia, & accipere ſcientiam. *Quæ expediunt bona ſunt:* *δέον* expediens eſt, & neceſſarium, cujuſmodi ſæpe mala ſunt neceſſaria. Quod ais eſſe, hoc tu es, propter infinitivum, qui apud Atticos nominativo jungitur, *καὶ ἄρρα ὃ σὲιφης ἐἶναι πᾶπ σύφης ὑναι*, & putas eſt ſilentia dicere ; propter Græcum accuſativum *σιγῶντα*, qui eſt ſingularis maſculinus, & pluralis neuter. Jam cum ad conjunctam orationem & confectionem eſt ventum, in qua ſunt duo, argumentum, quod eſt inventum probabile, & argumentatio, quæ eſt confectio ex probabili, & eo quod probatur. *Ut Medeam eſſe matrem* eſt argumentum, cui ſi addas, *ergo amat filios*, argumentatio eſt. Cicero, & Quintilianus, & eos deinceps ſecuti confundunt hæc. Nam Cicero locum facit in Topicis a conſequentibus, antecedentibus, & repugnantibus, cum hæ ſint rationes argumentationum hypotheticarum, non argumentorum unius certi loci. Quippe ex omnibus licet talem formulam conficere, quod idem Cicero oſtendit exemplis ſuis : *Si pecunia ſignata argentum eſt, legata eſt mulieri, eſt autem pecunia ſignata argentum, legata igitur :* & ſic de aliis, quæ ipſe vocat ſemper *loca dialectica :* niſi forte aliam eſſe rhetoricam inventionem putet, aliam dialecticam, quum ſit una tantum, eaque magis dialectici juris, quam rhetorici. An dialectico ſolam relinquit argumentationem, quæ eſt de judicando, errore Stoicorum adductus, de quo ſum in principio locutus. In eumdem errorem lapſus eſt Quintilianus, item Boëthus, cui, ut Agricola cenſet, minor eſt tribuenda venia, qui accuratius hæc ſuſcepit tractanda, quam magnis illis viris licuit Ciceroni, & Fabio Quintiliano, quos diverſa ab iſtis ſtudiorum ratio tuetur. Quintilianus vero inter ſyllogiſmum & epicherema hoc eſſe, inquit, diſcrimen, quod ſyllogiſmus conſtet neceſſariis, epicherema probabilibus : atqui hoc non eſt diſcrimen argumentationis, ſed materiæ. Sicut quum enthymema aliud ducit ex pugnantibus, aliud ex conſequentibus, quæ pertinent ad locos argumentorum. Jam argumentum facit a diſſimili, ceu vero diſſimile aliquid probaret, nam qui dicit :

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Non tamen ille, ſatum quo te mentiris Achille,
Talis in hoſte fuit Priamo,

Similitudine ſeu exemplo valet : *Pater tuus non fecit, ergo nec tu debes facere* . Tum cauſa ſeu origine : *Ille non fecit, ergo ſi tu feceris, ab illo degenerabis, nec verum erit tibi ab illo genus* . Comparatione quoque : *Ille in hoſte nondum victo fuit clemens, tu ergo debes eſſe in hoſte jam victo* . Sicut in facto Fabii apud Livium verbis M. Camilli: *Vos in pace vultis Urbem deſerere, ille nec ſacra deſeruit, obſeſſus* . Cicero locum ponit a differentia, quem Quintilianus diſſimilitudis dixit : *Non ſi uxori vir legavit omne argentum, quod ſuum eſſet, idcirco quæ in nominibus fuerunt, legata ſunt* . *Multum enim differt in arca ne ſit poſitum argentum, an in tabulis debeatur* ; hoc vero nihil probat, tantum quod antea probatum erat disjicit & diſſolvit ; non hæc eſt collectio , ſed diſſipatio collectionis . Nam quod alius confecit *legatum eſſe* , hic per differentiam deſtruit . Si vero hic idem perſuadere velit non eſſe legatum, aliunde erit ei petendum argumentum . Sed Ciceroni non tam facienda eſt harum rerum , ac permagna habenda gratia , qui ipſe tum primum prope inventor excudit nobis partem Dialecticæ utiliſſimam de inventione , quod opus inutiliter ab Ariſtotele congeſtum , Cicero ad utilitatem ingentem aptavit . Boëthus in tradendis differentiis Topicis, quod opus ex Cicerone , & Ariſtotele , & Themiſtio concinnavit , uno aut altero Ariſtotelis dicto inductus eſt ad maximas ſingulis locis aſſignandas . Ariſtoteles enim , in ſecundo Topicorum de *conjugatis* tractans , inquit : *Manifeſtum eſt , quod ſi oſtenderit quis de conjugatorum aliquo bono vel laudabili , & alia erunt oſtenſa eſſe talia . Ut ſi ex laudabilibus eſt juſtitia , & juſtum , & juſtus , & juſte.* Item de contrariis loquens : *Cujus generatio* , inquit , *bona, & ipſum bonum : & vice verſa* . Item de corruptione , & generantibus & corrumpentibus , ex iis quæ a Philoſopho erant exempli cauſa dicta , Boëthus maximas collegit ſingulis locorum ; quod aliud non fuit , quam infinitam poſſeſſionem locorum contrahere in magnas anguſtias , & latiſſime patentem uſum effecit , ut nullus pene eſſet . Quis enim uti poſſit locis ad illas maximas redactis : quaſi vero non aliter uſus ſit locorum , niſi per illas . Hæc omnia argu-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

argumenta, ut exemplum aliquod adferam, ſunt a cauſa efficiente. *Bonus, quia boni filius. Vir magnus, quia Scipionis nepos. Calidum, quia admotum igni. Decet te hoc facere, quia filius es Syllæ: & non decet, quia filius Q. Fabii. Opus ſervandum, quia magni authoris: & non ſervandum, quia hoſtis.* Quæ dabitur in his omnibus maxima? Sed venio jam ad amicos meos recentes, ut ipſi vocant, *ſophiſtas*, in quos tanquam in navis ſentinam omnia hujus artis vitia confluxerunt, & Ariſtotelis, & priorum, & longe plura, & fœtidiora, quæ ipſi de ſuo adjecerunt. Itaque quæ in antiquis reprobavi, ea ſuperſedebo hic recenſere: tantum ea conſectabor, quæ ſunt recentiorum propria. Irrumpit ad tradendam Dialecticam juvenis ignarus Latini, & Græci ſermonis, ignarus earum rerum, atque artium, quæ his duabus linguis ſunt proditæ. Primum omnium quorſum pertineat Dialectica, ignorat, quæ ſua, quæ aliena. Itaque & ſua aliis ceſſerunt, & ipſi invaſerunt aliena. Nam totam eam partem, quæ eſt de argumentis inveniendis occuparunt rhetores dialectico non invito. Primum quod quum Ariſtotelem partis hujus vel inventorem, ut inquit Cicero, vel certe præcipuum præceptorem viderent, illa adeo obſcure edidiſſe, ut verti in uſum aliquem non queant, Ciceronem vero accommodaſſe operi, & ejus traditionem Boëthum eſſe amplexatum audito Ciceronis nomine, tanquam aliena nota inſpecta, verecundi homines manum continuerunt. Videbant etiam rhetores apertius de illis præcipere & aptius ad exercitationem. Tum etiam libenter ceſſerunt poſſeſſione ſumptuoſa, ad quam tuendam magnis eſſet divitiis opus: legenda, tenenda, cognoſcenda multa, ſine quibus inventio tueri ſe, & nomen ſuum nequit. Nam quid de piſce, de lapide, de republica, de re familiari inveniet, qui ne nomen quidem unquam antea audierat? Et adeo peritiæ hujus uſum amiſerunt, ut quod eſt inventionis argumenti, ad judicium argumentationis transferant. Nam quemadmodum argumentatio bene cenſetur per figuras, & modos ſyllogiſmorum, ita ipſi dicunt per locum a genere, per locum a cauſis, per locum a conjugatis, a majori: quaſi in hoc ſint parati loci, ut cenſuræ ſint argumentationum, & non indices argumentorum: ipſi eam retinuere ſolam, quæ eſt

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

de inventione, more ſpinoſorum Stoicorum, ad quam nec linguæ opes, nec multa rerum ſupellex magnopere videtur eis neceſſaria, ſed tantum garrula quædam imperitia & loquacitas invicta : & pro illa vetere diviſione Logicam eſſe aliam de inventione, aliam de judicio, novam ipſi diviſionem adduxerunt, eſſe Logicam veterem, & Logicam novam. Cur ita nominetur, non magis ſcias dicere, quam cur Digeſtum novum, & Digeſtum vetus. Logicam appellant veterem, in qua de ſimplicibus agitur terminis, vel pronuntiatis, prædicabilia, categoriæ, & de interpretatione. Logicam novam Priora, Poſteriora, Topica. Tum huic addunt ſeptimum tractatum, quem recentes adjecerunt pomœrio veterum imperio longius prolato. Ipſi tanquam vento quodam tranſverſi acti in metaphyſica impetum fecerunt : non illinc modice repetunt, quæ videbatur ad logicam pertinere, ut Ariſtoteles fecerat, ſed penitus ſe, & pueros ſuos immergunt in arcana illa Naturæ, quæ conſtare, & intelligi nullo penitus modo poſſunt, niſi guſtatis his exterioribus : nam ordo noſtræ cognitionis hinc eſt ad illa, nec eo penetrari a nobis poteſt, niſi per hæc, quæ ſunt foris. Ad incognita enim itur per cognita, & ad mentis judicium per ſenſuum functiones. Iſti contra rudem puerum, & a grammatico recentem, ſtatim prædicabilibus, & prædicamentis, & ſex principii proluunt : ut olim Germani pueros ſuos recens natos rapido & gelido flumine. Sunt qui perpetuo ibi detinent, ut qui maxime ſunt reales, quaſi vero ad nugandum in illis commentis inventa ſit Dialectica, & non ad recte differendum. Ibi naſcuntur mira monſtra quæſtionum, de natura communi, qua miror non interdum eos terreri in ſomniis, aut de illa in tenebris audere verba facere, adeo res eſt monſtroſa. Antiſthenes, ut puto, primus univerſalia quædam finxit in rerum natura a ſingularibus ſejuncta. Plato ideas poſuit. Porphyrius, quum hæc aliena eſſe a ſuo inſtituto videret, conſulto ſe vitaturum hanc, & ſimiles quæſtiones eſt præfatus : iſti non abſtinent, quanquam ipſa & abſurditate ſui, & argumentis nominalium jam eſt eo deducta, ut ſi apertius velint utique eloqui, appareat eos idem ſentire. Hinc de compoſitione generis, & differentiæ, ad conſtitutionem ſpeciei

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ciei. Quomodo ſudatur cum velint *genus* eſſe pro *materia*, *differentiam* pro *forma*: ideo ponunt *compoſitionem phyſicam*, & *metaphyſicam*, ut hæc conflata ſit ex quiditate generis & quiditate differentiæ: & alia, quæ ſi quis legat vir cordatus, & opinionibus antea, partibuſque non infectus, facile exclamet: ô nugas accuratas! ô eruditionem impe-ritam! Jam in *prædicamenta* infarciunt quicquid tractari vel ſolet, vel debet in prima philoſophia, de omni rerum genere. Attigerat quidem nonnulla ex his Ariſtoteles, ſed leviter. Gilbertus Porretanus longius movit ſex principiis conſcriptis. Albertus Grotus, & deinceps alii, navem in altum deduxerunt, ut nullæ jam terræ appareant, *cœlum undique & undique pontus*. Prætereo quæſtiones illas ridiculas, utrum res ponantur in prædicamento, an nomina? quum difertis verbis Ariſtoteles de vocibus loquatur: quaſi vero res poſſint prædicari, aut nomina prædicentur, niſi res aliquas ſignificent. An Deus collocetur in prædicamento; timent ſcilicet pii homines, ne infinitus finito concludatur loco. Tum aſcendunt ſupra prædicamenta, & faciunt ſex tranſcendentia ex Sophiſta Platonis male intellecto, *ens*, *res*, *unum*, *bonum*, *verum*, *aliquid*. Sic poſſent addi ſexcenta, *exiſtens*, *idem*, *utile*. *Vero*, & *bono* quis utitur pro tranſcendentibus? non nego quin aliquo in ſenſu omni rei conveniant, ut *verum* ad eſſentiam pertineat, *bonum* ad finem: illud intellectus, hoc voluntatis, ſed utrunque in Deo; nam nos fallimur fere & in judicando, & in eligendo: nec minus eſſet tranſcendens utile aut commodum, quam bonum eadem ratione. Nec naturalia paſſi ſunt quieta eſſe, *libros* Ariſtotelis *de anima* in poſteriora effuderunt. Ad divina tranſgreſſi puero in ſchola ludenti ac nuganti de ſyllogiſmis divinis in manus dederunt rem arduam, & periculoſam. Ibi tam confidenter diſtribuunt, *ſingularizant*, *particularizant*, *complete*, *incomplete*, quam ſi de pomo aliquo eſſet ſermo: & dum volunt rem humana ingenia ſuperantem in pueriles formulas redigere, in multa incidunt abſurda, & impia, quæ tamen conſuetudo inter illos effecit levia: *ut tres eſſe deos*, *tres eſſentias divinas*, *filium eſſe patrem & non eſſe patrem*, & alia, quæ aures abhorrent audire. Loquuntur ipſi de rebus offenſivis piarum aurium, quæ poſ-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſunt eſſe magis ? Sed his, quia ſoliti audire non offenduntur, ii demum permoventur, quibus non aſſuevere. Et quum nihil ſit apud ipſos abjectius, aut deſpicatius grammatici nomine, ipſi plura differunt, quæ pene ſunt ex triviali ſchola, quam ipſi grammatici. Sed omnia abſurdiſſime converſis vocabulorum ſignificatibus, quo illis collibitum eſt, ut nihil reliquerint integrum, facile hoc ſibi vindicantes, quum corrupta grammatica & lingua tanquam ſenſu amiſſo, nemo eſſet, qui injuriam ſentiret, aut doleret, aut per injuriam occupata repeteret. Nam quæ in *libris interpretatione* tractantur, an non literarii ſunt ludi ? oſtendi de nomine, de verbo, de negatione, affirmatione, de ſignis, de quantitatibus pronuntiatorum; in quibus nuperrimi dialectici non contenti corruptela ſignificationum, quam a majoribus acceperant, quandoquidem illa jam vulgata, & protrita videbantur, ipſi novam penitus linguam invexerunt: *cujuslibet hominis quilibet aſinus*, & *aſinus præter ab aſinus*, & *aſinus poſſibiliter non ſunt: alter alius homo eſt ipſemet: cujuslibet alterius hominis alius aſinus eſt ens*. Quis hæc ulla in lingua intelligat ? adjectis literis quandoquidem verba deerant, & ad melius divinandum. In *terminis*, quos primos objiciunt pueris ſuam ſcholam ingreſſis, quid aliud loquuntur, quam de *ſignificatione*, de *complexione*, de *incomplexione*, de *communi*, & *proprio*, quæ ſunt puerilis in grammatica inſtituti. Sed de his quomodo præcipiunt ? Terminos Ariſtoteles vocat in Topicis, quaſi extrema enuntiati, τὰ ἄκρα, & Boëthus eodem ſenſu nomina & verba, quæ in ſimplici propoſitione prædicantur, ut in eo quod eſt, *Socrates diſputat*, *Socrates* & *diſputat* termini ſunt. Iſti quum terminorum notitiam tradant pueris, tanquam rerum ſimplicium, ex quibus conficiuntur enuntiationes dialecticæ, integra pronuntiata, & longas orationes faciunt terminos, & Homeri totam, quam longa eſt, Iliadem aut Odyſſeam; imo Iliadem & Odyſſeam. Si quis inter utranque adſcribat τὸ καὶ, vocem omnem volunt ſignificare ſe, & ſuum prolatorem, & prolatori ſimilem, quin etiam ſcriptorem, & tabellarium, & pennam, & manum, & Latinam literam, & Romanos, & Carmentam inventricem, & alia ridicula. Quod ſi circulus œnopolii ſit hederaceus, ſignificabit

Vir-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Virgilium, quoniam hedera coronabantur poëtæ : veteres item ac ruinoſos parietes, qui hedera ſolent veſtiri : & : *Feſtina lente*, ſignificabit Auguſtum Cæſarem, quod is dicto illo ſoleret delectari : & *laurus* populum Carthaginenſem, quod de illo triumphans Africanus *lauro* eſt coronatus : tum locus omnis cum, quem aliquando in eo loco vel vidimus, vel audimus fuiſſe ; & alia ridicula abſque numero. Non eſt hoc ſignificare, ſed admonere, & alicui aliud ex alio venire in mentem. Nec minus illa jocularia ; ſi ex eodem atramento, quo ſcribitur hæc vox *homo*, ſcribatur illa *buf*, an *buf* ſignificabit ? Nam iſti non contenti rebus naturalibus, ad ea quæ ſupra Naturam ſunt, imo contra Naturam, ſe extollunt, etiam inter pueros ; ut, *atramentum poni in duobus locis : omnes terminos creabiles creari : horam dividi per partes proportionales minoribus huc vel illuc terminatis : in qualibet parte dividi hoc corpus in duas partes, rurſum conjungi, ſed contrariis copulis quam antea :* vel, *in partibus paribus Socratem eſſe album, in imparibus nigrum : creari aliquod infinitum*, & alia ejuſmodi. Quaſi ullus ſit horum uſus in Dialectica, & communi vita, nec illorum quidem, quæ nunquam contingunt, antecedens eſſe Romæ, conſequens Lutetiæ ; vel antecedens proferri nunc, conſequens cras. Quorſum hæc ? Si aſſecuti peritiam neceſſariam in his animi gratia, tanquam teſſeris luderent, fortaſſis eſſent ferendi, ſed homines imperitos relictis veris, ſolidis, & ſeriis, huc ſe conferre quis ferat ? hoccine eſt inſtrumentum ſeriarum diſciplinarum pluſquam pueriles luſiones ? Sed de ſignificando, quis melius poteſt, aut debet præcipere, quam grammaticus, aut certe populus ; *quem penes arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi ?* Jam in *terminis connotativis album* ſignificat *rem & alborem :* certe non magis quam *homo animam*, vel *animal*, vel *rationale :* neque enim quod aliquid ſit in alterius diffinitione, ab eo ſignificatur : & de hoc termini genere dant regulam. *Quando terminus ſumitur pro aliqua re, & definit ſumi pro illa, ſi non eſt propter defectum rei, hoc eſt, propter defectum connotationis.* Quid ergo *riſibile*, quid *rationale ?* At, inquient, *non recurrit formula* : atqui oportebat eam recurrere, quæ traderetur pueris, ne fellerentur : tum quod ad cognitionem *connotativorum*

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

rum parabatur. Sed esto ita. Quid nomina propria, quæ omnia possunt tolli, & imponi alia? Nec satis est, quod Paulus Venetus dicit, *Socrates*, dupliciter accipi, *pro illo homine*, aut pro *hoc composito* vocatus *Socrates*; hoc mutari posse, illud non posse. Idem dicat de vocibus Mundi omnibus: loquor de scriptis, & quæ proferuntur: nam in mente imagines sunt rerum sine nominibus. Et tamen ex iis, quæ sunt illic, de termino *complexo*, & *incomplexo* definiunt, quod est imperitum: nam mens nostra compositas voces simpliciter sæpe intelligit, & simplices composite, ut audita hac, *Trojanorum acerbus terror*. Achillem solum nonnunquam intelligit, interdum quum Achillem audit, de terrore, & Trojanis, & sævitia juvenis cogitat. Quid quod, quæ vox est in una lingua simplex, in altera est composita, ut Latine *pater-familias*, Græce *οἰκοδεσπότης*. Latine, *tribunus militum*, Græce *χιλίαρχος*. Latine *tribunus plebis*, Græce *δήμαρχος*. Et in eadem sæpe lingua: ut idem sunt *dictator*, & *magister populi*: idem *Censor*, & *magister morum*. Quid quod Gregorius Ariminensis nullam categoricam pronuntiationem compositam vult esse in mente. Utique non facile dictu est, quid cogitatus noster simpliciter sibi fingat, quid conjunctim, & complexe, adeo est liber, etsi hic ad hunc modum intelligit, ille multo secus, ut præcipi hac de re ex mente & intelligentia nullo modo possit. Ex istis conficiunt dialecticas enuntiationes, quæ constant subjecto & prædicato, sed eo ordine, ut non sit periculosius hunc universi ordinem perturbare. Subjectum necesse est esse prius prædicato: *omnis homo est animal* recte, *animal omnis est homo*, perturbata omnia, & confusa. An non hic est in prima forma syllogismus, *omne animal est corporeum*, *animal est homo omnis*, *ergo omnis homo est corporeus*: ergo animal tam prædicatur in assumptione, quam in propositione subjicitur. *Animal omnis homo est*, *τό omnis* non est pars prædicati, *animal est omnis homo*, pars est, verificari ut de nullo possit: neque enim invenietur, de quo vere dicatur, hoc est *omnis homo*. Quæ ego quid communi usu & scriptoribus Latinæ linguæ omnibus reprobem? ipso Aristotele confutabuntur. Is enim in libro *Peri hermenias* istis pronuntiatis utitur: *Est justus homo*, *non est justus homo*:

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

mo: an non ibi *juſtus* de *homine* prædicatur? atqui hoc ipſe dicit diſertis verbis, ut in hac ejuſdem, *eſt homo*. Quid? homo prædicatur-ne? Jam ubi ait, *valet*, *omnis homo*, *non valet*, *omnis homo*, eſt ne *omnis* pars prædicati? Sed iſti nec Ariſtotelem, quem tantum habent in ore, nec ullum bonum, & magnum authorem legunt vel intelligunt: nec eſt opus authoribus, aut libris ad ea, quæ agunt. Verba omnia adjectiva volunt reſolvi in ſubſtantivum verbum, & participium: ut ambulat, eſt ambulans, alioqui non eſſe ſatis perfectam, & ſatis explicatam enunciationem. Ariſtoteles inquit, idem eſſe ſi quis dicat: *Socrates diſputat*, &, *Socrates eſt diſputans:* an quia nihil ſenſu diſtant, protinus quicquid eſt in una prædicatum, erit etiam in altera? neque enim hæc differunt, *homo diſputat*, &, *animal rationale diſputat:* non tamen idem eſt ſubjectum. Quid? quod ad reſolvendum non tantam habemus participiorum copiam, quantam Græci, qui habent participia præteriti, & aoriſtorum in voce activa, & præſentis, ac futurorum in paſſiva: ut hæc difficile poſſint a Latinis explicari, Socrates diligitur, aut laudatur, a Græcis facillime. Quid? quod non ſemper idem reddit participium quod verbum, præſertim in iis verbis, quæ non præſentem actionem, ſed conſuetudinem ſignificant? Longe ſunt diverſa: pingit, & eſt pingens; amat, docet, & eſt amans, eſt docens, quæ de dormiente bene dicantur in verbo ad hunc modum: hic docte pingit, hic amat illam, hic docet filios meos: non item in participio, quod præſentem actionem notat. Adde, quod multæ ſunt propriæ locutiones per verbum, quæ non ſunt per participium, ut Socrates confidit, & eſt confidens: rubet, & eſt rubens: pallet, & eſt pallens: pluit, & eſt pluens, licet, & eſt licens. Sed in hoc non immorabor, nam inter ipſos ſophiſtas parum convenit, aliis dicentibus verba adjectiva eſſe incomplexa, cujus eſt ſententiæ Petrus Mantuanus, in qua videtur Ariſtotelem & Boëthum habere authores, aliis aſſerentibus ea eſſe complexa, nec dici verba dialectica. Sed ea diſputatio & controverſia nec rebus, nec rationi loquendi officit. Illud magis & fermonem, & intelligentiam omnium lædit, quod prædicatum volunt aſtringere ſubjectum in his, ac ejuſmodi: *homo eſt pictus*,

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

pictus, *homo est mortuus*, in quibus de analogo prædicatur significatio ignobilior, ut hæc sit vera propositio, quod absit: *omnis homo est mortuus*, & hæc: *omnis homo est pictus:* fortasse illis qui sedebant in specu Platonis, omnis homo erat umbra, nobis non item, nisi forte iidem isti, qui hæc somniant. Quid quum subjectum restringit prædicatum? ut in hac: *Socrates albus:* ut hæc sit vera, *tantum Socrates est albus:* nam volunt esse sensum, *solus Socrates est Socrates albus*. Quod a Paulo Veneto allatum, ceteri magno applausu exceperunt, tanquam illic Socrates substantivum sit illius adjectivi *albi*, & non potius *homo*. Quod si ita sit, nulla harum non erit vera: *Tantum Socrates est philosophus: Solus Socrates est Atheniensis: solus Socrates habet patrem*. Eadem lege factæ sunt hæ veræ: *Socrates videt omne astrum*, quum unum tantum videt. *Socrates possidet omnem asinum*, qui unum habet. Si sic lubet explicare, dicam & hanc esse veram: *Homo est asinus;* nam sic interpretabor: *Homo est asini possessor*. Respondebunt mihi neminem sic uti illo pronuntiato. At ostendant ipsi quis ad eum modum utatur illo suo præter ipsos? Sed de hoc post paululum, nunc pergam alias addere.

Nec in minores angustias deducta sunt illa de *forma* & *forma acceptionis terminorum*. A Veteribus perplexe sunt prodita, sicut a Petro Mantuano, & ab Strodo, cujus diffinitionem *consequentiæ formalis* tres expositores Sermoneta, Ferabrich, & Thienensis nequiverunt satis declarare. Recentiores *formam* sic constituunt, ut sit *eadem qualitas enuntiatorum*, *eadem quantitas*, *synonymitas terminorum*, *similis acceptio terminorum*, ut nullus sit jam syllogismus bonus de *forma*, nulla oppositio, nulla conclusio, ni in angustias sermonis illorum, & in illas loquendi absurditates redacta. Cicero sic colligit: *Omne gaudere bonis animi beatum est*, *omnis sapiens iis bonis animi gaudet*, *omnes ergo sapientes beati*. Instari enim potest sic: *Omne gaudere bonis animi beatum est*, *omnis stultus suavibus bonis animi gaudet*, *suavibus* posito pro *iis*. Neque hic esset bonus: *Omnis homo legit*, *Socrates est unus ex hominibus*, ergo *legit:* nam in assumptione hæc est instantia, *bucephalus est asinus hominis*. Et Quintilianus libro secun-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſecundo : *Omnis ars habet aliquam materiam, rhetorica nullam habet propriam materiam, non ergo eſt ars.* Inſtatur : *Omnis homo habet equum aliquem; Socrates non habet equum album, non ergo homo.* In omni re ſunt nimii : interdum volunt referri omnia ad animum, & modum concipiendi : cogitatione interdum in nudis vocibus ſiſtunt ſine intelligentia. Spectandum eſt in verbis omnibus quid mens ſoleat communiter intelligere. Jam quales conſequutiones faciunt : *Homo eſt aſinus*, ergo *baculus ſtat in angulo*. *Socrates ambulat*, ergo *Deus eſt bonus :* ad impoſſibile ſequitur quodlibet, ſicut neceſſarium ad quodlibet : quaſi vero non ratio connexionis potiſſimum ſpectari debeat, ut in disjunctis, *ego curro*, vel *Deus eſt*. In modalibus alias faciunt de *ſenſu compoſito*, alias de *ſenſu diviſo :* non tam improbo rem, quam eorum in verbis definitionem : ut quum in medio eſt *modus* eſſe de *ſenſu diviſo : Socrates neceſſario currit :* quum initio vel fine, de *ſenſu compoſito : Socratem currere eſt neceſſe*. Ariſtoteles has duas ponit eodem loco & ſenſu, *quod eſt, eſſe quum eſt,* & *quod non eſt, non eſſe quum non eſt, neceſſum eſt :* & hanc : *Omne quod eſt, neceſſario eſt quum eſt :* nam τὸ ἀναγκαῖον in priore illa poſtponitur, in poſteriore ponitur in medio. Et in primo Elenchorum hanc vocat amphibolam. τὸ δύνασθαι καθήμενον βαδίζειν, *poſſe ſedentem ambulare*, & ait poſſe eſſe *ſenſus diviſi*, & *compoſiti*. Quid quod fecerunt alias modales, nempe *verum*, *falſum*, *ſcitum*, tum *opinatum*; ut Buridanus & alii, in quibus etiam de *ſenſu diviſo*, & *compoſito :* quod quomodo poſſit fieri, nulla mens capit, ut : *Socratem ſcitum eſt diſputare*. Conjunctæ categoricæ, quas hypoteticas vulgo nominant, quum ſint innumeræ, nempe quot conjunctiones, quot etiam adverbiorum, non pauca reduxerunt Antiqui inter eos ad tres ſpecies, Alii paulo plures addiderunt. Paulus Venetus, quem Dullardus, & vulgo eorum ſcholæ in hoc, ſicut in multis aliis, ſequitur, hanc fecit diſtinctionem, ut quæ conjunctiones conjungunt enunciationes per ſe intelligibiles, hoc eſt de indicativo efficiant hypotheticas : quæ vero de aliis modis, non item. Ideo has conjunctiones, *licet*, *quamvis*, *etſi*, *quanquam*, non facere hypotheticas. Quia recte dicitur ; *licet Socrates currat*, *Socrates* tamen

non

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

non movetur: non recte autem, nec Latine, *licet Socrates currit*. An non hæc sunt ad risum movendum aptissima? Primum has, & similes: *si asinus volaret, asinus haberet alas*, non negant esse hypotheticas. Deinde quid prohibet, quo minus bene & Latine dicatur: *licet Socrates currit: etsi quanquam Socrates currit*. Isti sunt, qui in formulam redigunt Latinum sermonem, cujus umbram nunquam viderunt: sicut Mantuanus, qui ait ab hypothetica temporali ad quamlibet sui partem valere consequentiam, ut a conjunctiva; ut hæc sit bona conclusio: *Tu moveris, cum curris, ergo tu curris, & tu moveris*. Tum hæc: *Æstas est cum Sol est in Cancro*, ergo *æstas est, & Sol est in Cancro*. Sunt enuntiationes quædam categoricæ de conditionato extremo, ut vocant: *Socrates, si est homo, currit: Do tibi lapidem, si est avis*, & *Do tibi avem, si est lapis*: ut hæc sit vera: *Do tibi animal, si est homo, quum do adamantem*: quæ sunt profecto aptiora ad ludendum, quam ad loquendum: qualia sunt, cum in libris eorum aliis infinita: nam quis posset percensere omnia, non facilius quam arenas Libyæ? tum potissimum in iis, quæ vocant *parva logicalia*, omnia ex linguæ ignoratione excogitata: de quo pauca prius loquar, non tam disputandi, aut convincendi gratia, quam docendi. Nam ea est res, quæ si exposita fuerit, nec ipsos eosdem arbitror repugnaturos, qui sunt commenti. Quippe ejus rei adhuc retinent semina quædam, sed degenerantia. Itaque si vera, & meliora ostendantur, facile agnoscent & accedent. In hac rerum natura artes sunt ab hominibus cura, labore, meditatione, industria observatæ, ac excusæ: nulla earum sibi facit novam materiam, sed in facta jam, & parata operatur: & aliæ circa res versantur, aliæ circa verba, quæ sunt grammatica, Dialectica, rhetorica: nulli istorum vel mutare populi sermonem, vel novum licet fingere, sed in recepto, quæ sui sunt muneris, defungi. Grammaticus rationem, & verborum simplicium, & aptæ compositionis inquirit. Dialecticus, quæ faciunt sensus veros, quæ falsos, loquor ex recepta opinione, quæ consequantur, quæ repugnent? Rhetor, quæ pulchra, ornata, insignia, quæ cum dulcedine in animos blande instillentur: quæ aspera & dura. Si grammaticus novum aliquod, & inusita-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſitatum afferat vocabulum, aut doceat pueros ſuos aliter loqui, quam populus loquatur, nimirum explodetur ut barbarus. Si rhetor dicturus nova ſibi fingat ſchemata, & non illa ſumat de medio, ſtultitiam, & abſurditatem hominis omnes explodent. Quid ſi dialecticus verum & falſum ſcrutatur, fictis ſuo arbitratu ſenſis verborum, relictis illis vulgaribus & receptis, plane dicent omnes, quibus lingua erit nota, non noſtri ſermonis verum inquiris, ſed tuorum ſomniorum. Si tu in his verbis & hoc communi ſenſu aliqua obſervas, audiam te docentem: ſin fingis tibi linguam, ac voces, tibi, & tuis paras Dialecticen cujus nullus ſit uſus, cum nemo ſic loquatur, ac ne tu quidem, & tui; hoc adeo verum eſt, ut nec Ariſtoteles, nec Boëthus, nec ipſi iidem, quibus hæc neſcio quis Deus miſit in mentem, ad præſcriptum ſuorum canonum poſſint vera loqui. Ariſtoteles ac veteres omnes Græci uſum Græcæ linguæ ſunt ſecuti: Cicero, & Latini Latinæ. Infinita ſunt, quæ ex communi uſu affirmat Ariſtoteles in Prædicamentis, in Metaphiſicis, in Topicis, denique ubicunque] de ſenſu verborum agitur. Et recentiores iſti non ignorant Dialecticam ſuam præcepta eſſe in communi lingua obſervata: ideo enim multa probant per communem modum intelligendi, & ad tuendas eas enuntiationes, quæ vulgo habentur pro veris, tot regulas illis prioribus interſarſerunt, ut de *ſuppoſitione accommoda*, & *perſonali*, de *tempore pertranſacto*, de *diſtributione*, pro *ſingulis generum*, pro *generibus ſingulorum*, & ejuſmodi, haud penitus ignari obſervationem eſſe linguæ Dialecticam. Quod ſi meliorem noviſſent linguam, utique ad eam accommodaſſent canones, ſed de ea loquebantur, quam illi non ſolum optimam eſſe autumabant, ſed ſolam, quum aliam ne de facie quidem unquam vidiſſent. Nam quod dicunt quidam, *ego ſic mente concipio*, hoc vero nihil ad Dialecticam, quæ eſt de ſermone: neque enim quum dico: *homo eſt ceruleus*, ſpectare debeo quid intelligat indoctus, qui *ceruleum* capiat pro *cereo*, ſed quid in Latina lingua ſignet. *Vera*, & *falſa*, & *contraria*, & *conſequentia*, inquit Cicero, *ſua ſponte*, *non aliena judicantur*: de quo fuſe diſputavi in epiſtola ad Joannem Fortem. Putabam olim, quum inciperent hæc mihi diſplicere, magnum me negotium habiturum

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

turum iſtis confutandis contra homines pertinaces diſtinctionibus armatos, diſputando invictos, & qui numero valerent. Sed hoc tempore renato ſermone Latino, & vel pueris jam proprietatem linguæ Latinæ intelligentibus, facilior erit eorum confutatio, quæ ex prave cognita lingua fuerunt corrupta: dicunt uſum populo concedentes ſcientiam nobis reſervamus: & duos faciunt ſenſus, bonum, & rigorem. Quid eſt rigor aliud ad eorum ſenſum, quam exacta quædam loquendi ratio? At eam ex quibus petemus, niſi ex iis, qui exactiſſime quamque linguam tenent, non ex iis qui ſunt ejus inſcientiſſimi? in Latina ex Cicerone, Plinio, Seneca, Varrone, non Petro Hiſpano, aut Gulielmo Hentisbari. Boëthus, Apulejus, Capella in ſuis dialecticis dicta Ciceronis adducunt pro teſtimonio, nempe Latini homines hominis Latiniſſimi, quique abſolute linguam illam norat, & rigorem hunc poterat adjuvare. Græci Demoſthenis, Iſocratis, Homeri, Euripidis, Sophoclis, de quo alio loco a me differetur: nos etiam magnorum authorum utemur dictis: nam unde, niſi ab illis, requirenda eſt linguæ proprietas? Ex illa imperitia ſermonis natæ ſunt nobis *ſuppoſitiones*, *aſcenſus*, *deſcenſus*, *ampliationes*, *reſtrictiones*, *appellationes*, *exponibilia*, ad quæ ſi lingua eſſet aptanda, non ſolum obmuteſcendum eſſet, ſed aliquid eſſet verum in Scriptoribus: ut interdum mirer, quomodo hæc eis venerunt in mentem, tam ab omni ratione, & loquendi, & ſentiendi abhorrentia. In ſuppoſitione ſunt *diſcreta*, *determinata*, *confuſa*, *diſtributiva*: ſunt *termini certi*, qui illas faciunt, certo loco, & ordine: *Omnis homo eſt animal*, vera eſt, & animal *confuſe* ſupponit. *Animal eſt quivis homo*, falſa: determinate enim: *Caput omnis homo habet*, falſa, *omnis homo habet caput*, vera. *Equus requiritur ad equitandum*, falſa: *ad equitandum equus requiritur*, item falſa: *ad equitandum requiritur equus*, vera. Cicero dicit in Oratore: *Acumen dialecticorum requirendum eſt*, & in Finibus: *quoniam aliquid omnes*. Quid Lucius, & Quintilianus? eſt aliquid in omni materia naturaliter primum. Et in ſacris literis: *Pauperes ſemper habebitis vobiſcum*: ſunt hæ falſæ? quis aliter loquitur? nec ipſi iidem, etiam cum de his præcipiunt. Jam uſum negationis, qui varius eſt apud Græ-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Græcos, & Latinos, & unamquanque linguam, & patet latiſſime, ſi quis conetur ad ceteras formas redigere, peribit ſermonis univerſa vis, & gratia. *Nemo eſt ex aliqua parte non fœlix*. Quid iſtud eſt: *ex nulla parte?* & dicunt, *quod mobilitat immobilitatum, immobilitat mobilitatum, ut ſe negationes impediant: & negatio cadens ſuper ſignum univerſale.* In omni lingua duæ negationes fortius negant, præterquam in Latina. Demoſthenes quatuor poſuit pro una. In noſtra etiam ſæpenumero non plus efficiunt duæ, quam una: ut, *non poſſum ne dormire quidem*. Cicero: *Nolo ne hæc quidem humana ignoret*. Idem ſunt: *Non reveretur neque deos, neque homines; neque deos neque homines reveretur: non veretur homines, non deos: non timet homines aut deos: non metuit homineſve deoſve: ne ſcribere quidem novit, non novit ne ſcribere quidem*. Ariſtoteles expreſſe ait non eſſe hanc univerſalem: *Non eſt homo pulcher:* nec idem eſſe, *non eſt homo pulcher*, &, *nullus homo eſt pulcher*. *In aſcenſu*, magna controverſia, in ponendo conſtantia. Quidam recentiorum repudiato vetere more, ita eam ponunt, ut ipſa enuntiatio, ad quam *aſcenditur*, luce ſit clarior præ conſtantia. Sed quomodocunque ponatur, nullus eſt ejus uſus, neque unquam aliquis ſic colligit, nec ludens quidem. Multo aliter utebatur Socrates ſuis ἐπαγογαῖς. *Jam deſcendent mihi ſub hac*, quæ eſt apud Ciceronem in Academicis quæſtionibus. Judicium Protagoræ eſt, qui putat *id cuique verum eſſe, quod cuique videatur*: vel illa in ſecunda Philipp. *Ita cuique eveniat, ut de republica quiſque mereatur*: an erit ita Antonio eveniat, ita Fabio, ut de republica quiſque mereatur: quid abſurdius? *In ampliationibus*, & *reſtrictionibus* illa ſunt prodigioſa: *meretrix erit virgo: artocreæ devoratæ, & egeſtæ ſunt edendæ: puer anniculus fuit centum annorum. In appellationibus non vidi papam*, & *papam vidi: conſulem cæcidi*, &, *non cæcidi conſulem*. Ergo omnes iſtæ ad eorum normam ſunt falſæ. L. *Cæſar genuit Cæſarem dictatorem: Jeſſe genuit David regem ex ea quæ fuit Uriæ. Cajeta nutriit regem Lavinii: hæc mulier nupſit magno illi pictori Apelli, ſi antequam ad ſummum perveniſſet artis, nupſerat. Hoc opus ſcriptum eſt a patre Catonis, ſi ſcripſiſſet antequam Catonem gigneret*. & alia quæ ſunt in ore omnium infinita. *Exponibilia* fece-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

runt, *tantum*, *præter*, *inquantum*, *immediate*, *incipit*, *desinit*. Tum *comparativa*, *totus*, *semper*, *ab æterno*, *infinitum*. Cur non plura? quasi vero non pene verba omnia, & adverbia possent etiam cum cavillis exponi aptis disputantium circulis: ut, *currit*, *quis motus necessarius sit ad currendum? cantat*, *quam alta vox ad cantandum? plorat*, *quis animi motus*, *quæ vox*, *qui gestus ad plorandum? ridet*, *quis oris rictus ad risum? solet*, *consuevit*, *quot actus ad habitum*, *aut ad consuetudinem*, *quanta intermissio?* & sicut *incipit*, ac *desinit*, cur non etiam *aggreditur*, *expedit se*, *delassatur*, *cessat?* Jam cum, adduntur adverbia, *celeriter*, *bene*, *male*, *tarde*, *pene*, *fere*, *quasi*, *etsi*. *Quasi* jam exponunt major pars, ut si sint hic Romani mille quingenti, & unus discesserit, verum sit, *quasi nemo Romanus hic remansit*; putant agi de numero sententiarum in foro aut curia. Sed videamus ea quæ tradunt: *tantum animal est homo*, *tantum coloratum est album*: *Sola animalia sunt homines*. Quis hæc intelligat? bene additur, *inferiori excluso*. Quippe est exclusio velut quædam restrictio, quæ fit a *minore* atque *ampliore*, ad summum *æquo*, sed sic, ut pro majori positum appareat: *Tantum homo ridet*: *Soli Romani sunt liberi*: superiori additum nullum facit sensum, & prope contrarium solet intelligi, ut, *tantum liberi sunt Romani*, quasi *soli Romani sint liberi*: &, *tantum animal est homo*, quasi *solus homo sit animal*. Plinius libro septimo: *Præter feminam pauca animalia noverunt coitum post conceptum*: quomodo hic fit exceptio? horum verborum, *incipit*, & *desinit*, si loquendum sit ad canones istorum, nullus esse potest usus. Quis poterit tenere minutias illorum instantium, quum in prandio sumo secundam buccam, aut etiam quum primam habeo inter dentes, non possum dicere, *incipio prandere*, quod infinita vis instantium præterfluxerit: nec quum mando postremam, *desino prandere*. Quum libri secundam literam scribo, non incipio librum scribrre, quum antepenultimam, non desino. Quid ergo potest *incipere* aut *desinere*? Plinius, *apud Græcos*, inquit, *desiit nugari Diodorus*: non possunt inveniri exponentes: rejicienda est tanquam parum dialectica. Quæro cur homines *nominales*, qui negant esse in rerum natura *instantia*, Scotum, & *reales* sint in hoc

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

hoc ſecuti, de *inſtantibus* exponentes immediate, *incipit*, & *deſinit?* An non videtis cavilla quæri, & materiam luſui aptiorem? *Comparativa*, & *ſuperlativa* dicunt diſtribuere terminos ſequentes, ut non idem ſit: *Socrates eſt Trojanis doctior*, & *omnibus Trojanis doctior*: quia ſunt duo *ſigna mobilitantia*. *Socrates eſt Græcorum doctiſſimus*, & *omnium Græcorum doctiſſimus*. Quid ego his & ſimilibus refellendis nugis ludam operam, quam illi ipſi uſurpandis, quæ ſunt pueris ad deriſum cognita? Illud acutum, quod ex hujus *exponentibus*: *Socrates eſt Græcorum ſapientiſſimus*, unam faciunt quidam, *omnes Græci ſunt ſapientes*. Cur non has exponunt, *multo doctior*, *paulo*, *aliquanto*, *non multo*, *non paulo*, quæ magis expoſitione egent? Socrates a Græcis differt, vera, differt a Græcis, falſa, quia diſtribuitur. Et quemadmodum hanc: *Uterque homo diſputat*, explicant, *aliquorum duorum hominum quilibet*: ita hanc, *alter homo diſputat*, *omnium duorum aliquis*. Quis unquam talem excogitaſſet ſenſum, qui Latinam linguam audiviſſet? Tum *ſignum collectivum* cum ſuo termino facere *terminum communem*, & *propoſitionem indefinitam*, & poſſe *univerſalizari*, & *fieri collectivam*. Capiamus ergo hanc: *Omnes Apoſtoli Dei poſſibiliter ſunt duodecim*: fiat rurſus collectiva, *omnes omnes Apoſtoli Dei*: rurſum diſtributiva, *omnes omnes omnes Apoſtoli Dei*: quo quid eſt abſurdius? Et hanc concedunt, *omnes duo Apoſtoli Dei ſunt duodecim*. Similiter, *omnes Apoſtoli Chriſti non ſunt boni*, vel, *ſunt non boni*, veram eſſe volunt, quia Judas fuerit malus: cui Ariſtoteles refragatur diſertis verbis in libro Elenchorum, negans poſſe dici *non bona ea*, *quorum aliquod unum non ſit bonum*. Addunt *obligationes*, quas alii *Theſes* vocant: quaſi vero hæ eſſent formularum artis, & non potius exercitatio, & uſus artis, quo quiſque nihil concedat repugnans, aut neget quod conſequatur. Tum etiam *inſolubilia*, quum in ſe reflectuntur enunciationes: hæc propoſitio eſt falſa: *Omnis propoſitio univerſalis ſignificat aliter eſſe quam eſt: omnis conſequentia in Darii eſt mala*, *hæc eſt conſequentia in Darii*, *mala ergo*. Sed illas omnes, & ſimiles de aliis oportet loqui, non de ſe. Si quis dicat: *ego mentior*, continuo rogabunt omnes, quid dixerit, in quo ſit mentitus: hæc pronuntiatio eſt falſa: quærent,

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

quænam? ſi pergat dicere hæc ipſa, reſpondebunt id nec verum eſſe nec falſum: idcirco non defuerunt inter eos quidam, ut Petrus Mantuanus, & Andreas Limoſus, popularis meus, qui negarent propoſitionem poſſe oſtendere ſeipſam, multum aliis frementibus, quod tanta materia diſputationibus detraheretur. Itaque calumnia eos impetiverunt, quo id dicerent ſubterfugientes argumentorum laqueos, & pugnam ignave detrectantes. Sed ſit finis, quum illi finem nullum faciant, nam in infinitum ſunt egreſſi, quum in omni Dialectica, tum potiſſimum in his *parvis logicalibus*, quem *ſeptimum tractatum* nominant extra Logicam utranque *novam*, & *veterem*, quod nihil eſſet de his traditum a prioribus: quæ res in cauſa fuit tantopere corrumpendi hanc partem; quod ipſi nulli melius ſentienti innixi, toti eſſent ſui, confinxerunt omnia pro captu illo ſuo, & linguæ, & bonarum rerum omnium expertes. Atque hoc loco, inquam, reliqua omni Dialectica quum ignorarent, quænam eſſent ſua, quæ aliena, & in omnes fere artes impetum indocte feciſſent, detinuerunt auditorem diutiſſime, tradendis tam multis præter rem *naturalibus*, *ſupernaturalibus*, *divinis*, *grammaticis*, quæ ut erant perplexa, & confuſa omnia, ita fuerunt per majores ambages circunducenda. Mirandum eſt, quum *Dialecticam* fateantur eſſe *inſtrumentum aliarum artium*: huic Lutetiæ duos annos impendi, ceteræ autem philoſophiæ, & de *natura*, & de *moribus*, & *primæ philoſophiæ*, vix annum. Quid quod quidam etiam de hoc anno aliquid Dialecticæ decidunt. Multi tota vita etiam longiſſima nihil ſunt aliud quam dialectici. Ea mora plurima ſuaſit inducere alieniſſima a re, & depravatiſſima. Idque uſu venit eis, quod eſt apud Ciceronem de philoſophiæ ſtudiis ſub perſona L. Craſſi in tertio de Oratore: *Iſta diſcuntur*, inquit, *facile, ſi & tantum ſumas quantum opus ſit, & habeas, qui docere fideliter poſſit, & ſcias etiam ipſe diſcere: ſed ſi tota vita nihil velis aliud agere, ipſa traditio, & quæſtio quotidie ex ſe gignit aliquid, quod cum deſidioſa delectatione veſtiges: ita fit ut agitatione rerum ſit infinita cognitio, facilis uſus doctrinam confirmet, mediocris opera tribuatur, memoria ſtudiumque permaneat: libet autem ſemper diſcere, ut ſi velim ego talis optime ludere, aut pilæ ſtudio tenear*

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

tenear, etiam fortaſſe ſi aſſequi non poſſim. At alii quia præclare faciunt, vehementius quam cauſa poſtulat, delectantur, ut Titius pila, Brulla talis. Quare nihil eſt quod quiſquam magnitudine artium, ex eo quod ſenes diſcunt, pertimeſcat: namque aut ſenes ad eas acceſſerunt, aut uſque ad ſenectutem in ſtudiis detinentur, aut ſunt tardiſſimi. Res quidem ſic ſe mea ſententia habet, ut niſi quod quiſque cito potuerit, nunquam omnino poſſit perdiſcere. Sic Cicero. Et quia ſtatim altercandum erat, & ſemper altercandum, quæſita ſunt ſpinoſa quædam apta diſputationibus, quæ materiam ſuppeditarent rixis, & diutiſſime proferrent altercationem etiam in tradendis præceptis artis: nihil ſemel dicunt, ne adimant ſibi argumentandi, & in contrarium dicendi occaſionem. Sed ſi quam diffinitionem, aut formulam tradunt, primum confuſe & ruditer proponunt, poſtea paulatim, velut cogentibus ad id argumentatiunculis, expoliunt, & crebris tibicinibus fulciunt, ut denique per longiſſimos verborum circumactus ſit perfecta: & queruntur poſtea de prolixitate eorum, qui excultius ſcribunt, quum ipſi, dum undique anſas argumentorum venantur, id multis paginis vix explicent, quod exponi pauciſſimis verbis potuiſſet. Jam vero ne deeſſet velut bello huic commeatus, de omnibus inquiſierunt etiam reconditis, & alienis, & puerilibus, & abſurdis, & de iis, quæ capere non poteſt humana mens: quum tamen Ariſtotalis ſit in primo Topicorum ſententia, neminem ſanæ mentis propoſiturum, *quod ab omnibus vel reprobatum ſit, vel comprobatum, vel etiam plurimis:* hæc enim dubitationem nullam habent, nam quæſtio dialectica, eſt quæſtio probabilis, non paradoxa. Nec contenti iis, quæ natura ingenii humani aſſequi, & definire poterat, ad vivum voluerunt omnia reſecare, adducti dulcedine diſputandi. Et quemadmodum, qui pruritus titillatione acti nimium ſcabentes ſanguinem eliciunt, & dolor ſuccedit in locum ſuavitatis: & mali chirurgi, dum morbidum nimis reſecant, ſanum quoque attingunt: ita iſti dum nimium ſcalpunt, veritatem amittunt, & in falſum incidunt, quod profert ſe majore aliqua veriſimilitudine, quam verum ipſum: ut interdum aurichalcum magis exprimit colorem auri, quam aurum ipſum: & qui ſimulat, quam qui agit ſimpliciter,

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

propius ad imaginem veri accedit, etsi longius a vero ipso. Hinc est acutus ille Mimi versiculus: *Nimium altercando veritas amittitur*. Ad populum vero spectatorem, & interdum etiam, si diis placet, altercationum arbitrum quæsita ludrica tanquam in fabula, ac ipso sono grandia, & vasta, ut pullata turba admiraretur, quæ non caperet, ipsique magni essent vulgi existimatione. Inde arrogantia, quod aliquid sibi esse viderentur, quia populo stulto judici videbantur: nam bellaces homines pulcherrimum censebant esse titulum *invicti*, ut principes: hinc *sophistæ* nomen sunt amplexi, quum alioqui *sophistam* diffinirent non *existentem*, sed *apparentem*. Quidam se *horribilem sophistam* cognominabat Lutetiæ, non minorem eam appellationem ratus, quam *Africani*, aut *Asiatici*. Intravit palam, & magno agmine ostentatio, atque ex ea pertinacia non cedendi melius dicenti, ne victus hoc coactusque vi argumenti videatur facere: & ex pertinacia tuendi quicquid suscepissent convicti, & prostrati, ad rem maxime absurdam confugiebant, quæ illos in præsens periculo eximeret: mox liberati honorem illi habebant, tanquam servatrici, & dignitatem attribuebant placiti; ita ex evasione transibat in dogma. Accendebantur leves homines gloriæ cupidine; quum se quisque authorem haberi vellet novi inventi, quæ confirmavit consensus sequacium, quod erat factu facillimum, quum ad eam rem nec literis, nec libris esset opus, tantum invicta contentione, si sibi in respondendo constaret, nec admitteret repugnantia: vere erant placita; nam pro ratione nihil afferebatur aliud, nisi, *sic placet*, *sic videtur*, *impugna ipse*, *ego consequenter tuebor*. Nam quum Aristoteles quinque metarum genera posuerit, in quibus sistit disputatio; ubi ad aliquid illarum est perventum, isti nihil est tam nugax, aut inopinabile, aut contrarium magnis viris, aut absurdum, & anile, quod metam censeant: sola *contradictio* est meta, & ea una efficit, ut rejiciatur dogma ad alia quantumcunque absona, & stulta: unicum dant responsum, *concedo; nam sequitur ex mea conclusione*: imo ipsi iidem posito dogmate statim ultro inferebant paradoxa quædam, ad quæ omnia illa erat clausula: *Hæc omnia sunt concedenda, quæ sequuntur ex opinione mea*. Ita Dialectica fuit quidquid cui-

vis

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

vis aliquando quomodocunque veniſſet in mentem. Qualia vero eſſent illa placita præter ea, quæ attigi, quæ tamen ſola attigi, maxime inter eos vulgaria, & receptiſſima de peculiaribus, quorum nullus eſt modus. Hinc poteſt intelligi, quod ad ea afferenda veniebant pueri ſine lingua, ſine libris, ſine eruditione, inſtructi caſibus tanquam quæſtionibus hariolandi, quas pueri unius noctis meditatione ſexcentas citius excogitant, quam vìri graves ſexcentis annis unam. *Omne a poſſibiliter eſt b, & tamen nullum b poſſibiliter eſt a:* & ejuſmodi. Hinc infinita dogmata, & totidem dialecticæ. Hæc Pauli, illa Hentisbari, alia Mantuani, Scoti, Thomæ, Alberti, Ochami, Paridi, Dullardi, parcam nominibus viventium, & id quidem non in ea parte, quæ eſt de invenienda probabilitate, aut de judicio argumentationis, quod eſſet ferendum, ſed in intelligentia, & explicatione, ac uſu ſermonis Latini, qui unus ſemper eſt, & ſimplex. Et tamen quum talia ſint eorum inventa, mirantur non intelligi ab aliis, quæ ipſi ſomniarint: quaſi omnes ſint Joſephi, aut Danieles, qui poſſint illa interpretari: egreſſique illam ſuam rerum naturam, quam incolunt, mirantur, ſe, & ſua ab aliis non agnoſci, & ad hujuſmodi formulas exigunt dicta omnium, quæ quum non congruunt, *indoctos* eos eſſe judicant, & *aſinos* pronuntiant, gaudentque ſe non intelligi; ut *Circulatores*, quod obtuitum ſpectantium fruſtrentur: maximorum quoque Scriptorum dicta examinant, quæ non congruere ad ſuos canones initio non tam admirantur, quam velut indoctos, & ſe inferiores aſpernantur. Poſtea tuente illos vetuſta authoritate, & conſenſu generis humani, ipſi etiam diſtinctionem habeant in gratiam illorum inventam. *Verum*, dicunt iſti, *in ſenſu, in quo fiunt propoſitiones, non in ſenſu, quem faciunt*. Quo quid poteſt dici inſanius? quaſi melius ſciant pueri, quem ſenſum faciunt verba, & ſententiæ Latinæ, quam Cicero, Varro, Plinius, Seneca, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus: aut Græcæ, quam Demoſthenes, Plato, Ariſtoteles, Iſocrates, Gregorius, Baſilius, Chryſoſtomus, Origenes.

Adducti ſunt quidam in eam opinionem, ut dicant hæc quidem hactenus eſſe aliis artibus utilia, quod acuant ingenia diſcentium, & ſi quis hæc intelligat, facile etiam

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

alia aſſequetur minus difficilia , quorum neutrum eſt verum . Videntur eſſe illa ingenioſa , partim quod non intelliguntur : nam quidam ea ſola habent in pretio , quæ non capiunt , alii ſubtiliſſimam oportere rem eſſe arbitrantur , quam ipſi non cernant . Multis perinde videntur arguta , ut luſus pueriles feſtivi , & argutuli . Nam ænigmata hæc non ex ingenio eruditione multa exercitato & ſubacto , ſed ex ignorantia meliorum ſunt nata , tanquam herbæ inutiles in ſolo inculto : neceſſe erat eos aliquid agere . Hæc eſt enim natura humanorum ingeniorum , ut quoniam igneum eſt , etiam hebetiſſimum , ſe ad aliquid agendum applicet . Itaque non acuunt hæc ingenium , ſed cogunt ſylveſcere : contentioſum reddunt ſpinæ iſtæ , & moroſum , non vividum , & actuoſum : in pulchris acuunt quidem , & dedolant , ſed ita , ut nihil ſuperſit ſolidi : extenuant , minuunt , deprimunt : & in his ſemel fractum haud facile ad res præclaras ſinunt attollere : præſertim quum hæc non modo aliena ſint a veris artibus , ſed etiam contraria , ut tendentibus ad altiores , ac veras diſciplinas , tanta ſint hæc cura dediſcenda , ne profectum impediant , quanta fuerant accepta : quum tamen inſtrumentum aliarum ſit artium , ad quod depravatum torquent alia , & poſt tam diuturnos clamores in ſcholis adeo ſe pugnando exercitatos eſſe rentur , ut jactent ſe argumentis poſſe vertere *candida in nigra* , & ex *homine facere aſinum* , quod longiſſime abeſt a vero . Nam iſtorum lingua aut intelligitur , aut non . Si intelligitur , laniſta in laniſtam dimicat , & pirata in piratam , nihil eſt jacturæ ; etiam ſi antiſophiſta mediocriter ſit inſtitutus ; tanta eſt opinionum inter illos etiam probatarum varietas , ut hac concluſus evadere poſſit illac . Ideo ad obſtruendos exitus , & ſuffugia , multa conſueverunt , ut ipſi vocant , *ſupponere* . Qui non intelligit , quæ loquuntur , quomodo capietur ? coget eos apertius loqui , & communi lingua : in ea vero tam nihil valent , ut nulla ſit vetula , aut cerdo de vulgi fece , qui non illis vertat *nigrum in candida* : nec ulla tam imbecillis ratio ſumpta de vita , & de medio , quæ non eos perturbet , nempe res ipſis nova atque inuſitata. Laurentius Valla aggreſſus eſt reconcinnationem facere Dialecticæ , in qua diſſentit ab Ariſtotele , & Peripate-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

pateticis veteribus , ac novis . Monet in quibuſdam neutiquam prave , etſi ea ſunt perpauca : in pleriſque labitur, ut fuit vir ille vehemens , & ad faciendum judicium præcipitatus . Nec ſolum in re Dialectica falſus eſt , ſed in philoſophia ; nam hanc quoque attingit , & quod magis mirere in præceptis Latinæ linguæ . Sed non minus illic improbando aberravit , quam in elegantiis , & invectivis . Cæterum Dialecticæ illius errores , qui ſunt ſane multi , nos vel omittemus prorſum , vel in aliud tempus, ſi videbitur , reſervabimus : nam ſuſcipere cum eo diſputationem res eſſet nimium prolixa , minimeque in præſens neceſſaria , quod illius argumenta nec magnis rationibus nituntur , nec proinde ſunt ab ullo recepta , tanquam dogmata artis hujus .

LIBRI TERTII FINIS.

JOAN-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

JOHANNIS LUDOVICI VIVIS

DE

CAUSIS CORRUPTARUM ARTIUM.

LIBER IV.

Qui eſt de corrupta Rhetorica.

HUmanæ omnes ſocietates duabus potiſſimum rebus vinciuntur, ac continentur: juſtitia, & ſermone, quarum ſi alterutra deſit, difficile ſit cœtum, & congregationem ullam, ſive privatam, ſive publicam, diutius conſiſtere, ac conſervari, neque enim vel cum iniquo poſſit quis habitare, & *contrahere vitæ commercia*, ſive ſit ipſe optimus, ſive iniquiſſimus, vel cum eo velit vivere, quem non intelligit. Itaque duo ſunt velut clavi, quîs conventus hominum reguntur, juſtitia & ſermo: ſed juſtitia tacitas habet vires, & lentas: ſermo vero præſentiores, & magis celeres: quod altera rationis & conſilii vim admovet, alter animi motus excitat. Ergo quem juſtum eſſe arbitrantur, ab eo ſe homines facile patiuntur regi, qui vero plurimum poteſt ſermone, eſtque ad dicendum inſtructiſſimus, hunc volunt ducem, & rectorem eſſe ſui, & huic ſe totos permittunt, rati eandem eſſe vim in animo dicentis, quam experiuntur eſſe in animi fluvio ſermone. Sed non omnes congregationes quicquid volunt efficiunt. Nam in aliis unus adminiſtrat omnia, vel certe pauci conſenſu, & conſpiratione inter ſe quadam velut fornicati, magniſque viribus & potentia ſuffulti, ſi quis imperio repugnet. Multitudo nec ad decernendum, exequendumve quæ ſtatuerit, habet vires, ſed ne ad cœtus quidem, & conventus celebrandos, quibus nihil eſt formidabilius paucorum potentiæ. Sunt aliæ congregationes, quæ liberæ nominantur, penes quas ſupremum eſt imperan-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

perandi jus, & quodcunque imperaverint, ad id exequendum vires. In illis prioribus ſi quis plurimum dicendo polleat, vel non auditur: neque enim ſinitur publice loqui, vel etiam ſi dicat, & perſuadeat multitudini, ea tamen & voluntatem habet metu præpeditam, & manus alligatas. In populari imperio, quoniam quicquid multitudini eſt viſum, id protinus habetur ratum, plurimum valet ad omnia vis dicendi. In iſtis ergo, quando homines proclivitate naturæ ad honores feruntur, ad opes, ad fortunas, dignitatem, potentiam, permulti ſtuduerunt, ut optime ad conciones civium dicerent: quod, qui faciebant, oratores nominati ſunt, & eorum ars oratoria; Græce rhetores, & Rhetorica. Hoc quidem dicendi principium. Sed ornatius dicendi, & acutius inveniendi ex neceſſitate fluxit. Cujus originem Ariſtoteles Siculis tribuit acuto hominum generi, & ſuapte natura faceto, atque ad dicendum parato. Apud hos enim cum crebra tyrannorum mutatione, quorum nulla fuit regio feracior, poſſeſſiones, & bona adempta aliis eſſent, aliis donata, poſtea vero tyranno vel occiſo vel pulſo, qui exulabant, & patrimoniis erant devoluti, legibus, & judiciis, & æquitate juris ſua repeterent, inſtituerunt excultius quoddam, & politius dicendi genus in forum adducere, tum acrius, & argumentoſius, idoneum ad perſuadendum permovendumque judicum mentes, & totius coronæ. Hinc extitere artis hujus præceptores antiquiſſimi, Empedocles Pythagoricus, qui moviſſe aliqua circa Rhetoricen ſcribitur, ut ait Fabius. Tum Corax & Tyſias, qui ex uſu & dicendi conſuetudine obſervata quædam præcepta tradidere: hos ſecutus eſt jam cultus, & elimatus magis homo inſulæ ejuſdem Leontinus Gorgias, a quo multi ſunt Athenis docti. Ex neceſſitate hac recuperandi ſua, ad alia quoque expetenda translatum eſt inſtrumentum: ut quemadmodum moverant judices, moverent etiam animos in concione populi, ſenatus in curia, denique eorum omnium, qui plurimum poſſent in republica, & in quorum manu atque arbitrio fortuna eſſet omnis poſita civitatis: idque tanto erat efficacius, quanto is qui diceret, populum eſſet nactus acutum, callidum, intemperantem, concitabilem, qui facile dicentis oratione tanquam aura quadam permove-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

moveretur, & agitaretur. Nam in bene conſtitutis civitatibus quieto & moderato, atque etiam paulo hebetiore populo, etiam ſi libero, non tamen magnus relictus eſt locus facundiæ ad ſe jactandum, quemadmodum Cretæ, vel Lacedæmone. Athenis autem præfervida civitate ac mobili, & in Aſiæ Græcis coloniis, qui pene fuerunt Athenis in ea loca deductæ, Rhodi quoque, & in Sicilia, poſtremo Romæ dominatus eſt orator, ubi eloquentia invenit turbas acumine ingenii prædítas, inquietas, ambitioſas, & libertatis quadam aura tumefactas. Itaque Zeno ille Stoicus, qui Rhetoricen palmæ eſſe ſimilem pronuntiavit, Dialecticen pugno, aptius dixiſſet, Dialecticen ad ſubtilem doctorum examinationem argumentum colligere, rhetorem vero ad popularem ſenſum applicare: nam brevius non raro colligit orator quam dialecticus: ut quum enuntiationem unam pro tota argumentatione ponit interdum bene longa, quemadmodum in inſtrumento probabilitatis eſt a nobis oſtenſum. Ergo ut erat exercitium hoc gradus ad ingentem potentiam, expetiverunt hanc artem homines honorum cupidi, opulenti, occupati negotiis: quumque ad actionem & deſtinatum uſum converterent quicquid vel didiciſſent a præceptoribus, vel ipſi experimentis deprehendiſſent, vel inveniſſent cogitationibus & incitatione mentis, non curarunt inquirere quid eſſet ea ars, quæ ejus materia, qui limites, quam late pateret, quis ſcopus: videlicet non eam ad ſcientiam aliquam excolebant, ſed ut locum dignitatis in civitate ampliſſima obtinerent, opibus, & honore cumularentur, & quandam velut tyrannidem exercerent dicendi viribus tanquam ſatellitio circumſepti, quo & opem amicis ferrent, & inimicos fatigarent. Ergo illa omnia temere ſunt ab eis definita, nempe ab occupatis, & alio intentis. Videbant uſu quotidie venire, ut de republica dicerent; de pace, de bello, de juſtitia, de magnanimitate, fortitudine, opibus, fortuna, de navigatione, de ventis, de imbribus, de natura oceani, de cœlis, diis, hominibus, de affectibus, & opinionibus, de ſalubritate, de peſte, de cibis: putaverunt omnia eſſe artis hujus, quoniam nihil erat de quo non aliquando eſſet dicendum. Clamat Quintilianus, & indignabundus velut res ſuas repetit; *amputata* eſſe de Rhetorica per homi-

nes

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

nes desidiosos, quæ ad naturæ contemplationem, quæque ad componendos mores attinerent; & ex uno studio facta multa, tanquam membris uno ex corpore divulsis ac dissipatis: Fuere qui tanto ambitu gauderent professionem suam extendi, ne rem levem & cuivis facilem aut obviam viderentur præstare. Alii qui opes erant & potentiam eloquentiæ adjumento consecuti, difficiliorem aditum & arduum magis ascensum ostenderunt, ne alii secum æquarentur dignitate, neu curarent eadem ingredi, difficultate perveniendi deterriti. Aristoteles Rhetoricen diffinivit vim seu facultatem videndi quid in quoque sit probabile: *nec facit*, inquit, *Rhetorice probabilia, sed videt: sicut nec facit medicus salubria, sed videt.* Itane vero tam est de justitia rhetoris dicere, quam medici de pharmacis, de herbis? omnes igitur artes sunt Rhetoricæ, sicut pharmaca omnia medicinæ: imo hæc ipsa medicina Rhetoricæ pars erit: & muta illa corporum, & linearum, & numerorum inspectio, & tota ars pulvere & radio contenta, Rhetoricæ fuerit pars. Quid facitis? immensum onus imponitis humeris tam teneræ puellæ, ac delicatæ? Idem imponetis dialecticæ. An Rhetoricen conferruminationem quandam facitis artium & disciplinarum omnium? Quis non videt non esse rhetoris de cœlo, deque elementis dicere, de angulis, de pyramide? Quod si illius sunt hæc omnia, cur de eis non præcipit? Quis unquam tam ambitiosus fuit rhetor, qui hæc ad curam suæ artis revocaret? ne Græculi quidem, qui omnia tentarunt, & quorum innumerabilia extant tractationis hujus præcepta. *At, qui hæc callent omnia, dicunt melius:* ceu vero non unaquæque ars alia quavis adjuvetur, nec protinus pars est illius. Adminiculo est naturæ contemplationi cognitio veteris memoriæ, num ideo historia pars est philosophiæ de natura? architectus melior, si sit philosophus: quid? ergo philosophia par est architecturæ? Non potest esse historicus qui non sit cosmographus, non astronomus, qui non arithmeticus, non medicus, qui non etiam physicus: artes tamen sunt separatæ, & distinctæ. Hæc quum reputarent magni artis hujus patroni, satis intellexerunt non posse omnia illa tam varia, tam immensa, tam late fusa ac patentia rhetorem unum capere ac sustinere: ideo alii gemi-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

minam fecerunt Rhetoricen : unam *universalem*, quæ res omnes complecteretur , de quibus aliquando dici possit, alteram *particularem*, & usui civili appositam, quæ solum in rebus civilibus versatur . Ideo quædam de philosophia morum excerpta documenta in hanc artem invexerunt, sed ut in alieno loco leviter , & defungendi solum gratia. Nec Aristoteles dissimulat parum exacte tradi sibi in rhetoricis, quæ de rebus moralibus differit , sed ad captum popularem, cui uni debet orator servire, turbis & concionibus natus . Cur Quintilianus, qui philosophos furti arcessit tamquam iniquos possessores moralis disciplinæ, ipse nihil pene de ea re tradit ? si remittunt adolescentem suum ad philosophum, ut inde repetat, cur ipsi præcipiunt tam negligenter, & *crassa* quadam *Minerva*, ut appareat eos in alieno versari opere, & ad se nihil attinente ? Cur tantam & tam præclaram suæ artis partem occupatam indigne ab iniquis possessoribus, & imperitia illorum contaminatam non repurgant , & suo splendori restituunt ? Sed certe non magis de moribus , aut de re alia quavis dicere fuerit rhetoris materia , quam si quis scribendi profiteatur artem, materia huic fuerit pannus aut charta : bene ille quidem hæc scindet, si dentur, sed ipse non adferet quatenus scissor, ac ne si sit quidem involuta, aut dura, & parum scissioni apta, ipse ut scissor evolvet, & molliet, & scissioni accommodabit, sed jam ut alius artifex id faciet , si quid fecerit tale . Non defuerunt qui præceptis morum in media rhetorica tradendis magis delitiis & desidiæ consuluerint discentium , quam quod putarent esse artis : ut quandoquidem Rhetoricam solam petebant ii , qui in curia, & foro, & oculis multitudinis volebant versari , reliquas omnes artes vel non vacaret attingere, vel omnino, ut ignobiles obscurasque aspernarentur , haberent in opere tituli Rherorices omnia velut delibata, de quibus esset eis aliquando in civitate disputandum : volebant omnes bene dicere , & cito volebant, de qua festinantia Cicero , & Marcus Fabius conqueruntur: ita illa ipsa, quæ erant ab arte aliena, non discerent, nisi velamento quodam Rhetorices obtecta, ut quum absynthium pueris datur illitum melle. Ergo multis non licuit de arte præcipere, sed de hoc artifice, & utili dolo ingesserunt, quæ

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

quæ ſimpliciter & aperte tradita reſpuiſſent. Sed hac de re ſatis.

Prætereo innumeras rhetorum opiniones ac ſententias: aliis augentibus materiam, aliis minuentibus. Cicero varius eſt, & lubricus, & incoſtans, ut fere in rebus philoſophicis. Vellet omnia ſubjicere oratori L. Craſſus: M. Antonius non ſinit, quorum apud Ciceronem diſputationes notiſſimæ ſunt. Nam Antonio is orator ſufficit, qui verbis ad audiendum jucundis, & ſententiis ad probandum accommodatis uti poſſit in cauſis forenſibus atque communibus: quique ſit præterea inſtructus voce, & actione, & lepore. Tales profecto fuerunt, qui Athenis, & in Aſia, & Romæ pro oratoribus habentur, celebranturque, decem illi Athenis, tum Romæ duo illi, quos modo nominavi, & Cato, Gracchi, Galba, Sulpitius, Cotta, Hortenſius, qui non inſtructi ac parati fuerunt a cognitione plurimarum artium, ſed ingenii acumine & ſolertia, uſu, prudentia communi, & in ſermone elegantia, & cultu quodam. Jam quid ſit ipſa *Rethorice*, *ars* ne, an *ſcientia*, an *virtus*, an *vis*, an *inſtrumentum*, & ut Græci dicunt, ὄργανον. Nam alii eam ita ſuſtulerunt præclaris nuncupationibus, ut aliorum invidiæ objecerint, qui illam etiam *pravitatem quandam artis* nominarunt, Græco verbo κακοτεχνίαν. Socrates in Gorgia Platonis *adulatoriam*, & *ſimulatricem* particulæ civilis facultatis. Alii *vim*, alii *uſum* dixerunt, alii *artem a ſcientia & virtute disjunctam*. Quidam vero *ſcientiam*. Stoici *eloquentiam* dicunt *virtutem*, & *ſapientiam*, & talem eſſe *Rhetoricen*: quemadmodum Quintilianus colligit, nec *oratorem quidem eſſe poſſe niſi virum bonum*. Quod Cato velut ex oraculo protulerit *oratorem eſſe virum bonum dicendi peritum*. In quo ita laborat & ſudat, dum contendit planum facere Ciceronem ac Demoſthenem, qui inter oratores primi habeantur, bonos fuiſſe viros, ut me graviſſimi viri miſereat, qui res tam diverſas natura voluerit conjungere, & ex duabus invitis & reluctantibus unam facere. Obſcure quidem Cicero, ſed aliquanto verius tamen in tertio de Oratore libro. De oratoria enim loquens ſic inquit: *Quo major eſt vis, hoc eſt magis probitate jungenda ſummaque prudentia, quarum virtutum expertibus, ſi dicendi copiam tradiderimus, non eos qui-*

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

quidem oratores effecerimus, ſed furentibus quædam arma dederimus . Sic ille : quanquam redit paulo poſt ad priorem ambitionem , & *oratoriam* facit eſſe *ſapientiam* , nempe *cogitandi pronunciandique rationem , vimque dicendi :* & confundit quæ ſunt diſcretiſſima : atque ejuſdem eſſe artis retur *bene ſentire* , & *bene dicere* : utiliter ſane : atque utinam id hominibus perſuaderet , ſed non perinde vere, quippe quæ finibus , materiis , & toto uſu ſeparantur. Nam quod Cato virum bonum dicendi peritum oratorem eſſe pronuntiarit , miror communem atque uſitatam loquendi rationem aliorſum eſſe ab hominibus doctis detortam. Vulgari enim linguarum omnium conſuetudine viri boni & nominantur , & habentur , qui nullo ſunt probro infames . Neque enim vir bonus eſt in propoſito cenſendus ad Socratis & Stoicorum formulam , & ad illam , juxta quam de ſponſione boni viri ſententiam noluit ferre C. Fimbria conſularis , ut eſt apud Marcum Tullium : ſed eo ipſo modo , quo Cato idem initio libri ſui de re ruſtica : Et virum bonum majores noſtri quum laudabant , ita laudabant : bonum agricolam , bonumque colonum ; ampliſſime laudari exiſtimabatur , qui ita laudabatur . An hic etiam Stoicum illum bonum virum quærent ?

Jam quod exercitationis hujus fructus peteretur , ſive noxiis civibus in foro poſtulandis , aut tuendis innocentibus , ſive in curia de eo quo de conſultaretur , aut publice in concione ſententiam dicendo , duo fecerunt genera cauſarum , *judiciale* , & *ſuaſorium* . Quod vero frequentes haberentur in Græciæ conventibus panegyrici , tum dicerentur *funebres laudationes* eorum , qui pro patria occubuiſſent , quos illi vocant ἐπιταφίους , Romæ quoque mos fuit viros primum fato functos , hinc feminas quoque publice in funere laudari : additum eſt tertium , quod *laudativum* nuncupatur , & *demonſtrativum* , id eſt , ἐπιδεικτικόν . Ita numerus viſus eſt ſatis plenus , ut *cauſarum tria eſſent genera* , quæ modo memoravi . Hanc diviſionem Ariſtoteles in literas retulit , cæteri magno conſenſu tantum ducem ſunt ſequuti . In quo ſicut in aliis fere artis hujus non tam in rei naturam Ariſtoteles eſt intuitus , quam vel conſuetudinem explicuit , vel ea pro magiſtra uſus eſt. Siquidem facultas dicendi tamquam univerſale quoddam inſtrumentum

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

tum per omnia de quibus dicimus fusa est, non aliter quam Grammatica, & Dialectica. Nec Cicero & Quintilianus tacuerunt plura esse, de quibus diceretur, genera etiam Quintilianus multa explicuit. Sed ex illorum trium præceptis putaverunt, quæ ad alia esset opus, posse derivari. At qui diversissimam habent inveniendi, disponendi, ornandi rationem. Quis non videt ad agendas gratias, ad gratulationes, ad consolationes, ad historiam, ad descriptionem, ad præceptiones longe esse alia, & inventione & elocutione opus, quam ad judicia, & consultationes, & demonstrationes? Atqui illa non raro materiam suppeditant dicendi: ideo & de quibusdam horum seperatim aggressus est quædam tradere Dionysius ab Halicarnasso. M. Fabio satis videbatur ratio in contrarium evincere, ut plura statuerentur genera: sed tutissimum censuit authores plures sequi, præsertim quum in eis haberet Ciceronem suum. Adde quod ex illis tribus quæstus nascebatur in civitate uberrimus, quo factum est, ut reliqua contemnerentur, tanquam sterilia, & homines in illis primis exercitati, facile si quid esset de aliis dicendum, ex suo usu expediebant, quæ possent in vulgus cum favore & plausu recipi, ut est in facultate hac exercitatio potior, quam ars.

Jam quinque fecerunt partes artis, *invenire*, *disponere*, *eloqui*, *meminisse*, *pronuntiare*: alii alia addidere, ut quidam *judicium*. Principio *meminisse* naturæ est, quæ si arte adjuvatur non protinus est rhetoricæ, sed peritiæ cujusdam, quam *memoriam* appellabant veteres, nunc vulgo *memorativam*, cujus inventorem fuisse tradunt Simonidem vatem. Sed isti quemadmodum initio dicebam, quibus viderent indigere oratorem, ea omnia in artem hanc invexerunt, tanquam artis partem. An non reliquæ artes omnes egent memoria, Grammatica, Dialectica, Arithmetica, Juris professio? Quid ergo? uniuscuisque artis memoria est pars? Quod si quis artifex vendicare sibi memoriæ tractationem ceu jure suo posset, is nimirum esset jurisconsultus, qui maxime indiget, propter multitudinem & varietatem legum atque interpretationum. Ideo Cicero necessarium esse oratori dicit acumen dialecticorum, memoriam jurisconsultorum. *Pronuntiare* vero

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ornamentum eſt artis, non pars. Scribendo enim tueri orator poteſt ſuum munus, & maximus eſſe orator ſine geſtu, tametſi non eam habebit venuſtatem, gratiam, vim, ut magiſtratus ſordide aut neglectim veſtitus. Porro in voce, ſi quæ ſit ejus natura ſpectatur, philoſophi eſt officium: ſi quemadmodum exercenda, phonaſci: ſi quomodo ea utendum pro locis, pro temporibus, pro rebus, civilis eſt educationis, ut tota geſtuum & cultus ratio. Si hoc poſtremum vult ſibi orator vendicare, ſit ſane, quando nemo erit qui aſſerat. Quid *invenire?* an hujus eſſe artis, aut omnino ullius dicemus, de cœlis, de homine, de tota natura, de moribus, de publica re, de privata, quæ ſis dicturus, excogitare atque invenire? Quod ſi ita ſit, quin huic nos uni cunctos tradimus, aliis omnibus valere juſſis, tanquam ſupervacaneis? Sed hoc certe ſingularum eſt artium in ſua materia: in vita vero eſt judicii, conſilii, & quæ ex his naſcitur, prudentiæ, quæ nulla comprehendi poteſt arte: ingenio, judicio, uſu rerum, memoria paratur. Nam quid, quo loco, quo tempore, apud quos, quatenus ſis dicturus, aut etiam non dicturus, hæccine ſunt rhetoricæ partes? profecto non magis quam officia vitæ omnia, & publice, & privatim: quibus tradendis nulla diſciplina, nulla artis præcepta ſufficerint: prudentia ubique præſto ſit, oportet tanquam conſultrix, & rectrix omnium. An etiam audiendus erit nobis Cæcilius Plinius, qui ait *didiciſſe ſe oratoris eſſe non magis loqui, quam tacere quum eſt opus*. Nunquid tacere quoque docet hæc ars? Quis jam non videt hos omnes prudentiæ ſurripuiſſe unde domum ſuam locupletarent? Itaque cumulus ille rerum, qui quum a Latinis, tum vero a Græcis Scriptoribus anxie congeritur, quid dicendum in proëmio, in narratione, argumentando, concitando animos, aut ſedando, in epilogis, in ſuſpicionibus immittendis, augendis, animadvertendis, tollendis, non ſunt hujus artis: ac ne ullius quidem. Uſus ſunt, qui in immenſum abit: ut mirandum ſit Græcos homines, qui in ejuſmodi mirifice ſolent ſibi indulgere, non etiam plura de his reliquiſſe volumina, & quæ nulla poſſent lectione percurri. Quam inepti in his ſunt, qui collegerunt ratiuncu-las aliquot, quibus diſcipuli in ſingulis vel cauſarum ge-

neri-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

neribus, vel orationis partibus uterentur? & dicta aliquot ex Demoſthene, aut Iſocrate deſumpta, nam in hoc plures ſunt Hermogenes, & alii Græci, quam Latini, pro formula nobis objiciunt dicendi. Poſtea vero quam multum ſe, ac diu jactarunt, ſeque ac lectorem torſerunt, nihil progreſſi hærent circa initia, & pueriliter ſapere ac loqui juvenem ſuum docent. Scilicet corrivare in Tyberis aut Iliſſi alveum conabantur ipſum Oceanum. Quid prodeſt illa coacervare, quorum rarus, aut quod potius puto, nullus eſt unquam uſus futurus? Ego abs te in arte univerſales canones, & dogmata ad omnem dicendi rationem apta e natura ipſa obſervata ac deducta expectabam, ac requirebam: nam ea demum artem efficiunt. Poſt hæc ſi tibi viſum eſſet, adjeciſſes exempla primæ exercitationis: acciperem, ferrem, etiam ſi minuta & puerilia: pro formulis vero tradere exempla ipſa non eſt artificis, ſed experti tantum. Verum hæc, quemadmodum dixi, etenim dicendum eſt ſæpius, nequis fallatur, præſertim in re tanta, rhetoricæ non ſunt, ſed judicii, ac uſus. Idcirco exemplorum hujuſmodi & plura, & accuratiora, & magis commoda docebit me dies unus conſuetudinis in foro, in curia, & cum prudentibus, quam multi menſes ſub tali dicendi magiſtro conſumpti. Sed ratio inquirendi argumenta dialectici eſt. Ideo Ariſtoteles octo libros Topicos inter logicos poſuit: de ea re quam tenuiter agit in rhetoricis, quam pene nihil? Et quum amplificatio, quæ fit per res, ex locis argumentorum petatur, ipſi de ea ſeorſum præcipiunt, ut dicas eos congerere potius dicendi documenta, quam in artem quandam digerere audienti ad diſcendum utilem: nimirum neque artem potuiſſent efficere, ignari quid tradendum eſſet, & quatenus, quum de materia & finibus prave ab initio judicaſſent. Elocutio magis artis hujus eſt propria: hanc vero perplexam & infinitam reddidit immodica Græcorum ſubtilitas, & otioſa diligentia, quæ omnes loquendi formulas ſive a loquentium conſuetudine alienas, atque abhorrentes, ſive protritas cum primis & vulgares, tanquam ſchemata & orationis lumina adnotavit. Stylum ſive characterem fecerunt triplicem, imum, ſummum, & inter duos illos interjectum mediocrem, idque multis verbis &

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

exemplis, etiam uſque ab heroibus velut repetita origine, ut ampliſſimus ſit Ulyſſes, Menelaus infimus, medius Neſtor, nec ſatis vere, nec ſatis ad docendum accommodate. Populum quidem facile fuerit in tres ordines diſtribuere, quia diſtinctio una ex re ſumitur, nempe ex cenſu. Quod ſi ex omnibus ſumatur, internis, corporeis, fortuitis, multo plures exiſtent ordines. Eundem ad modum in oratione virtutes aliæ ſpectantur ex electione verborum, aliæ ex contextu & numeris, aliæ ex figuris & ſchematis, aliæ ex argumentorum viribus & acumine, aliæ ex copia, aliæ ex tractatione animorum, aliæ ex gravitate ſententiarum, ita non tria eſſe modo poſſunt genera, ſed plurima, quando in unoquoque horum ſunt etiam plura quam tria. Cicero in Oratore hæc genera diſtinguit, ſed ita ut non facile dixeris, quid ſit ſecutus in ſecando, verba an compoſitionem, an ſententias, an argumenta. Jam nec ad docendum hæc conducibiliter ſunt excogitata: neque enim negant, quin multa ſint genera media, atque interjecta inter illa tria: atqui ea non minus oportebat explicari, quam colorum genera, quæ Natura inter atrum & candidum poſuit, aut ſaporum inter dulce atque amarum, qui quidem vehementer ab extremis diſtant, nec facile eſt per extrema cognoſci: aliam formam orationis infimæ epiſtola, aliud res ruſtica, aliud libri de philoſophia poſtulant: non eodem mediocri ad virtutem, & ad profectionem hortamur: nec ſimiliter invidiam & miſericordiam movemus. Fecerunt orationem velut hominem quendam, in qua eſſent caro, ſanguis, ſuccus, oſſa, nervi, cutis, color, ſtatura, habitudo, proportio partium, tum interna, ingenium, judicium, vigor animi, affectus, educatio & mores, quarum rerum partes eiſdem ſignant, quîs in homine: ſed obſcuriſſime ac perturbatiſſime: nihil diffiniunt ac declarant: non ſtatuunt quid oſſa, quid ſanguinem vocent, quid ſuccum, quid mores: idcirco mirifica eſt inter eos diſſenſio de his, ut de eadem oratione non modo diverſa pronuntient, ſed adverſa quoque: videlicet quum non conſtaret quid quicque appellaretur, ſed temere ac ritu populari nuncuparent ſingula, unuſquiſque hæc pro libito & captu ſuo uſurpavit. Illud vehementer admiror, quod tanta atrocitate verborum

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

rum verſum in ſoluta oratione veruerint fieri, fœdiſſimum id turpiſſimumque appellantes, nec, partem quidem verſus inferri ſunt paſſi duntaxat minuſculam. Cujus placiti ſæpenumero profiteor me rationem quæſiſſe, necdum inveniſſe ullam. Siquidem univerſaliter prohibent, nec auditorem reſpiciunt, nec dicentem, nec rem de qua dicitur, nec ob quem finem dicitur, nec genus aliquod verſus ſignant & diſtinguunt. Ajunt oportere celari artem, quæ prodit ſe ſi fiat verſus, & oſtendit in concentu & verbis occupatum eſſe oratorem, non in re: idcirco nec quod habeat verſus numerum paſſi ſunt inferri, etiamſi non ſit verſus: ut munera dare parenti. Tum ad gravitatem & opinionem veritatis, cujus ſermo, ut matrona quæpiam, vel puella honeſtiſſima, non deſiderat anxium cultum, & exquiſita ornamenta. Audio. Sed multa in hoc dicto occultantur, quæ facile ſit convellere. Primum nihil poſſumus ſupra quatuor ſyllabas dicere, quod non in aliquam verſus rationem cadat, quod oſtendunt tam innumera verſuum genera. At, inquiunt, genus noti carminis. Atqui permultæ ſunt pedeſtres orationes modulatiores longe quam jambici verſus comœdiarum Plauti & Terentii, quam vel heroici illi, qui continuo feruntur curſu abſque cæſuris, ut apud Horatium: Perſius hic per magna negotia dives: vel cum cæſura eſt obſcura: Neſcio quid meditans nugarum totus in illis. An non melos eſt in Salluſtii procœmiis, in orationibus, in concionibus T. Livii majus ac notabilius? Videre eſt pro lege Oppia, quam nominavi potiſſimum, quod ea Catonis & conſulis & per ſe graviſſimi viri perſonæ attribuitur. Quid hoc quod fuit Græcæ judicium? Platonis & Democriti locutionem tametſi a verſu abſit, tamen quod incitatius feratur, & clariſſimorum verborum luminibus illuſtrata, poëma putandum magis, quam comicorum poëtarum, apud quos niſi quod verſiculi ſint, nihil aliud eſſe quotidiani diſſimile ſermonis. Nam quod celari volunt artem, utique tot verſuum genera in calore ſcribendi devitaſſe, majoris eſt artis mea ſententia, quam in aliquod illorum vel imprudentem incidiſſe, vel prudentem deveniſſe. Quis enim omnia illa tam multa, tam varia, quibus undique circunſidemur, effugiat? eo minus quum in curam ſit rei potius,

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

tius, quam verborum intentus : ut de M. Bruto refert Fabius, non aliter ac gubernatoris ſit peritiſſimi atque exercitatiſſimi navem inter Cyclades in offenſo curſu ducere. Itaque homo eruditus, & dicendi peritiam callens, citius artem & diligentiam in eo deprehendat, qui in longa ratione genus carminum nullum admiſcuerit, quam qui in aliquod impegerit nonnunquam : hunc ſciet de rebus fuiſſe naturaliter ſolicitum, illum de vocibus, & dictione. Adde his, quod qui non ſunt jam verſus, obſervatione, iteratione, uſu poſſunt fieri. Sic facti ſunt verſus ab Ariſtophane, ab Hipponacte, & aliis poëtis, qui antea non habebantur. Sed profecto adhibeat quantamcunque operam & diligentiam quis volet, attentiſſime ſe obſervet ipſe, cuſtos ſui non poterit tamen verſum effugere. Si quis maximorum authorum orationes excutiat, ex verſibus, aut magna illorum parte videbit omnia conflata, etiam notis, etiam ſonoris magis, quam ſunt trimetri jambici familiares fabulis. Cicero in ſexto de republica : *qui reliquos complectitur omnes*, quatuor pedes ſunt heroici : pro Milone, *dicere incipientem timere*, trochaicus eſt, ſi jambicus in tertia ſede par ſit trochæo, ut idem ipſe docet. Quum contra Titus Annius ipſe magis, quinque pedes heroici : de lege Manilia, *quanquam mihi ſemper frequens*, dimeter jambicus. In Academ. quæſt. *quæ cum eſſent dicta, in conſpectu conſedimus omnes*, verſus eſt heroicus, ſi unam ſyllabam demas, ut ſi dicas, *ſedimus*. Seneca epiſt. nonageſima ſecunda, *originis ſuæ memor*, dimeter jambicus, & quidem totus e jambis. Livius præfatione, *noſtra per tot annos videt ætas*, trochaicus eſt. Quid quod multa ſunt verba ſimplicia, quæ verſum efficiunt adonicum, *ſuſpiciebant*, *accipiebant*, *impoſuiſſet*, *archimagirus*. Satis hæc vidit Martianus Capella, ſed fulgore tantæ authoritatis præſtrictus eſt : ejus hæc ſunt verba : Neve in notiſſimos verſus, & maxime heroicos ſtructura fundatur, jambicoſque verſus, quamvis eos Cicero non evitet, quum dicit : *Senatus hæc intelligit, conſul videt* : & heroici verſus finem vel initium non declinet, quum dicit : *O miſerum cui peccare licebat*. Et in Academicis : *latent iſta omnia*. Varro : Magnis obſcurata & circumfuſa tenebris. Et in Verrinis plenum verſum u-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

na quidem ſyllaba mutilum fudit, quum dicit: *Quum lo-querer, tanti fletus gemituſque fiebant:* nec finem vitavit elegi, ſicuti ait: *Oderat ille bonos.* Incurrit etiam in hendecaſyllabi phaleucii petulantiam, dum dicit: *Succeſſit tibi Livius Metellus.* Sic ille Ariſtoteles in arte poëtica jambum ait familiari ſermoni peculiarem eſſe, ideo in illo multa nos effundere jambæa, non item heroica. An non apud Ciceronem Craſſus oratorem illum ait admirabilem eſſe & inſignem, qui in oratione ipſa quaſi quendam numerum verſumque conficit: & mox: Verſus enim veteres illi in hac ſoluta oratione propemodum, hoc eſt numeros quoſdam nobis eſſe adhibendos putaverunt. Quid eſt iſtud *quaſi & propemodum?* cedo quantum progrediar? ubi ſiſtam? pueriles ſunt iſtæ determinationes: populus concentum intelligit, numeri cenſuram non intelligit: ſi verſum aſpernatur propter concentum, ubicunque ſit concentus eadem erit aſpernatio: & concentus iſte ac numerus, qui nunc non eſt verſus, adhibe iterationem, & uſum: jam fiet verſus. Quæro etiam ſi verſum alienum licet citare in oratione, cur non liceat ſuum facere? eadem eſt harmonia, & concinnitas in alieno & proprio. Hæc quidem de ipſo verſu, nunc de authoribus. Pop. Rom. bellaci & ruſticitatis oſtentatori ſuſpecta erat ars omnis, & literæ, cujus ſenſum Craſſus Ciceronianus, *ut quiſque optime ſciret Græce, ita eſſe nequiſſimum*, ut in *Syris* venalibus. Tum ſi geſtui addidiſſet orator verſum, populus non eſſet ſibi viſus gravis oratoris orationem audire, ſed ſaltantem hiſtrionem ſpectare. Græco non item, cui etiam hiſtriones honeſti erant. Cicero memor ingenii coronæ ſuæ pauciſſimos in orationibus ac pene nullos citat verſus: Demoſthenes & Æſchines plures & liberius. Cicero defendens Archiam, quod de ſtudiis humanitatis loqueretur, novo ſe dicendi genere uſum eſſe ait: & pro Murena præfatur veniam: & ad C. Cæſarem verſus Homeri admiſcens *novum epiſtolæ genus* nominat. Atqui Æſchines Solonem laudans maximo hominum conventu in accuſatione Cteſiphontis inter illius decora poëticæ ſtudium atque exercitationem numerat. Ad hæc aures ſunt variæ: ſunt quibus Ciceronis concentus ſit effeminatus & mollis, ſunt quibus durus. Malunt Quintiliani declamationem. Alii alios pedes amplectuntur: A-

© Biblioteça Valenciana (Generalitat Valenciana)

riſtoteles pæonem, Cicero dichoreum, nec ipſe ſecum in deligendo ſatis conſentiens, ut Martianus annotavit: *Pedes* (inquit ille) *quadam permiſta confuſione Cicero perturbat, dum dicit modo ditrochæo jonicum concludendum, modo pæonem primum probat incipientibus, modo finientibus modo dochimum, qui conſtat brevi duabus longis, brevi & longa, cujus exemplum poſuit* Amicos tenes. *Item amphimacrum pedem, & rurſus dactylicum numerum laudat, nec tamen certa ſcientia eſt. Ego tamen compendioſiora percurram, ut in hac ſylva quibuſdam videar præire tramitibus.* Sic ille. At neque his graviores aut meliores dat formulas, ſed leves, & pueriles admodum. Hæc quidem ex ingeniis naſcuntur, quæ non omnia delectant eadem: alii aliis capiuntur, ut in ſenſibus varii ſoni allubeſcunt variis auribus, colores oculis, ſapores palatis. Ad hæc mutatum eſt ſeculis judicium aurium: aſpera, & dura compoſitio placuit Catoni & Gracchis, & ea virilis eſt viſa. Concinniores fuerunt Antonius & Craſſus: multo his & reliquis omnibus numeroſior Cicero: mollis, & delitioſa & fracta compoſitio corrupto magis ſeculo ſub Veſpaſianis & Trajano viguit, ita ut orationes, quod Cornelius Tacitus queritur, ad lyram, non aliter quam poëtarum carmina, canerentur. In dicente etiam magnum diſcrimen: non decet orationis illa modulatio & numeroſitas frigidam ſenectam: certe ardentem juventam decebit. At celanda eſt ars, nam id ſæpe inculcant, ne effluat. Quorſum? ut facilius perſuadeas. Quid ſi non ut perſuadeam ſcribo, ſed ut narrem, vel ut delectem? Poëtis ad delectationem licuit tot generibus carminum abuti, mihi non licebit quibus volam, qui tantum delectationem peto? quam fuiſſe cauſam Cicero ſcribit cur numeros in orationem invexerit Iſocrates, qui inconditam antiquorum dicendi conſuetudinem delectationis atque aurium cauſa, quemadmodum ſcribit diſcipulus ejus Naucrates, numeris aſtrinxit. Verum enimvero priſci illi oratores quocunque iſtis de rebus modo diſputarent, ac ſtatuerent, maximas tamen dicendi opes collegerunt magnitudine ingeniorum, ſtudii, uſus, exercitationis: quippe omnia hæc acuebat atque ſtimulabat ingens eloquentiæ propoſitum, præmium, dignitas, opes, potentia in civitate, quod præmium ſimul pri-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

primum ſublatum eſt, eloquentia quoque eſt collapſa, nam quum oratorum licentiam nimium ſeſe viderent effundere, multis eſſe innocentibus periculo, nocentibus præſidio: ut qui hoc quoque arroganter profiterentur & jactarent de inferiore cauſa ſuperiorem ſe poſſe, & de ſuperiore, inferiorem facere: cohibendam velut clauſtris impoſitis duxerunt. Athenis vetiti ſunt affectus movere. quod viſum eſt philoſophis longe æquiſſimum, ne judicis animus, nempe norma qua eſſet judicandum, a recto ullam omnino in partem inflecteretur. Romæ Pompejus magnus tertio ſuo conſulatu legem tulit, ut actori duæ aſſignarentur ad dicendum horæ, patrono tres, & perorare-tur eodem die. De quo Cicero queritur in Bruto, inquit enim: Et perterritum armis hoc ſtudium noſtrum concuit ſubito, & obmutuit lege Pompeja ternis horis ad dicendum datis. Et Tacitus impoſitos dicit eſſe velut frœnos eloquentiæ. Ceterum in jus & poteſtatem unius redactis omnibus, is non paſſus eſt vel tam crebro populum coire, vel tam frequentem, vel quenquam libere in publico loqui, quod ut erat, ita periculoſum eſſe exiſtimatum eſt potentiæ unius. Quocirca excluſa eſt a concionibus eloquentia, id eſt, a theatro, & nutrice ſua, quemadmodum in libro de oratore ſecundo docet his verbis Cicero: *Fit autem, ut quia maxima quaſi oratori ſcena videatur concio, natura ipſa ad ornatius dicendi genus excitetur: habet enim multitudo vim quandam talem, ut quemadmodum tibicen ſine tibiis canere, ſic orator niſi multitudine audiente eloquens eſſe non poſſit.* Principes raro ipſi loquebantur ad populum, & pauca, plerunque per edicta, haud aliter quam ad ſervos. In ſenatu ſententiæ dicebantur non libere ut antea, ſed in adulationem potentiæ compoſitæ, erantque magis encomia principum, quam deliberationes de publicis utilitatibus. In foro ſi Princeps cognoſceret, pudor vetabat eum detinere, quoniam & ipſe interdum geſtu teſtabatur properare ſe: converſis omnibus ad delicias, relicta cura reipublicæ. Nec ipſi judices, qui eſſent imperiti & delicati, longas ferebant orationes, ſed breves, atque eaſdem amœnas: & quod in perſona judicis eſt flagitioſum, malebant aliquid, quod delectaret, audire, quam quod doceret de cauſa: aptatæ ſunt hujuſmodi affe-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

affectibus orationes, & in forum allatum, quod ſcenæ magis congrueret. Ita genus dicendi penitus mutatum, ex ſano, & ſobrio, & ſevero ad luxum, & delitias, tanquam ſi virili veſte poſita muliebrem ſumpſiſſet. Ipſe populus in forum & judicia coibat, non ſicut antea inſpecturus quid ageretur, & qua fide, tanquam dominus & rector omnium, ſed velut in theatrum ad oblectationem omiſſa libertate, & cura reipublicæ, ſegnis atque otioſus: & quia illud publice placebat, in ſcholas invectum eſt ad exercitationes: tales ſunt declamationes illorum temporum inventæ, non ad victoriam, ſed ad voluptatem: neque enim pugnabant, ſed ventilabant: poëticas quoque amœnitates per egreſſus petierunt: quod oſtendunt Quintiliani declamationes, & quæ ex declamatoribus ſui temporis citantur a Seneca. Digreditur quidem Cicero, & deſcribit, ſed ſevere, graviter, & ad rem: paulo quidem fuſius, nempe in orationibus infinitis, ſed dignitate & dicentis, & audientium, & rei ipſius conſervata. Contra, illos ad citharam dicas aliquid animi cauſa canere, non rem graviſſimam meditari: quod indigne ferunt Tacitus, Quintilianus, Seneca, ita ut, quum illæ declamationes, quæ Quintiliani circumferuntur nomine, tam alienæ ſint ab ejus ipſius præceptis, & tales ut contra eas potiſſimum invehi videatur, non defuerint qui illius eſſe negent. Et declamabant quidem veteres, ut Cicero, ſed veras cauſas, & eas, quas mox eſſent in vero certamine actui, quaſique ex pulvere & umbra in Solem & militiam translaturi. Recentiores vero declamabant fictas, & omnino inutiles, quarum nulla in foro aut ſenatu poſſet contingere: nam eas quærebant, in quibus maxime poſſent ſe jactare, & otioſos auditorum cœtus permulgere. Ad poſtremum, quum legibus jam a Principibus conſtitutis judicia exercerentur, viſum eſt adhiberi potius ad examinandam cauſam juris & legum peritum, quam oratorem. Ita crevit potentia interpretum juris, etiam in conjecturis: & ſtudium artis oratoriæ prorſum ſublatum circiter Antoninorum tempora: quum jnriſconſulti, qui plurimum valebant gratia apud Principes, decreviſſent ipſi ſoli totum occupare: & fortaſſis ita viſum eſt Marco Antonino philoſopho, qui non cenſuit expedire, ut *juſtum* atque *injuſtum* dicen-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

dicendo confunderetur: ſublato corpore & imago periit. Declamare quoque eſt deſitum, & artem cognoſci, quæ nihil erat ſine exercitio profutura. Inane vero cenſuerunt laborem aliquem fructu omni adempto ſuſcipi. Paulatim ſtudium excolendæ linguæ ceſſavit, quum nullum eſſet ejus operæ pretium. Quapropter ex bonis ſtudiis maturrime omnium eloquentia eſt tanquam flos quidam delicatus flante Borea decuſſus: id eſt, remota illa populari aura eloquentiæ ſaluberrima, deſerto linguæ cultu, & lingua ipſa ſine vindice relicta, injuriæ cujuſvis incurſui expoſita & obnoxia, adventu barbarorum velut accepta plaga intercidit. Recepta Chriſtiana pietate paſſi ſunt Principes, quod univerſis in commune conduceret, ut presbyteri ad populum de rebus ſacris loquerentur: ita ſacri concionatores priſcis illis oratoribus ſucceſſere, ſed diſſimillimo ſucceſſu: nam quanto illos ſuperamus rebus, tanto partibus omnibus eloquentiæ, tota vi perſuadendi, ſententiis, argumentis, diſpoſitione, verbis, genere orationis, actione inferiores ſumus. Cujus rei culpa diviſa eſt inter dicentem, & audientem. Olim qui dicebant, erant callentiſſimi uſus & totius prudentiæ communis, tractandorum animorum peritiſſimi artifices. Qui nunc dicunt, quam diſpares, imperiti, ignari vitæ, imo etiam communis ſenſus: qui ſint affectus, aut quemadmodum vel impellendi, vel revocandi, omnino neſcii. Nec cui rei quæ verba, quod genus orationis ſit adhibendum norunt, omnia bene convenire omnibus rati. Sententias habent plumbeas, frigidas, jacentes, ſegnes, quæ animos dejiciant citius, quam excitent: argumentatiunculas colligunt ab illo exercitio ſcholaſtico, quæ ventilant quidem, & titillant interdum, nunquam feriunt aut cædunt. Diſpoſitio fuſa & diſſipata: nihil dicunt ſuo loco: actio immoderata, nihil pro re aut tempore: non in voce, non in oculis & ore, non in manu & digitis, non in geſtu & ſtatu corporis univerſi: quæ illi ita habent cognita, ut nulla eſſe arbitrentur, nec intereſſe ſaltitent dicentes, an ſedeant. Jam auditores habebant illi olim acutos, attentos, pleroſque eruditos: nunc ſocordes, ſegnes, peregrinantes animo, rudes atque imperitos, ut eadem habeant ſæpe repetenda, qui dicunt, non ſolum quo infigantur & hæreant memoriæ, ſed quo

vel

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

vel intelligantur, ſi quid ſit acutius, niſi explicet & explanet, in quo amittitur gratia & vis orationis; fruſtra clamarit, ſurdo fiunt verba: ſi quid obliquum, niſi recte & ſimpliciter exponat, perdiderit dictum: nec minus ſane perdit, quum venuſtatem atque ſpeciem dehoneſtat, & frangit nervos. Memoria patrum & avorum cœptum eſt in Italia revocari ſtudium linguarum per diſcipulos Petri Ravennatis Latini, & Emanuelis Chryſoloræ Græci: inter quo maximi nominis fuere Leonardus Arretinus, Fran. Philelphus, Laurentius Valla, Varinus Veronenſis, Perottus Nicholaus. Secuti ſunt eos Joannes Picus, Hermolaus Barbarus, Angelus Politianus, & alii quos hic recenſere nihil attinet. Hos vero, & quotquot doctius Latine loquerentur, quam cæteri, oratores vocaverunt. Sed ii qui vim nominis parum intelligerent, exercitium enim artis oratoriæ nondum eſt reductum, ſed tantum in linguis funditus dejectis ac peſſundatis inſtaurandis atque erigendis cunctum illorum ſtudium conſumptum eſt. Quippe artis hujus præcepta exercitio remoto nihil juvant. Hactenus nemo declamavit utique in materia argumentoſa, & quaſi in certamine & palæſtra: tametſi multi delectarunt ſe oratiunculis, quæ adverſarium non haberent: ut laudationibus artium, virtutum, principum hominum: vel rabioſe ſe exercuerunt canina facundia, invectivis, quibus lacerarent invicem, id eſt convitiis, & maledictis in unum congeſtis quotquot poſſent, quîs adverſarium proſcinderent, naſo ſuſpenderent, irridendum & contemnendum omnibus exhiberent, de cauſa nihil dicerent, aut perparum: ſi qua tamen alia erat cauſa, quam ſuſceptas levi aliqua de cauſa inimicitias, atrociter perſequi. Nec de phraſi, & genere dicendi video illos fuiſſe valde ſolicitos, in electione modo verborum occupatos. Et quemadmodum ante centum annos, qui Ciceronem ut Latinos alios legebant ſcriptores, ſenſa ſpectantes ſola, verba non animadverterunt: ita iſti qui in verba ſola eſſent intenti, dictionem præterierunt in animadverſam. Ergo videas eos eadem dictione conſcripſiſſe res magnas, parvas, lætas, graves, humiles, ſublimes, epiſtolas, orationes, ruſtica, phyſica, moralia, forenſia. Nimirum accommodatio ſtyli ad genera argumentorum & audientium, atque adeo inven-

tio

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

tio ipsa argumentorum causis & locis apta res est longa, varia, intricata: de qua Plinius Cæcilius, *undevicesimo*, inquit, *ætatis anno dicere in foro cœpi, & nunc demum quid præstare debeat orator, adhuc tamen per caliginem video*. At illorum plerique nullam, aut perexiguam huic rei operam impenderunt, alioqui per se difficillimæ: quo magis miror quorumdam impudentiam dixero an ne temeritatem, an utrunque, qui de cultu, & colore, & habitu orationis, denique de toto stylo ac phrasi intrepide judicent in exercitati, & quidem ex brevi aliqua, & tumultuaria pagellæ unius aut alterius lectione: de quo merito, & graviter Guilelmus Budæus conqueritur, quum veteres in tanto studio, diligentia, usu non potuerint ubique recte censere. Quid quod ea nomina, quæ phrasi induunt, explicare vix scirent, si rogarentur?

Partem hujus artis magni illius præceptores fecerunt imitationem, quod primum est in omni sermone, quippe quem imitando discimus, ut artes, ac disciplinas, quascunque a natura non accepimus. Sed imitatio rerum divinarum nunquam potest exemplari par esse, nec mortalem artificem æquare sempiterno: in humanis potest ita proficere, ut homo hominem consequatur, & antecedat. Quocirca quæ initio est imitatio, paulatim eo debet progredi, ubi jam incipiat esse certamen non solum æquandi, sed etiam, si qua detur, vincendi. Imitatio nunquam eo pertingit, quod sibi pro exemplari proposuit. At vero in certamine etiam a tergo possis eum relinquere cum quo certas. Itaque veteres sic initio imitabantur, ut mox æmularentur, ad postremum quoque certarent, & contenderent, non raro utique felici successu: nam prævertebant illis, quos prius pro ducibus, ac magistris habuissent: ut Cicero Crasso, & Antonio: Plato Cratylo, & Architæ: Aristoteles Platoni: Vergilius Ennio, Lucretio, Hesiodo: Nostra ætate quidam ridicule sese alligant imitationi tantum, nec in verbis solum Latini sermonis & Græci, quod necessarium est, propterea quod eæ linguæ amissæ in vulgus monimentis veterum authorum continentur ac conservantur, sed in phrasi, quod minime est necessarium: quippe collectis e lectione vocabulis, & loquendi formulis, tanquam lignis & lapidibus, si unisquisque extruere ora-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

orationem poteſt, ut maxime vel ingenio ſuo congruat, vel exigat materia, vel tempus aut locus poſcant. Verum quod magis mirere, in materia & argumento tractando nunquam non imitantur, ut imperiti futores, qui nullum calceum vel ſcindere poſſunt, vel fuere, niſi forma adhibita: aſtringunt vires & libertatem ingenii ad certum quoddam præſcriptum: ut non immerito *ſervum pecus imitatores* nominet Flaccus Horatius. An vero eſt ulla ſervitus major, & quidem voluntate ſuſcepta, quam non audere ducis ſui præſcripta, & tanquam fæva dominorum imperia egredi, etiam ſi alio res vocet? ſi tempus, ſi auditores, ſi generoſa ingenii natura invitet, pertrahat? Quomodo potuerunt hi curere, ſi ſit opus, imo quomodo ingredi, quibus eſt ſemper in alieno demum veſtigio pes figendus, non aliter quam pueri faciunt luſitantes in pulvere? Quid dicam imitari ſemper eos, nec ſcire quid ſit imitari? Nam ſuppilare putant eſſe imitari, nempe vel verborum ac rationis, vel rerum & argumentorum particulas ſumere, ex quibus velut centonibus opus ſuum conſuant. Perinde ac ſi pictor diceretur imitari, qui aut pratum effingens, flores illinc decerptos tabulæ ſuæ annecteret, aut homines reddens, partem togæ illius aſſueret picturæ, aut etiam, ſi diis placet, naſum quem exprimere non poſſet, vellet homini amputatum picturæ ſuæ addi, quo eſſet perfecta. Si quis rem acutius intueatur, talis eſt iſtorum imitatio: decerpunt, ſurripiunt, imo palam compilant. Et ut furti crimen ſuffugiant, imitari vocant, ut fures furari dicunt amovere, tollere, convaſare. Age porro, unde colligunt hæc panis fruſtula, has aquæ guttulas, quibus mendicitatem ſuam ſuſtentent? non ex variis, & omnino quoque ut puellæ, quæ in hortulis colligunt floſculos ad faſciculos & coronamenta, ſed uni alicui hoſtio affixi miſere ſe alunt: unicuipiam ſunt addicti: & ubi ingenii tarditas cœpit male æmulari, quicquid deinceps dicant aut faciant, illius credunt eſſe ſimile, quem ſibi pro exemplari præfixerunt: ut qui geſticulatione una tam ſe multos credunt exprimere quam quivis pantomimus arte ſua: & qui eodem digitorum pulſu quodvis carmen fonare. Qualis eſt Apollinaris Sydonius, qui contempto Marci Tullii epiſtolari ſtylo, ut dicit, Caji Plinii diſcipli-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

plinam, maturitatemque veſtigiis præſumptuoſis inſequitur; *Omitto ridicula hæc veſtigia præſumtuoſa, tum diſciplinam, & maturitatem Plinii*. Quaſi maturitas ſit aliqua in epiſtolis Plinii, & non potius viror & flores: aut ſi qua eſt, non major & mitior ſit in Marco Tullio: nam quam tandem vocet diſciplinam nec ipſe arbitror Sydonius declararit, qui ſcripſit: Sed quæro, in quo ſe putet Plinii ſimilem, a quo tam diſtat, quam graccus a philomela, niſi forte ſimilis videri poſtulet, quod adſcribat ſemper *ſuo*, ut Plinius. Si ſequi ſe dixiſſet Apulejum, & Caſſiodorum, haberet fortaſſis plures, qui crederent. Verum hoc tempore, in quo novi quidem morbi prioribus ſeculis inauditi ſunt exorti, & iſte eſt natus, quorundam alligandi ſui ad imitationem Ciceronis, ad eam inquam deceptionem, quam illi imitationis ornant nomine. De qua nonnihil attigit Politianus in epiſtola ad Corteſium, etſi in omnem imitationem potius, quam in hanc unam, quemadmodum & Fabius Quintilianus. Budæus in hanc ipſam eſt per occaſionem invectus digreſſione quadam in Commentariis Græcæ linguæ. Eraſmus librum juſtum de eo ipſo ſcripſit iniquitate judiciorum permotus, in quo multa congeſſit acute conquiſita, qui etſi nonnunquam argutatur magis, quam argumentantur, & ludit potius quam pugnat, nempe ex ſcripti illius ratione: nam dialogo rem perſequitur; habet tamen, quantum ad hoc attinet, juſtam & piam querelam indignationis, multiſque bonis ac fortibus argumentis prœliatur: quæ quia nota ſunt omnibus, etenim liber eſt in manibus, nos in præſens prætermittemus: ſolum dicemus more noſtro pauca quædam, quot ſuſcepto inſtituto videbuntur ſufficere. Principio, quod prudenter ait Corteſius, etiam Ciceroni addictus: quæ ſtultitia eſt, ut quum tam varia ſint hominum ingenia, tam multiplices naturæ, tam diverſæ inter ſe voluntates, eas velle unius ingenii anguſtiis aſtringi, & tanquam præfiniri? Jam dicant mihi, quid imitantur, nam multa habet Cicero optima, & effectione digniſſima. Linguam inquiunt. Cur non etiam argumenta, & philoſophiam, & cognitionem veteris memoriæ, & variarum rerum uſum ac peritiam? Nam ſi propterea linguam admirantur, quod in omni populo & ſenatu Romano tantas dicen-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

cendo eſt vires opeſque conſecutus , ideoque eam imitatione cenſent dignam , imitentur potius rerum præſentium & præteritarum cognitionem , ſcrutationem ſectatorum ſapientiæ , tractationem humani animi , colligendi acumen, quibus potius virtutibus omnia ſenatui & populo & judicibus perſuaſerit , quam facultate verborum & dictionis. Puritatem linguæ arbitror equidem majorem & caſtiorem fuiſſe in C. Cæſare , in M. Bruto , & aliis Romanis principibus , quam in M. Tullio . Nec phraſis ejus omnibus placuit , etiam quum de ea poterat cenſeri , non Bruto nec Calvo , nec ipſi Pomponio Attico amiciſſimis : at cujuſmodi cenſoribus ? Quare non quod ornatius quam cæteri diceret , quanquam dicebat ornatiſſime , ſed quia acutius colligebat , & fortius pugnabat , armatus tot tantarumque rerum notitia . Ejus vero quod deceret & inſpector acerrimus , & executor dexter inprimis , ac diligens, vincebant adverſarios , audientes ducebat in ſuam ſententiam . Id vero facile eſt cognoſcere , quod in eadem cauſa, ſi quis illius argumentis quacunque lingua & actione utatur , plurimum certe habebit momenti , ac roboris . Ea igitur animi indoles , & tam varia eruditio , & tractandæ cujuſque rei ratio eſſet iſtis exprimenda , qui Ciceroniani videri affectant , potius quam ſtylus ac verba , etſi hæc quoque, ſed ea poſtremo, ſequerentur. Magis certe Homerum exprimit Virgilius , quam Ennium , etſi huic lingua eſt vicinior , & prope idem . Similior patri filius , qui mores reddit , quam qui lineamenta oris . Cur tantum virum non totum imitantur , & potiſſimum animum , quo præſtat corpori ? quod recte præcipit Paulus Corteſius , qui aliam multo viam imitandi oſtendit , quam iſti ſequuntur, eamque merito deplorat ab hominibus noſtris aut neglectam eſſe , aut mutatam : neque enim vult nos Ciceronis ſimiles , ut ſimias , ſed ut filios parentum : ſimiæ externa ſolum repræſentant, filii etiam interna: nec ſimiæ aliud quam lineamenta & deformitates quaſdam , geſtus , filii vultum, inceſſum , ſtatum , motum , vocem . Et tamen habent , inquit , in hac ſimilitudine aliquid ſuum , aliquid naturale, aliquid diverſum , ita ut cum comparentur , diſſimiles inter ſe eſſe videantur. Eadem eſt ſententia hominis omnium Ciceronianiſſimi Chriſtophori Longolii . Sed demus jam Cice-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Ciceronis verba esse puriſſima, nam aut esse credo, aut non multum abesse, tum ſtylum optimum, dico ex iis qui fuerunt, non ab eo, quod fieri poteſt; neminem esse arbitior adeo admiratione Ciceronis excæcatum, quin videat longe diſcedere. Sed quid in iis faciemus, de quibus non eſt locus? ut de ædificiis, de agro colendo, de ruſtico, aut urbano, aut bellico inſtrumento. Num tacendum erit? Num non potius Vitruvium, & Varronem, & Plinium, & Columellam, & Cæſarem, aut Livium conſulemus, ac ſequemur duces, quam M. Tullium? quos ego (dicam id non quo detraham aliquid gloriæ Ciceronis. Quid enim poteſt aut debet detrahi nomini clariſſimi & præſtantiſſimi viri?) eos, inquam, callentiores fuiſſe arbitror nominum Romanorum, in illis utique de quibus agebant rebus, quam M. Tullium: quod & videmus inter nos quotidie uſu venire, ut eloquentiſſimi in quaque lingua viri in curiis & foris, & regiis comitatibus educati, vincantur a plebejis hominibus in appellandis opificum inſtrumentis, atque actionibus. Jam nec in ſermone iſto communi atque urbano dixit omnia: & eorum, quæ dixit, alia perierunt, alia venerunt ad nos ab imperitis corrupta. Quid loquentur de noſtro foro, de noſtris legibus, inſtitutis, moribus, de pietate noſtra per omnia Ciceroniani? Res omnes, ſicut præclare Eraſmus colligit, ſunt mutatæ, ut apte loqui de rebus præſentibus nequeat, qui a Cicerone *latum unguem* deflectere non audet. Jam ut dictio ſit omnium optima, non omnibus poteſt congruere in tanta diverſitate, atque adeo adverſitate ingeniorum. Idcirco nec eum imitati ſunt maxime Ciceroni addicti atque adjurati, qui promptiſſime & facillime poterant, Seneca, Quintilianus, Plinius, Cæcilius, Cornelius Tacitus, videlicet ut nec ipſe, quos impenſiſſime admirabatur, Demoſthenem Græcum, Craſſum & Antonium Latinos: oculos enim habebat, ut par erat, intentos non in eos qui alios antecelluiſſent, ſed in id quod natura oſtenderet eſſe optimum: hoc demum debet eſſe exemplar adulto jam & magno viro. Cedo vero quomodo hunc tam adamatum ſtylum imitantur? quemadmodum exagitat in Albutio Scævola apud Lucilium.

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Quam lepice lexes compoſtæ ut teſſerulæ omnes
Arte pavimento atque emblemate vermiculato.

Sumunt hinc inde verba, & commata, & ſententiolas, & compingunt, ut exiſtat opus : quod taxat Longolius in Navagerio, cui integræ Ciceronis non modo ſententiæ, ſed multi ſimul interdum verſus exciderent, atque effluerent. Tum de aliis dicit. Dirigendam quidem eſſe nobis & formandam ſcribendi rationem putavi ad illius dicendi genus, ſed ita, ut virtutes ejus oratione noſtra exprimere conemur, non item ut paſſim omnia ab eo mutuemur, aut quod multos jam facere videas, quaſi centones quoſdam ex Ciceronis verbis cenſuamus. Dicit hæc quidem Longolius, ſed non ipſe tam recte obſervat, quam admonet. Alii cautius ſuffurantur unum aut duo, aut tria ad ſummum verba ex hoc loco, ex alio autem procul totidem, ex alio quatuor aut quinque, ſupra hæc manifeſtum eſt furtum. Nam quin totidem verbis, inquit Longolius, ex M. Tullio Cicerone tibi tam multa ſumere non liceat : ne tu quidem ipſe puto negas. Ea vero lex eſt centonum Auſonii : ergo iſti, quod Longolius vere dixit, centones conſarciunt, & muſivum opus faciunt, non imitantur. Dixi vobis falli iſtos in capite totius rei, & ſtatim in ipſo limine impingere, ut recta nunquam poſſint ingredi : quandoquidem initio ipſo itineris in diverſum quam oportebat, aberrantur : quomodo potuerunt recte imitari, qui quid ſit imitari, & qua ratione imitandum ſit, penitus ignorant ? non imitari eſt iſtuc quod vos facitis, ô boni, ſed compilare, & conſuere, & colligere, & conferruminare. Virgilius quum dicit :

Si duo præterea tales Idæa tuliſſet
Terra viros, ultro Inachias veniſſet ad urbes
Dardanus : & verſis lugeret Græcia fatis,

Homerum imitatur, apud quem Agamenon optat ſibi *decem conſiliarios qualis eſſet Neſtor*; nec dubitat, ſi haberet, quin brevi Trojam eſſet everſurus. At quum dicit :

Ut ſceptrum hoc ; dextra ſceptrum nam forte gerebat,

& quæ ſequuntur in duodecimo, Homerum de Græco ad nos transfert illo loco :

Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον τὸ μὲν ἄποτε φύλλα καὶ ὄζους,

& reliqua in Iliad. α. Quum vero

Fixit

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Fixit leges pretio atque refixit ;

ex Vario ſumpſit. At,

Tum gelidus toto manabat corpore ſudor ,

ex Ennio eſt mutuatus , qui dicit :

Tum timido manat ex omni corpore ſudor .

Quæ Macrobius perſequitur in Saturnalibus. Sed ad inſtitutum revertamur . Quanta crux eſt , quæ ingeniorum compedes , intra tam arctos limites comprimi , ac cohiberi , dilatare ut te nullo pacto valeas , & dum in hoc unum es intentus , ne præfinitos terminos excedas , quanta averſio a rebus clariſſimis , & quæ occaſio de manibus elabitur maximas & fructuoſiſſimas diſciplinas nanciſcendi ? At vero in hoc ipſo tam longo & diuturno , & miſero , & miſerabili labore , qualem ne hoſtibus quidem imprecer , nedum ut amicis ſuadeam , quis tandem proponitur eluctatis atque ex naufragio ſervatis fructus ? quæ utilitas? quod pretium operæ ? amplum eſſe oportet & tantæ curæ, tot vigiliis conveniens , fieri poſt tot annos non Ciceronianæ dictionis æmulos , ſed conflatores orationis ex verbis Ciceronis , & commatis , & cólis . Ego vero tanti non emerim , non dico Ciceroniane verba conjungere , atque adeo Ciceronem eſſe tota phraſi , ſed quod eſt multo præclarius , & optabilius , philoſophiam omnem callere , quæcunque prodita eſt de rerum natura . Imitatores hi quique alii cultui ſe linguarum jampridem intermiſſo tradiderunt , ita navarunt operam verbis eligendis , & dictioni exornandæ , ut alia quæ eſſent de cognitione naturæ , de publicis privatiſque moribus graviter & copioſe perſcripta , ne aſpicerent quidem : partim quod non vacavit quibuſdam plus nimio in verborum nota ac natura dictionis cultu occupatis , ut ad alia penitus reſpicere non poſſent : partim quod metus fuit , ne ſi incultos Scriptores tangerent , aliquid forte ex contagio traherent , quo ſermonis forma poſſet fœdari . Ita ubique in linguarum obſervatione ſubſtiterunt , conſumpta univerſa diligentia circa voces aut ſingulas , aut conjunctas . Hi vero qui alia non haberent quam inſtrumenta , quid potuerunt efficere? quum maximam dicendo verborum turbam , quaſi in acie ordinaſſent , aſpectu quidem formoſam , ſed inutilem tamen , atque inefficacem , nihil re ipſa , nihil auditorum

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

mentibus dignum attulere : magno ſane artis dedecore, quæ ex illis cenſebatur, tanquam primis ac præſtantiſſimis, tum ſua, tum aliorum ſententia profeſſoribus. Quanto verius dici orator deberet, qui res magnas, & argumento ſuo pares quocunque ſermone exponit ? Nam ſi dicere genus quoddam eſt pugnæ, & ad perſuaſionem quaſi victoriam pertinet, quis non malit animoſum militem tectum corio, & gladio ferreo armatum, quam imbellem atque effœminatum aureis armis ac gladio fulgentem? Jam Rhetoricam ajunt, quum de rebus aliis omnibus, tum potiſſimum de publicis, ac civilibus dicturam. Quid iſti dicent, qui eas ipſas res nec per ſomnium quidem viderunt, nec ſciunt in quo Orbe, in qua civitate vivant? & dum veterem illam Romam ſemper meditantur, peregrini ſunt in hac ætatis noſtræ. Nec eloquentes dici poſſunt, qui quum omnia conantur aliena lingua dicere, ipſi muti evadunt, nec illa erudita & expolita lingua tria verba poſſunt aptare. Eloqui eſt, inquit Marcus Fabius, omnia quæ mente conceperis promere, atque ad audientes perferre : ſine quo ſupervacanea ſunt priora, & ſimilia gladio condito, atque intra vaginam ſuam hærenti : non refert quo ſermone, nam & in Scythico, & Gallico, & Germanico, & Hiſpano multi ſunt eloquentes. Nec quod Latinus & Græcus ſermo eruditi ſint & copioſi, continuo nullus erit in alio ſermone eloquens. Nam & hi ipſi Parthis ac Medis barbariſmi ſunt. Livius ſermone illo quem Pollio Patavinitatem dixit ſapere, eloquentior fuit multis Romæ natis, & fortaſſis illo ipſo Pollione. De Latrone Portio dixit idem Aſinius lingua ſua diſertum eſſe, nempe Hiſpanienſis illius ævi. Quanto diſertior ac eloquentior Anarcharſis quam multi Athenienſes, ſive dum Scythice de natura, & moribus diſputaret, ſive dum Græce ſoloeciſſans ſeu Scythiſſans verius ? Equidem ſordes, & vitia ſermonis nemo vel amare debet, vel probare, unde maxima pars cladis tum artium, tum judiciorum eſt accepta. Sed certi ſi detur optio, quis non malit multo immundum, ſpurcumque magis de rebus, atque excellentibus ſermonem, quam de nugis comptiſſimum atque ornatiſſimum ?

LIBRI QUARTI FINIS.

JO-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

JOHANNIS LUDOVICI VIVIS

DE

PHILOSOPHIA NATURÆ,

Medicina, & artibus Mathematicis corruptis.

LIBER V.

MUndi autor, qui omnia ad hominis uſum condidiſſet, haud dubie ſcientiam illi erat elargitus utendi, alioqui fruſtra videretur illi paraſſe, quæ ipſe neſciſſet unquam ad uſum ſuum applicare. Sed homo a lumine diſcedens in tenebras eſt prolapſus. In quibus tamen urſit atque extimulavit eum neceſſitas perpetuo premens, ut quæreret, quæ immitteret in corpus ad ſe fulciendum, ac ſuſtentandum, a quibus manum contineret, quæ quibus temporibus & locis terræ mandaret ad ſpem proventus, quomodo perciperet, ac reconderet. Tum alia de indumentis, de habitatione, de convehendo paulatim ſunt inveſtigata. Ubi vero retuſus eſt ille neceſſitatis velut ſtimulus, ſolicitudine illa pauliſper depoſita commoditas eſt ſpectata. Dehinc delectatio eſt pulcherrimæ cognitionis & ex adminiſtratione tanti operis cupiditas cognoſcendi exorta. Ita multi vel neceſſitate impellente, vel adducente admiratione, vel invitante voluptate, ad contemplationem Naturæ ſeſe contulerunt. Subrepſit his oſtentatio, quæ per ſe omnia tacite inſinuavit. Ergo homini particula illius amiſſæ peritiæ, quam ex copioſiſſimo fonte ampliſſimam hauſerat, per gravem fuit laborem extundenda. Eruit perpauxillum quidem, aliquid tamen, & lumine illo ingenii, quod factum erat reliqui, & ſtudio incitato atque ardenti adjutus. Quæ duo ubi defuere, ignorantia & hallucinatio animis ſe pro peritia & cognitione offuderunt. Nam vel obſcuratione luminis,

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

id eſt, tarditate mentis & ſtupore cordis; alia via inſtiterunt hæc quærere quam oportebat, vel ſegnitie ac ſocordia, recta quidem, verum defeſſi remiſerunt curam, & non pervenerunt quo intenderant. Principio, ſicut alibi a nobis eſt declaratum, nemo vires ſuorum humerorum eſt menſus, quid ſuſtinere poſſent, quid non: homines retuſiſſima mentis acie, ſeu potius nulla, res abſtruſiſſimas aggreſſi ſunt inquirere, & intima penetrare, qua inſiſterent pauciſſimi providerunt. Alii ſenſum ſecuti ſunt per omnia, huic arbitrium permiſerunt rerum omnium. Quicquid ille ſtatuiſſet, pro vero ac indubitato haberetur: ut Epicurus, qui ideo Solem eſſe pedalem confirmavit. Alii omnino detraxerunt fidem ſenſibus, quod aliquando fefelliſſent, ut Academici, & aſſenſum a rebus, ne temere incertis pro certis accederent. Mediam aliqui viam tenuerunt, ut nec omnia ſenſibus crederent, nec nihil, ſed illis cenſuram adhiberent mentis, ut Platonici, & Peripatetici. Jam in ſerie illa & nexu rerum, qui fit a mente, his ſufficit ratio quædam levis, & tenuem quandam ſimilitudinem oſtendens veri ad definiendum de reconditiſſimis rebus; quemadmodum Anaxagoræ, quod omnia ſint in omnibus, quoniam ex omnibus fiunt omnia, id eſt, ad omnia migrat materia. Illi in conjungendo parum dexteri, quæ ſunt diſſoluta ac diſſipata, ſatis eſſe rentur apta & colligata, ut ignari dialecticæ. Sic Epicurus voluptatem aſſeruit ſummum eſſe bonorum, quod eam unam beſtiæ expeterent, ac ſequerentur. Sunt quibus nulla ſufficit ratio, hominibus moroſis ac ſuſpicacibus. Illis ex varietate atque inconſtantia, quæ uno die ſufficit, alio ſatis non facit. Cujuſmodi erant qui in diem viverent: de quorum numero fatetur ſe unum fuiſſe M. Tullius: & quicquid animum probilitate percuſſiſſet, id aſſeverarent. Sunt qui authoritatem requirunt, nempe philoſophi alicujus primi nominis. Ut qui de immortalitate animæ nec tot rationibus, nec ſacra pietate & oraculis divinis acquieſcunt, ſed ſcrutantur anxie quid Ariſtoteles de eo ſenſerit, quid Plato, & ſi Deo placet, etiam Abenrois Arabs. Alii Poëtæ verſiculum deſiderant, ut olim in Græcia, de quibus Ariſtoteles in libris primæ philoſophiæ. Hi ex varietate ſententiarum atque opinionum magnam

in

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

animum quoque varietatem atque inconſtantiam trahunt, ut alias alia ſentiant, atque adeo contraria. Cujus rei exempla ſunt quum apud Ariſtotelem nonnulla, tum vero apud Plinium frequentiora. Quid quod in tanta varietate naturæ, quæ locis, temporibus, ætatibus, conſtitutionibus, eſt diſſimillima quidem, ex uno, aut altero, aut ſane etiam experimentis multis, univerſaliter de cunctis pronuntiant? inter quos eſt Ariſtoteles, quod genus illud eſt in volumine ejus De animalibus primo: Imum ventrem & faciem eſſe ſimiles corpulentia vel gracilitate, item crura & lacertos. Cujus rei multa ſunt documenta in contrarium. Vel hic in Flandria plurimi vix habent ſuras, brachia tamen muſculoſa, & ſucci plena, quod de multis principibus memoriæ eſt proditum, ut olim de Germanico Cæſare, & hodie videmus in Franciſco rege Galliarum. Jam multi belliſſime ſibi placent, in alios difficillimi, atque inexorabiles, ſui mirum in modum indulgentes, ut ab aliis exigant in quibuſcunque demonſtrationem & energiam concluſionis, ipſi ſua vel tenuiter fulta, pro firmiſſimis poſtulent accipi. Ariſtoteli nulla veterum philoſophorum ratio ad ſua ipſorum confirmanda ſufficit: ipſi ad ſua quælibet, vel ad illos confutandos. Et hic tantus demonſtrationum flagitator ille eſt, qui in prima philophia dicit, *acie mentis noſtræ ad manifeſtiſſima Naturæ, non ſecus quam noctuæ oculum ad lumen Solis caligare.* At quum in tantis verſarentur tenebris, quum duce omni carerent, inter eas difficultates credat aliquis illos conſcios ſuæ egeſtatis ac imbecillitatis contentos fuiſſe humi repere, & circa ea occupari, quæ tenere facile ac tueri poſſent: hoc certe decebat. Sed illi ignari ſui, ea quæſierunt & ſcrutati ſunt, quæ humanum omnem captum excederent, & in his quæ aſſequi non poterant, arrogantiſſime definierunt plurima, non cunctantius, quam ſi manibus attrectaſſent, ut de cœlis, de elementis, de rerum eſſentiis ac facultatibus: ſed potiſſimum Plato & Ariſtoteles, de authore Mundi, de materia, de opificio univerſorum, de regimine illius, & providentia, de immortalitate animæ, de pietate, de præmiis bonorum, ac malorum.

Quibus de cauſis & rationibus philoſophos videas homines a duobus vitiis longiſſime impulſos, imperitia, & quam

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

quam imperitia gignebat, ſuperbia, ea invexiſſe placita in cognitione Naturæ, ad quæ nec vetulæ, nec pueri riſum teneant; qualia ſparſim recenſet Ariſtoteles: ſed Plutarchus quatuor voluminibus in id dicatis. Quam & abſurditatem & diverſitatem opinionum cauſam fuiſſe Socrati ſcribit in commentariis Xenophon, quamobrem ab inquiſitione Naturæ rerum in totum abſtinuerit, tametſi cauſa non ſatis juſta, quæ aliquem a contemplatione Naturæ abduceret. Nam nec minor eſt de fine bonorum diſſenſio, de adminiſtratione domus, aut civitatis: de quibus tamen & quærere, & diſputare Socrates pulchrum in primis, uti erat, exiſtimabat, & conducibile hominum vitæ. Illud modo erat in ſcrutatione Naturæ vitium, quod & ea rimarentur, quæ Natura ingeniis occultaſſet, & quæ ſcire nullum eſſet operæ pretium. Sed ad hæc ſupervacanea eruenda acti ſunt non pauci gloriæ cupiditate, quæ ſeſe in illorum pectora inſinuaverat. Idcirco novum aliquid & præter cæteros admirabile voluerunt proferre, ad quod quum a veris, aut veriſimilibus eſſent deſtituti, abſurdiſſima arripuerunt, ut nivem eſſe atram, ignem gelidum, ſtare cœlum in veſtigio, agitari terram, & alia quæ ſtultiæ citius quis tribuat, quam arrogantiæ. Secuta eſt arrogantiam, & famæ ſitim pertinacia tuendi quicquid ſemel affirmaſſent, perinde ac ingenio cederet quiſquis ſententia.

Unde exortæ ſectæ, & in hoc invigilatum ab eis acriter, quomodo vel ſua prave dicta defenderent, vel aliena bene dicta impugnarent. Inter quas rixas & odia veritas nobis utique magnum ſubibat diſcrimen, ſive falſi tutator vinceret, ſive oppugnator veri. Eadem oſtentandi libido, tum etiam dulcedo altius ſcrutandi ſuaſerunt illis ut neceſſaria, quæque alicujus eſſent uſus, vel corpori, vel bonitati animi relinquerent, & ſtudia ſua omnia ad voluptatem, aut admirationem, & plauſum ſpectantium conferrent. Quod malum ex depravato hominum ingenio cum ipſis artibus exortum, inſecutis deinde ætatibus eo eſt amplificatum, quo ſuperbia increvit, & rerum peritia diminuta eſt. Noſtra & patrum, & avorum memoria ea tantum ſunt in naturæ cognitione quæſita, quæ offuſa ob oculos caligine plauſum moverent,

non

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

non aliter quam ubi circulator intuentium omnium oculos præſtigiis eſt fruſtratus. Itaque excluſerunt ſcholis priſcos illos Timæum, Platonem, Plotinum, Plinium, Theophraſtum, Ciceronem, Senecam, & reliquos hujus generis, qui maximum adferre adjumentum poterant ad Naturæ contemplationem, de cœlis, de elementis, de animantibus, de ſtirpibus. Ariſtotelem retinuerunt ſolum, quod is unus ex illa antiquitate rixantium circulis eſſet aptus. Equidem in inſpectione Naturæ haud video, quem poſſem illi comparare. Sed hujus placita atque opiniones de Natura rerum noſtri homines ejuſmodi rentur eſſe, nihil ut humanum ingenium exactius vel certius poſſit exculpere, communi hac quidem Naturæ luce adjutum, & rectum: de cujus ſententiæ imperitia, atque impudentia, atque etiam interdum impietate non poreſt ſatis pro dignitate dici. Et quia res magna & craſſa ignorantia videtur nihil cludi, idcirco longius paulo ac ſubtilius de ea differam. Nam ſi quid dicerent, omnino intelligerent, arbitror eos facile a ſententia diſceſſuros. Dedit Natura homini ſenſus in corpore, in animo vero acumen, quo cernat, ſpeculetur, intelligat, apprehendat. Tum judicium, quo ſparſa & diſſipata velut indagine quadam colligat ad nanciſcendum verum: quod quum ſe putat aſſecutum, acquieſcit ei quod verum judicat, contrarium rejicit: quæ ſunt aſſenſio, & diſſenſio. Hinc adjuvatur experimentis ac uſu rerum, intentione animi, ſtudio, ſedulitate, memoria, exercitatione: quæ quando ſua cuique non ſufficiunt, accedunt aliena per doctrinam homini ab homine traditam. Hæc ſunt cunctis mortalibus in commune propoſita, quæ quoniam nos naturæ beneficio habemus, idcirco naturale lumen nuncupamus: & quæ per hæc aſſequimur, naturæ lumine dicimur aſſequuti: quæ vero præter hæc, alio quopiam lumine, nempe divino, vel angelico, vel nonnunquam etiam doctrina dæmonis: ut intelligamus eſſe lumen Naturæ ea Naturæ munera, quæ communiter rationibus ſunt omnibus expoſita ad intuendum verum: ſicut lumen Naturæ ſunt in oculo ea omnia, quæ hoc Naturæ opificio parata ſunt ut oculus poſſit cernere: in ipſo oculo conſtitutio corporis, unde oritur acies, exterius aptum medium, lux diffuſa, objecti conveniens interter-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſtitium. Jam in his, quæ cognoſcuntur, alia pertinent ad ſenſus, ut ſenſilia, & ſenſata : alia ad acumen, quæ eſt intelligentia rerum a ſenſibus remotarum, ſive concretionem habeant aliquam, ſive nullam : alia ad inveſtigationem rationis per cauſas, per effecta, & ejuſmodi, quæ ſunt ex inquiſitione veri : ad quam illico cenſura ſequitur & aſſenſus ac diſſenſio apparentis veri aut falſi : quorum nonnullis continuo ab intelligentia conſentimus, aliis opus eſt indagatione. Quæro igitur, quæ tandem in Ariſtotele ſuprema naturæ vocent? an ea quæ ad aſſenſum veritatis pertinent, ut veritates habeat quibus nihil poſſet eſſe verius? Habet indubie permultas, quis enim non habet? non modo ex philoſophis, ſed ex vulgo? Sed non ſunt tamen vera omnia, quæ confirmavit. Philoſophi aliarum ſectarum, nonnunquam etiam Peripateticæ, Galenus & medicorum complures, hiſtorici Naturæ, priſci religionis noſtræ Scriptores, multa in eo magnis argumentis & evitabili experimento convellunt. Quam multa oſtendit tempus falſa eſſe, & locorum varietas? Quid idem ipſe, an non in quibuſdam ſecum pugnat? ut neceſſe ſit ex duobus contrariis alterutrum eſſe falſum. Num non in hiſce omnibus nubecula eſt Naturæ lumini objecta? Quod ſi in aſſerendo obſcurata eſt ei Naturæ lux, quanto magis in eo quod difficilius eſt, & prius intelligendo, indagando, colligendo vero? Sunt tamen & ex philoſophis, & ex theologis, qui non ſolum, quo Ariſtoteles pervenit, extremum eſſe ajunt Naturæ, ſed qua pervenit, eam rectiſſimam eſſe omnium & certiſſimam in natura viam : ut non aliter credant ſe poſſe evincere illud eſſe ſummum atque abſolutiſſimum, quam Ariſtotelicis ſyllogiſmis : quod vero illis non congruat, alienum eſſe a Naturæ face ac ſplendore. Si vel Natura rerum eſſet unica, ſimplex, brevis, aperta noſtris ingeniis, vel humanæ mentis vis in omnibus unjuſmodi, fortaſſe definire aliquis poſſet, quid ſupremum eſſet, quo in Natura ingenium humanum poſſet pertingere. Sed iſti non reputant ſecum, infinite variam eſſe Naturam rerum, ſive in his, quæ monſtrantur ſenſibus, ſive in effectis & cauſis, cur quicque agitur. Quam late patet in herbis, in animantibus, in homine, in mentibus, in cœlis? ipſe Deus & res ſpiritales, quanto ſupra

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

pra hominum captum aſſurgunt ? varia ſunt hæc & latitudinis vaſtiſſimæ, abſtruſa, admirabilia magis quam perſcrutabilia. Jam hominum mentes quanta mole ſunt obrutæ ? quibus involutæ tenebris : qua nocte prope excæcatæ ? Quantum proficiunt ætate, cura, diligentia, uſu, doctrina ? Eſt ingeniorum varietas infinita, non unum aliquod univerſa ſortitum eſt munera : habet unumquodque, ſicut multorum fert opinio, & res ipſa docet, peculiare munus ſuum ac proprium. Quis inter hæc pronuntiare poterit quouſque progredi humano ingenio liceat ? niſi ſolus Deus, qui & Naturæ terminos, & ingenii noſtri novit, author utriuſque. Equidem haud negaverim quin olim ſapientiæ ſtudioſi multum conſecuti ſint diligentia, cura, diuturnitate diſciplinæ, intentione animi : quæ res illos evexerunt longius, quam quo nos potuimus pervenire, ſocordia & ſegnitie impediti ac retardati. Sed cui tandem tanta diligentia, uſus, ſtudium, inſtitutio, ætas, acumen ſuppetiit, longius ut nemo poſſet progredi, vel alius quiſpiam, vel idem ipſe, quam quo jam pervaſiſſet, in Naturæ itinere, tam longo, tam lato, tam multiplici, & propter noſtras tenebras impedito ? Ipſe Ariſtoteles an non plura aſſecutus eſt ſenex, quam juvenis ? Quam multa reliquit ſibi ipſi ambigua ? quoties ſeipſum correxit ? nonnulla etiam addiderunt noſtri, càſu puto, nam ſibi diffidebant. Sed addiderunt tamen. Ergo ea vel ſi diutius datum eſſet vivere, vel ſi in eorum aliquod unum incubuiſſet liberius, vel ſi ampliore doctrina eſſet adjutus, puriora certe & exactiora reliquiſſet. Sunt quidem magna hæc, adde etiam ſumma illius quidem ætatis ac ſtudii, non illius hominis, nedum aliorum omnium. Profecto Ariſtoteles ipſe, ſi nunc viveret, etiam ſi fuiſſet inſolentiſſimus, cujuſmodi non fuit (nam multa modeſtiæ ejus ſigna impreſſa ſunt in illius libris) ſed ſi arrogantiſſimus fuiſſet, iſtorum tamen ſtultitiam irrideret, ac caſtigaret. Quæ noſtrorum hominum perſuaſio effecit, ut multa reciperemus in philoſophiam pro compertis atque exploratis, quæ minime eſſent talia : videlicet Ariſtoteles dixerat. Quid erat opus defatigari nos inquirendo, quandoquidem fixum illud erat & confirmatum, certius inveniri nihil poſſe ? unde nata eſt incredibilis in hominum pectoribus ſocordia atque

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

atque inertia: quæ latiſſime diffuſa pro dulciſſimo habuit alienis oculis omnia intueri : aliena fide omnia credere : nihil ipſam quærere, nihil ſcrutari. Itaque illud mihi admirari ſubit, homines, qui in parvis judicare non ſuſtinent, quomodo rem tantam pronuntiant, quam perceptam habere non poſſent, etiam ſi acutiſſime judicarent? Quo vero ducantur judicio, quum alia ſint argumento, tum illud, quod eandem ingenii atque inventorum felicitatem aliis communicarunt: ut etiam quod Plato, quod Seneca, quod Cicero dixiſſent, naturæ lux & norma credatur eſſe. Atqui inter ſe diſſident, & quiſque ſecum, & dubitant, & hærent, & ſe veriſimilia conſectari profitentur: & hallucinari ſe intelligunt, & falſos ſe eſſe ſentiunt, nec diſſimulant. Sed nobis perpetuo circum carceres hærentibus, mirandum non eſt eos, qui paulum in ſtadio ſunt progreſſi, videri jam metam pertigiſſe; & in amicorum meorum gratiam tranſeo eam ſtultitiam, quæ vel pueris, aut vetulis videretur incredibilis, non deeſſe magnos in ſcholis magiſtros, qui quicquid fecerint, ſtatuerint, dixerint vel populi gentiles, vel ſinguli hominum illorum, tanquam verum, rectum, bonum accipiunt in luce naturæ: & de eo diſputant, & tali, quod eſſe inſaniſſimum nemo non videt, niſi qui ipſe inſanit. Verum in rebus humanis tolerabilis forſan eſſet indocta hæc cenſura. At omnium eſt graviſſimum in iis, quæ pietatis ſunt. Scinditur illico velut regnum luminis: hoc verum in lumine Naturæ, illud in lumine Fidei. Comprimite linguas blaſphemiæ imperitas. Hæc dicitis ex ignorantia eorum, quæ loquimini. Nam quemadmodum in oculo, & unoquoque ſenſuum vis quædam ac poteſtas, quæ fertur ad convenientiam & velut amicitiam cum ſuo objecto: ita in mente eſt vis, & vigor, & judicium, & facultas ad objectum ſuum: quod verum eſſe, non falſum, nemo ignorat: ad quod verum intelligendum & aſſequendum non aliter ſemina ſunt naturaliter menti noſtræ indita, quam oculo vis illa ad aſpiciendum colorem. Quocirca Ariſtotelis de authore omnium, de Mundi origine, de regno Naturæ, de anima, de moribus, de pietate lapſus atque errores non ſunt Naturæ lumini imputandi: nec ea ſunt quæ nobis Natura oſtendit, quæ ſi eſſent, indubie vera

eſſent:

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

eſſent : nam verorum ſunt nobis naturaliter ingenitæ informationes atque anticipationes, non falſorum : & verum eſt omnibus ad cognoſcendum expoſitum, non falſum, nempe a vero & verorum opifice. Quapropter quæ vera aſſequimur, ad ea Naturæ face deducimur, quæ non aſſequimur, in iis Natura deſtituimur lumine, quæ porro falſa pro veris colligimus ratione aliqua probabili, in iis fallimur denſitate tenebrarum, aut fallaci aliqua luce ſimili veræ, unde etiam *veriſimilia* nominantur. Falſæ ergo Ariſtotelis opiniones non ad lucem ſunt Naturæ ſumptæ, quæ neminem decepit, ſed ad tenebras & imaginem aliquam lucis captioſam : quemadmodum quæ oculus vere cernit, ex naturæ luce cernit : quæ non cernit, ex imbecillitate ſua non cernit : quæ vero ficta & ſimulata, pro ſolidis & veris cernit, ea ex fraude ac deceptione quadam cernit : quæ fit quidem in naturæ luce, non tamen ex ea ipſa luce, ſed ex rebus interjectis luci. Dic mihi quum remum integrum videor mihi videre in aqua fractum, eſt ne ea viſio ex luce naturæ? non, inquis, ſed ex deceptione oculi propter medium geminum, quod eſt contra lucem naturæ : eamque deceptionem corrigit animus. Sic quum Ariſtoteles argumento aliquo fallitur, non eum decepit naturalis ſplendor, ſed imbecillitas ingenii, quæ a plagis argumenti extricare ſe in præſens non valet ; extricabitur ubi propius erit admota naturæ lux majore ſtudio, attentione, die ipſa, monitu cujuſquam, aut doctrina : non ergo lucis naturæ copia quenquam fallit, ſed inopia. Non abnuo quin in rebus pietatis cognoſcendis, adjuvemur divina quadam illuſtratione ſingulari, ſed certe pleraque nos etiam Natura de illis docet. Neque enim eſt quicquam tam reconditum in chriſtiana pietate, nullum adeo ſublime ac excelſum myſterium, cujus non magnas & admirabiles rationes ingenium humanum inveniat, navet modo operam ſobrie, diligenter, induſtrie. Clarius quidem atque apertius videmus omnia ope fulgoris divini, ſed profecto licet obſcura, nec ſatis liquida, multa tamen exculperemus magna atque admiranda, unde facile cuivis eſſet perſpicuum, & illorum non levia aut tenuia ſemina in animis noſtris eſſe ingenita, & naturæ lumen eo nos comitari, ac deducere, quo nos per-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

perveniremus, ſi recta inſiſteremus ſedulo. Sed redeo jam ad ea, quæ de Ariſtotelis operibus cœperam dicere. Vicit ille quidem ſuperiores omnes atque etiam poſteros, eſt autem in definiendo vafer & occultus, adeo ut pleraque ſint idcirco in ejus philoſophia incerta & perplexa, parum etiam vera, dum magis curat, quem in modum reprehenſionem excludat, quam ut aſſerat verum. Alexander Aphrodiſæus propterea ſe Ariſtotelis ſententiam de Mundi æternitate unam ex omnibus ait delegiſſe, quam teneret, non quod eſſet omnium veriſſima, ſed quod contradictioni minime obnoxia.

Quid quod ex philoſophi hujus libris, qui ſunt ſane multi acute perſcripti & docte, non utiliſſimos ſibi ſumpſerunt, ſed intricatiſſimos & rixoſiſſimos, quique minimum haberent bonæ frugis, non de animalibus, qui multum utilitatis adferunt ad vitam, & quorum ingens fuit apud veteres pretium, non problemata, ſed phyſicos, & ut quique phyſicis ſunt proximi obſcuritate & argutiis, videlicet de prima philoſophia, de cœlo, de generatione: nam libros meteororum ita tractant, ut aliud videantur agere: atque adeo mirum eſt receptos eos eſſe inter libros ſcholaſticos, puto caſu magis quam conſilio contigiſſe. Sunt enim earum rerum inexperti prorſus, & hujus naturæ, quam melius agricolæ & fabri norunt, quam ipſi tanti philoſophi: qui naturæ huic quam ignorarent, irati, aliam ſibi confinxerunt, nempe ſubtilitatum nugas de iis rebus, quas nunquam Deus condidiſſet, nempe *formalitates*, *ecceitates*, *realitates*, *relationes*, *Platonis ideas*, & monſtra, quæ nec illi quidem capiant ipſi, qui pepererunt, quæ quando aliud non poſſunt, certe dignitate cohoneſtant nominis, *metaphyſicam* appellantes. Et ſi quis ingenium habeat naturæ hujus imperitum, aut ab ea abhorrens, ad commenta, ad ſomnia quædam inſaniſſima propenſum, hunc dicunt *ingenium* habere *metaphyſicum*: ut de *Scoto*: in quo fortaſſis a callidis & acutis hominibus ambiguitate nominis deludimur, ut *ingenium* eſſe *metaphyſicum* ſentiant, quaſi extra hanc naturam in alia quadam nova & inuſitata. Rident *nominales* metaphyſica illa *realium* tanquam figmenta, & aniles fabulas: & tamen quia convellere non poſſunt, nec intercedunt quo minus

me-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

metaphyſica dicantur *ingenia* præpoſtera & deridicula. Sed enim vero neque hæc ipſa Ariſtotelis volumina potuerunt intelligere, primum propter locutionem aſtrictam, & ex brevitate obſcuram, hinc propter intricatas & obliquas ſententias, tum etiam ob immodicas ſubtilitates, quibus Ariſtoteles plerunque non exacuit ingenia, ſed perturbat, & frangit, tenebraſque & hallucinationem inducit aciei mentis, dum conatur minutias quaſdam tenuiſſimas oſtendere & inutiles per ſe, & quæ intentionem obtutus ingenii ſubterfugiant, ac fruſtrentur: non aliter quam ſi fila monſtrare quis vellet rudentum illius navis, quam Myrmecides fabricatus eſt apicula contectam: vel diſpunctiunculas Iliados, quæ nuce capiebatur. Tales ſunt illius libri Græce quidem, ut ab eo ſunt perſcripti, nam Latinos ita legimus, ut enigmata audire te credas, non planum fermonem, atque explicatum, qualem inter ſe homines conſueverunt uſurpare. Dicet aliquis: grave incommodum, ſed ideo tolerabile, quod adjuvamur bonis interpretibus ac explicatoribus ex Arabia uſque accitis: quibus tandem? verſione Arabica, & commentariis Abenrois, quem philoſophi de noſtra ſchola, qui poſt eum ſcripſere, ita ſunt amplexati, ut pene authoritate Ariſtoteli adæquarint, nec ſolum qui longo poſt intervallo vixerunt, ſed qui illius quoque ætate: quod factum eſt & ignorantia meliorum, & admiratione mercimonii lingua & ſenſis peregrini: ut gratiam ei conciliaret apud primos novitas, apud poſteros vetuſtas, nomen eſt *commentatoris* nactus, homo qui in Ariſtotele enarrando nihil minus explicat, quam eum ipſum, quem ſuſcepit declarandum. Sed nec potuiſſet explicare etiam ſi divino fuiſſet ingenio, quum eſſet humano, & quidem intra mediocritatem. Nam quid tandem adferebat, quo in Ariſtotele enarrando poſſet eſſe probe inſtructus? non cognitionem veteris memoriæ, non ſcientiam placitorum priſcæ diſciplinæ, & intelligentiam ſectarum, quibus Ariſtoteles paſſim ſcatet. Itaque videas eum peſſime philoſophos omnes antiquos citare, ut qui nullum unquam legerit, ignarus Græcitatis ac Latinitatis, pro *polo Ptolomæum*, ponit pro *Protagora Pythagoram*, pro *Cratylo Democritum*: libros Platonis titulis ridiculis inſcribit: & ita de iis loquitur, ut vel cæco perſpicuum ſit lite-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

literam eum in illis legiſſe nullam. At quam confidenter audet pronuntiare hoc, aut illud ab eis dici, & quod impudentius eſt, non dici : quum ſolos viderit Alexandrum, Themiſtium, & Nicolaum Damaſcenum : & hos, ut apparet, verſos in Arabicum perverſiſſime ac corruptiſſime. Citat enim eos nonnumquam, & contradicit, & cum eis rixatur, ut nec ipſe quidem, qui ſcripſit, intelligat. Ariſtotelem vero quomodo legit ? non in ſua origine purum & integrum, non in lacunam Latinam derivatum, non enim potuit linguarum expers, ſed de Latino in Arabicum tranſvaſatum. In qua transfuſione, ex Græcis bonis facta ſunt Latina non bona, ut ille dicit; ex Latinis vero malis, Arabica peſſima. Sed ut liquido oſtendam qualis ſit Arabica interpretatio & expoſitio *commentatoris*, locum unum pro ſexcentis millibus adferam : nam alia permulta facile quiſque per ſe invenerit, quæ ego ſuperſedebo attingere, ne ſim juſto prolixior, in re præſertim, quæ patefactis linguis, & cognitione totius antiquitatis, apertior poſthac erit pleriſque. Libro ergo metaphyſices primo, textu, ſicut ipſi loquuntur; commenti quinti Ariſtotelis, opiniones priorum de principiis naturæ examinantis hæc ſunt verba: Μετὰ δὲ τὰς εἰρημένας φιλοσοφίας ἡ Πλάτωνος ἐγένετο πραγματεία, τὰ μὲν πολλὰ τοῖς Πυθαγορείοις τούτοις ἀκολουθοῦσας, τὰ δὲ καὶ ἴδια παρὰ τὴν τῶν ἰταλικῶν ἔγουσα φιλοσοφίαν. ἐκνέυτε γὰρ συγγενόμενος πρῶτον Κρατύλῳ καὶ ταῖς ἡρακλειτείοις δόξαις, ὡς ἁπάντων τῶν αἰσθητῶν ἀεὶ ῥεόντων, καὶ ἐπιστήμης περὶ αὐτῶν οὐκ οὔσης, ταῦτα μὲν ὕστερον οὕτως ὑπέλαβεν, Σωκράτους δὲ περὶ τὰ ἠθικὰ πραγματευομένου, περὶ δὲ τῆς ὅλης φύσεως οὐδέν. Quorum hic eſt Latine ſenſus : *Poſt jam enumeratas de philoſophia ſententias ſecuta eſt Platonis ſpeculatio, in pleriſque Pythagoricis accedens, ſed quædam habens propria præter Italicam diſciplinam. Nam a puero primum Cratylo dedit operam, & placitis Heracliti, quæ a ſenſilibus, quod in perpetuo eſſent fluxu, ſcientiam tollebant, cujus ad poſtremum quoque fuit opinionis. Quum Socrates circa moralia verſaretur, de natura autem univerſitatis nihil diceret.* Sic nos. Audiamus nunc interpretem Arabicum : *Et poſt hoc quod dictum fuit, de modis philoſophiæ, inventa fuit philoſophia Platonis, & ſequebatur illos in multitudine ; in unitatibus autem erat opi-*

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

opinionis Italorum: & primum qui contigit poſt Democritum, fuit opinio Herculeorum, ſcilicet quod omnia entia ſunt ſemper in fluxu: & quod nulla eſt in eis ſcientia. Iſtas igitur opiniones ſecundum hos accepimus in poſtremo. Socrates autem loquutus fuit in moralibus, & nihil dixit de natura. Sic ille. Quæſo te, quis ſanæ mentis eadem dicat eſſe hæc & illa? Ariſtoteles ſi reviviſceret, intelligeret hæc? aut poſſet vel conjecturis caſtigare? Oh homines valentiſſimis ſtomachis, qui hæc devorare potuerunt & concoquere? & in hæc tam ab Ariſtotelis ſententia ac mente abhorrentia auſcultare, quæ Abenrois *commentator* comminiſcitur: favete linguis viro tanti nominis, & alteri Ariſtoteli. Dicit: *Et poſtquam inventi fuerunt iſti modi philoſophiæ ſcilicet Pythagoricorum, & univerſaliter qui ponebat mathematica principia entium naturalium, ſcilicet Anaxagoræ, & Empedoclis, & Democriti, inventa fuit philoſophia Platonis.* Quid ais? Anaxagoras, & Empedocles, & Democritus, mathematica entia faciebant principia rerum naturæ? atqui Anaxagoras adfert ſua ὁμοιομερη, Empedocles *quatuor elementa*, Democritus *corpuſcula inſecabilia, & inane:* quod ſi non aliunde, ſi non ex Græcis, aut Latinis., quos nuſquam vidiſti, certe ex Ariſtotele ipſo quantumlibet depravato didiciſſes in phyſicis, & in hoc eodem opere, & aliis multis. Perge porro. *& dicit quod ſequebatur iſtam in multitudine, id eſt, quod Plato conſectabatur in pluribus ſuis opinionibus opinionem* Pythagoricorum, & in paucioribus opinionem *Italorum:* quid poteſt dici vel aptius intelligentiæ Ariſtotelis, vel eruditius de hiſtoria philoſophiæ, ac hæreſibus? *Pythagoricos* diſtinguit a philoſophis *Italicis*, quaſi alii fuerint *Italici*, quam *Pythagorici*? quod nec pueri noſtri ignorant: addit, *& fuerunt primi naturales in Italia, ſcilicet Anaxagoras, Empedocles, Democritus.* Atqui priores fuerunt Jonici philoſophi a Thalete, quam Italici a Pythagora. Sed cur jungis vulpes ovibus? Cur Anaxagoram ex Jonia transfers in Italiam? Deinde dicit, quod *Plato ſequebatur in majore parte philoſophiæ ſuæ eos, qui ponebant mathematicas cauſas rerum ſenſibilium.* Quis hoc dicit? Nam Ariſtoteles nihil minus dicit quam quod tu ſomnias. Adjungit, *quia Plato dicebat formas eſſe, & opi-*

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

nabatur naturam formarum, & numeri esse eandem. Quid opus est nobis alio interprete aut expositore Platonicorum numerorum? jam posteaquam Abenrois scripsit, cessset dictum vetus, *difficilius quam numeri Platonis: & opinabatur, quod quatuor elementa sunt composita ex superficiebus æqualium laterum, & angulorum.* Nihil ergo loci relinquitur triangulo? nihil pyramidi? Apparet hunc hominem diligentissime esse in Platonis Timæo versatum: tam multa tu quidem dices de Platone, ut qui nunquam legerunt Platonem & Aristotelem, credant te non minus esse Academicum, quam Peripateticum. Deinde dicit: *& primum quod contigit post Democritum, fuit opinio Herculeorum:* quid ego hæc refellam, quæ apud Aristotelem nulla sunt, & summam operam supervacaneam: quum hæc sint cuilibet ad exibilationem atque explosionem objecta? Ubi est mentio Democriti? ubi Herculeorum: quid malum sunt isti Herculei? an quia Hercules Græce Ηρακλῆς dicitur, ideo *heraclitici* erunt *herculei? qui faciebant dubitare omnes dantes se ad philosophiam in illo tempore:* quos omnes præterquam se ipsos? sed nec dubitabant, qui sciebant nesciri sensibilia: an putas Academicos fuisse, qui in omnibus assensum cohiberent? *& dicebant quod nulla est scientia.* Quid? tu nulla censes illos entia posuisse præter sensilia? Oh doctum interpretem veterum. *A sensibus, quæ vere non essent, scientiam illi auferebant: in iis quæ mente assequeremur, quæ sola vere sunt, relinquebant, ut in Deo, & rebus illis cælestibus. Scientia enim necessaria est.* Quis sic loquitur? scientiam esse de necessariis dicimus, non ipsam necessariam. Sed faciamus gratiam verbi homini infacundissimo: & nihil est in his, de quo pendeat scientia, nisi sensibilia, quæ semper sunt in transmutatione. Hæc sunt tua? an Herculeorum? ut tu vocas. sint enim *Heracliti herculei*, certe illorum non sunt, qui veram scientiam in cognitione statuebant eorum, quæ vere essent: tua sunt, qui adeo es impius, ut impietates inferere vel tuo, vel alieno nomine semper gaudeas. D. d. *& istas opiniones, &c.* id est, *istæ igitur opiniones prædictæ perveniunt ad nos de considerantibus in philosophia usque nunc*; videte quam hoc congruat cum eo quod Aristoteles dicit: *hæc fuit postmodum Platonis sententia.* Atqui

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

qui hic eſt Abenrois , quem aliquorum dementia Ariſtoteli parem fecit , ſuperiorem Divo Thomæ . Rogo te Abenrois , quid habebas , quo caperes hominum mentes , ſeu verius dementares? ceperunt non nulli multos ſermonis gratia & orationis lenocinio , te nihil eſt horridius , incultius , obſcœnius , infantius . Alii tenuerunt quoſdam cognitione veteris memoriæ , tu nec quo tempore vixeris, nec qua ætate natus ſis , noviſti , non magis præteritorum conſultus , quam in ſylvis & ſolitudine natus ac educatus . Sunt quos libenter legimus propter experimenta , & obſervationes variarum rerum in natura , ut Albertum Grotum : tu velut in alia natura genitus , & verſatus , de hac nihil loqueris , utique in Ariſtotelem ſcribens : nam libros tuos medicos non legi . Admiratione atque omnium laude digni ſunt habiti , qui animos formaverunt , qui præcepta tradiderunt bene vivendi? Te nihil eſt ſceleratius, aut irreligioſius : impius fiat , neceſſe eſt , & atheos , quiſquis tuis monimentis vehementer ſit deditus . Equidem conjecturas omnes conſumpſi . Jam dic ipſe , qua potiſſimum re quibuſdam placuiſti . Audio , teneo , non tua culpa eſt , ſed noſtra : non tu adferebas , quo placeres , ſed nos adferebamus , quo non diſpliceres : non approbavit te tua doctrina , ſed aliorum imperitia , & torpor . Suavia erant obſcuris obſcura , inanibus inania , & quibuſdam pulchra ſunt viſa atque ad fucum faciendum aptiſſima , quæ nec ipſi intelligerent , nec alii eſſent intellecturi , nam exiſtimationem ſcientiæ quærebant , non ſcientiam : multi te non legerant , alienum judicium ſunt ſecuti : aliquibus propter impietates fuiſti gratus : nam & Abenrois doctrina , & metaphyſica Avicennæ , denique omnia illa Arabica videntur mihi reſpicere deliramenta Alcorani , & blaſphemas Mahumetis inſanias ; nihil fieri poteſt illis in doctius , inſulſius , frigidius . Verum enimvero quod ex Ariſtotelis libris aſſequebantur , quod erat ſane perexiguum , quia eſſet jam diſputationibus plus nimio tritum, agitatum , vexatum , ut genus illud pugnæ etiam tironibus videretur eſſe notiſſimum , nova eſt quæſita belli gerendi ratio , & nova pugnis materia . Invectæ ſunt cavillationes ſtultarum ſubtilitatum , quas ipſi calculationes vocant , quibus maximum dedit incrementum Rogerus

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Svicetus Anglus: quas idcirco Joan. Picus *quiſquilias Svi-ceticas* ſolitus erat aptiſſimo nomine nuncupare, quæ nihil penitus vel ad ſciendum conferunt, vel ad uſum aliquem. De uſu neminem video dubitare, ne ipſos quidem maximos earum profeſſores, & quorum exiſtimatio in una illarum cognitione eſt poſita. Porro ſcientia, quæ poteſt eſſe in rebus a Deo, a ſenſu, & mente omni remotis ac ſegregatis? & de quibus ex inani aliquo fundamento vaſtum ædificium aſſertionum, ac diſſidentium ſententiarum conſurgit: ut de *intentione* & *remiſſione*, de *raro* ac *denſo*, de *motu uniformi*, de *difformi*, *uniformiter difformi*, *difformiter difformi*. Quid quod in his, quæ nunquam contingunt, ac ne poſſint quidem in natura, multi ſunt atque immodici: ut de *infinite raris* aut *denſis*, de *hora ſecta in partes proportionales* hoc aut illo proportionis genere, in unaquaque ut aliqua ſit *motus* ratio vel *alterationis*, vel *rarefactionis*. Et quaſi explorata jam & percognita haberent naturæ arcana, perfuncti jam iis, quæ ſunt, quæ erunt, quæ fuerunt, ad ea quæ fieri vix poſſunt, curam ſuam convertunt: ignorant, quæ jacent ante pedes, ſcrutantur, quæ nuſquam ſunt. Tranſeunt ad ſupernaturalia, & ex dogmatis qualibuſcunque in hac natura utcunque obſervatis, de miraculis, de iis quæ naturam omnem excedunt, diſputant. *Quid eſſent ſi hæc aut illa Deus conderet qualia non condidit, puta aliud hominum genus, aliud belluarum, & elementorum*, demens, ex legibus hujus naturæ, atque iis parum a te exploratis, de conditione alius naturæ inquiris? Prætereo ſubtilitates immenſæ difficultatis, videlicet a quibus humani ingenii natura abhorret. Sed difficultas & labor recuſandus fortaſſis non eſſet propoſita utilitate: atqui in his labor eſt irritus ſine uſu, ſine ſcientia. Quid merentur exercitati in his tam diu, tam diligenter? nimirum idem munus, quo Alexander donavit illum, *qui grana ciceris jacta acu excipe-ret*. Inventa ſunt hæc ab otioſis hominibus aliarum rerum omnium inſcientibus ad exercendum in ſcholis guttur, ne tacendo obduceretur ſitu. Recepta ſunt ab iis, qui omnis cognitionis & peritiæ rerum nudi, facile otioſa hæc quadam mentis agitatione tuebantur. Scilicet hoc ſolo proviſo ne ſibi repugnarent: aucta ſunt diſputationibus & ſpe

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

victoriæ : tum cogitationibus velut in ludicrum solutis, ad quas, nec judicio nec libris, nec rerum notitia esset opus: plane quales cupiebant homines ab iis omnibus vacui, & quibus maximam diei partem erat altercandum, adeo ut etiam quæ falsa esse non dubitarent, arripienda tamen illis fuerit, nec statuenda aliter quam verissima, ne materia deesset rixis, & contentionibus subinde revertentibus. Nihil olim amœnius habebatur contemplatione horti hujus naturæ, ut neque est ullum pulchrius, aut jucundius spectaculum, quam theatri hujus. At isti pro floseulis & arboribus placidissimis crucem ingeniis fixerunt, ut nec ibi tanta se amœnitate possent delectare, & fracta ac debilitata attollere se ad meliorem rerum cognitionem non valerent. Ita ex hoc philosophiæ genere ad medicinam & naturæ inspectionem transeunt præposteri, absurdi, spinosi, in omnibus inepte cavillatores, ut quæ simpliciter accepta intelligerentur, ac prodessent, ipsi vellicando, perstringendo, detorquendo frangant ac corrumpant.

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

DE MEDICINA.

LOCUS hic admonet, ut quam etiam cladem Medicina acceperit commemorem. Nam hæc, quæ hominum morbis remedium adfert, immunis a communi peſte non permanſit. Conſtitutionem hanc noſtri corporis imbecillam & fragilem multa & interne oppugnant & externe. Quotidianis neceſſitatibus & periclitanti illi diſcordium humorum concordiæ epulæ ſubveniunt: congruentiæ vero jam diſturbatæ, vel id ne accidat, medica ars, quæ primum experimentorum audacia nata eſt, dum neceſſitas ad deſperationem adigeret, ut auderent tentare: quandoquidem nec quietis & cautis meliore loco res erant futuræ. Annotata ſunt experimenta vel in memoria eorum, qui eſsent adjuti, propinquorum, neceſſariorum, denique omnium, qui cum admiratione ea animadvertiſſent, vel in templo ejus dei, qui imploratus ſalutem videretur attuliſſe. Collecta ſunt paulatim, quæ profuiſſent remedia: unde prima origo artis, quod feciſſe Hippocratem Coum Plinius prodidit ex M. Varrone. Sed *experientiæ*, quemadmodum Hippocrates idem inquit, *fallaces ſunt*, mutantur ætate, ſexu, conſtitutione corporis, loco, tempore. Ideo judicium fuit cum cura adhibendum, ut ſingula in remediis obſervarentur, *quæ*, *quando*, *ubi*, *quibus*. Prima quidem fuerunt experimenta, & ea in admirationem traxerunt præſtantia ingenia, ut ſingulorum naturas & cauſas eruerent. Sed mox eadem illa ingenia generales quoſdam canones exculpſerunt, queis remedia cenſerentur, ne vaga errarent ac incerta, concluſa jam & alligata præſcripto artis. Nam ubi dogmata, & cognitio ſcholæ philoſophicæ & excultum ab ea judicium experimenta non regit, caſus eſt & temeritas Medicina, non ars. Quando ergo ab experimentis, ſed acri judicio adhibito nata eſt hæc ars & aucta, prima illius corruptela, & feviſſima eſt, ubicunque vel deeſt experientia, & uſus rerum, vel judicium philoſophicum. Multi ſolis experimentis vel ſuis, vel

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

vel ſæpe etiam alienis confidunt, judicii & obſervationis hujus univerſalis inopes ac inermes. Experimenta ubique valere idem arbitrantur: quum ea proſint in morbo alicui feminæ, quæ viro noceant: nec idem puero & ſeni conveniat bilioſo, & pituitoſo, in hyeme, & æſtate, in Hiſpania, & in Scythia. Alii contra philoſophiæ præceptis inſtructi, ignari uſus, expertes rerum, manum curationibus admovent: quum artis ea ſit præcipua pars, non quæ ſcripta ſunt probe intelligere ac tenere, ſed applicationi aſſueviſſe, quæ quando in effectione poſita eſt ac opere, non ſcientis eſt, ſed experti. Verum ut cuique ſalus & ſanitas ſua eſt commendatiſſima, cui ex immodico amore ſupra quam dici poſſit & indulgemus, & metuimus, amor hic timore temperatus judicium omne utilium & noxiorum adimit: quo fit, ut nemo hominum omnium aliquid ſe ad ſanitatem noſtram faciens profiteatur dicturum, cui non adhibeamus aurem, & eo promptius, quum urit morbus, & faces doloris ſubdit acerbiſſimas, ut capti & falſi non ſemel, eodem tamen reverſi ſui & aliorum in odium profeſſionis ſit adductus, majus periculum ab arte metuens: aut ex deſperatione in apertum de vita diſcrimen venire malit, quam ſe arti committere infeliciter ab ſe vel aliis tentatæ. Cujuſmodi homines ſunt utique perpauci. Illi alteri plerique omnes, qui omnia profitenti ſanationem morbi credant, & confidant; quocirca quæſtuoſiſſima facta eſt ars. Quid non largiatur homo liberatori ſuo? an vero ſit ullus tam inſanus, qui in vitæ periculo pecuniæ parcat? Cui ergo tempori numi reſervat uſum ilico periturus? *Pellem pro pelle*, ſicut Job inquit, *& omnia quæ poſſidet homo dabit pro anima ſua*. Feſtive Philippus Alexandri pater, quum a *clavicula luxata* laboraret, & ſubinde aliquid pecuniæ medicus poſceret, *accipe jam*, inquit, *omnia, quæ voles, quando habes clavem*. Sed olim quæſtuoſior fuit quam hac ætate, credo quod alia præſtarent illi majora, & magis admiranda. Sed neque nunc deſunt medicis ſua præmia: alet & ſuſtentabit ſe medicus in frigidis oppidulis, in vicis, in ſolitudine, ubi aliarum artium ne nomen quidem eſt auditum: is tam paratus quæſtus multos allexit, ut per-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

perditis ac desperatis rebus aliis omnibus, ad hanc unam, ceu extremam & sacram anchoram confugerent, & velut arenam in naufragio. Atqui lucri gratia studebant, ea demum ex arte ac studiis omnibus collegerunt, quæ ad parandam pecuniam esset aptissima, nempe historiam remediorum cum levi, aut nulla etiam interdum cognitione philosophiæ, & judicii illius, quem in adhibendis medicamentis *clavum* esse diximus. Nam errata illius impune sunt, imo etiam mercede compensantur: nec deest, quod flagitio suo prætexant: ægri inobedientiam, vim morbi majorem, quam cui posset subvenire humana ars: facetiis nonnunquam & dictis justas querimonias eludunt: *cui unquam est dies medico de cæde dicta?* Admiscuit se, ut in re omni, cupiditas gloriæ, quam alii ob augendum quæstum expetiverunt, ut eo ampliora mererent operæ pretia, quo eorum nomen esset illustrius, alii ob ipsum solum nomen & auram quandam popularem. Unde nata sunt dogmata & placita medicandi cum his pugnantia, quæ in arte omni essent receptissima: qualia fuisse dicunt Thessali illius, qui se *ἰατρονίκην* appellavit, in quem sunt tam multa a Galeno scripta, tum etiam aliorum, de quibus meminit Plinius in historia Naturæ. Cæterum linguarum casus & obscuratio huic arti, quemadmodum reliquis omnibus, atrocissimam attulit cladem. Amissa sunt omnia, quæ necessaria erant ad intelligentiam eorumquæ fuerant a veteribus observata, & tradita posteris, id est, ad notitiam fontium, atque eorum Scriptorum, quorum fide posteriores artem exercerent, ut nomina partium humani corporis intus & foris, herbarum, animantium, lapidum, ponderum, mensurarum. Tum temporum & historiarum, qui morbi, quas aliquando regiones, quibus temporibus, quod genus sive hominum sive bestiarum invasissent atque infestassent, quomodo sedati ac depulsi. Adde huc quod nec phrasin Græci aut Latini sermonis intelligunt, quæ soliti sunt prisci medici remedia præscribere: libri magnorum authorum, ut Hippocratis, Galeni, Dioscoridis versi primum imperite, deinde confusissime & obscurissime, ut nec intelligi potuissent etiamsi versi fuissent doctissime: unde multi errores extiterunt Avicennæ, Rasis, & aliorum Arabum: ut in Aristotele enarrando eadem

de

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

de cauſa multi, ſicut oſtendi, Abenrois. Jam tot eorum opera nunquam in alienas verſa, unde plurimum fuerat eruditionis hauriendum; cujuſmodi eſt videre, vel nuper ad nos translata, vel necdum etiam Hippocratis, Galeni, Pauli Æginetæ. Quæ omnia Nicolaus Leonicenus, Hermolaus Barbarus, Thomas Linacer, Gulielmus Copus, Laurentius Laurentianus, Manardus, Ruellius patefecerunt, ſive redarguendis falſis, ſive aſſerendis veris: quæ incipiunt jam eſſe paſſim nota, idcirco ſuperfluum eſſet ea hic recenſeri, a me præſertim, qui Medicinæ non plus attigi, quam quantum illa ſpeculationi naturæ rerum, & aliis humanis diſciplinis conjungitur, tum ex uſu nonnihil, & communi vita. Medicis rerum veterum ignaris, & earum quæ potiſſimum ad ſalutem humani corporis conducerent, aliquid tamen fuit agendum ex ſcholaſtica illa phyſicæ exercitatione. Ingentem & copioſiſſimam diſputandi materiam in hanc quoque artem tanquam plauſtris invexerunt, de intentione & remiſſione formarum, de raritate & denſitate, de partibus proportionalibus, de inſtantibus: ea quæ nec ſunt, nec unquam evenient, ventilantes ſua ſomnia, deſerta pugna cum morbis interea loci prementibus, atque occidentibus. Ea res fœcunda & infinita, non aliter quam hydra quædam, diutiſſime remorata eſt ingenia cum fructu aliis vacatura. Videre eſt cavillationes, tricas Jacobi Forlivienſis, nec minus ſpinoſas, nec minus inutiles, quam *Suiceticas*, nec prolixitate & moleſtia cedentes, quæ nobis Joannes Dullardus non raro ſolebat citare in exercitatione phyſica. Poterant hæc coli ſine literis, faciebant ad oſtendationem diſputationum: nam altercationes non minus artem hanc, quam reliquas omnes, vexaverunt: evehebant ad honorum gradus in ſcholis, qui gradus, de immaturis loquor, gravem infixerunt plagam arti, ac proinde vitæ. Nam juvenes atque adoloſcentes inſtructi ſpinis illis, & captiunculis, nulla peritia herbarum, animantium, elementorum, denique naturæ hujus nullis experimentis, & cognitione rerum adjuti, nulla fulti prudentia, judicio & conſilio perquam imbecillo admittuntur ad honores, & continuo emittuntur ex Academia in proxima oppida, & vicos, ad ponenda rudimenta artis, tanquam manus immitium carnificum: nec univerſales nove-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

verunt canones, nec deductionem artis viderunt ad usum, nec ipsi ad opus moverunt manum: juvenes calidi & confidentes omnia temeritati casuum commendant. Admoneri se non ferunt tyrones a veteranis, quibus se adæquatos vident honore nominis. Quod si illi molesti esse pergant, aggrediuntur eos rixis & tendiculis scholasticis: hinc clamore, & pervicacia asseverationis, convitiis, maledicentia cogunt sibi cedere senes moderatos, & pugnis hujusmodi desuetos, victos effronti confidentia, importunitate, odio. Ad hæc fastidivit ostentatio veterem & vulgatam medendi viam, novam, insolitam quæsivit, quæ admirationem excitaret. Alii, velut astra haberent in consilio, quicquid agerent, dies, & horas, & momenta observarunt, ceu nihil nisi de consilio syderum aggrederentur: alii medium unguem syderibus ostenderunt, & se curaturos professi sunt invitis astris, quum astra nec omnia in corporibus nostris faciant: nam elementorum temperatio multum proficit, nec omnino nihil, & quæ efficiunt nec sciuntur omnia, nec nihil, etsi pauca admodum & maligne: quæstus & laudis aviditas ad ea impulerunt, queis hæc duo pararent, ostentationem ac jactantiam sui: tum aliorum, cui rebus expetitis viderentur posse officere acerbam insectationem, ac mordacitatem, ut malint vel corrumpi remedia, quam præberi aliena manu. Quum eorum aliqui de morbo quopiam in commune consulunt, qua malignitate, quo livore id faciunt, quanto fastidio & vultuositate accipiunt alienam sententiam, qua authoritate atque asseveratione proferunt suam, qua pertinacia tuetur quisque quod semel confirmavit, aut etiam est elapsum, necessisse videatur: id queo eo faciunt obstinatius, quo sunt imperitiores: videlicet non tam spectantium de se judicium veriti si quid concedant, quam suæ ipsorum conscientiæ, cui satisfacere se non putant, nisi si omnino victoriam aliis fecerint dubiam, aut victores se, aut certe non aperte victos: nam cedere appellant vinci. Unde illa nata est nobilis inscriptio sepulcri, *periisse se medicorum turba*. Quæ omnia utinam, ut in aliis, artem concupiscent solam, non item vitam. Sed necesse est arte hac corrupta, maxima incommoda in vitam importari, quæ se momentis singulis arti huic credit, ac committit.

Et

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

DE MATHEMATICIS.

EAS artes, quæ circa quantitatem verſarentur, Græci μαθηματικὰς quaſi diſciplinatas nominarunt: *quantitatem* vero, hoc eſt ποσότητα, fecerunt duplicem: *modi* ſeu *molis*, & *numeri*. De *quanto modi* una eſt diſciplina ſimplex, quam *Geometriam* dixere, de *terræ dimenſu*, de *numero*. Una itidem, quæ *Arithmetica*, cujus etymon *materiam* teſtatur. *Geometria* ad res cæleſtes translata effecit *Aſtronomiam*: *numerus* ad harmoniam effecit *Muſicam*. Magnitudines ad vim cernendi traductæ eam partem Mathematicæ dederunt nobis, quæ ὀπτικὴ nominatur, a nobis *perſpectiva*. Itaque harum duæ ſunt artes ſimplices ſeu univerſales, tres vero ſive compoſitæ, ſive ſpeciales tanquam ex generalitate derivatæ. Non ſunt repertæ plures, vel quia non applicuerunt animum ad quærendum, vel quia non potuerunt extudere, ut *auditivam* quemadmodum *perſpectivam*: de qua etſi aliud agentes quidam nonnulla velut digito monſtrarunt, ut *quemadmodum ſe ſonus per aera porrigat*, *quomodo fiat echo*, *de iis quæ procul & prope audiuntur*, *de cavo ſonante & pleno*, tum alia quæpiam: de quibus Ariſtoteles inquirit in undecima ſectione *problematum*. Diſciplinas has certiſſimas eſſe Ariſtoteles merito affirmavit: ex eis & ipſe & Plato ad philoſophiam omnem, ſive de Natura diſputent, ſive de moribus, evidentiſſima ſumunt argumenta, quæ vocantur *demonſtrationes*, *ſimilitudines*, *exempla*, itidem atque inprimis appoſita, quod ætate illa tam ea erant inter ipſos nota, quam inter nos de victu, quo utimur quotidie, & veſtitu, & habitatione. Qua de cauſa & Platonem in fronte Academiæ ferunt titulum ac velut edictum inſcripſiſſe, quo vetaret eo ingredi harum artium imperitos. Abſtrahunt mathematici formas, & figuras, & numeros a materia, in quas abſtractiones non incurrit mendacium: nam neque componunt affirmando, neque negando dividunt: ſimplices res conſiderant, non conjunctas. Neque enim

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

enim *punctum* esse ajunt aliquid in rerum natura, cujus pars sit nulla: aut *lineam* aliquid quod longum sit & illatabile, sed quod sic consideretur, nulla habita ratione partium, vocetur punctum, ut Sol in cœlo, in terra, in mundo: quod vero ratione longi & non lati, linea, ut quas Sol conficit diurno suo cursu. Quem abstrahendi modum qui non considerarunt, alii disciplinas has parum sunt certas arbitrati, ut Epicurus & Protagoras, quibus Laurentius Valla imperite est assensus: alii adducti authoritate verissimarum ac certissimarum artium res tales esse in natura existimarunt, quales ipsi cogitatione sua imaginarentur, ut qui in scholis *reales* nominantur, non facturi, si priscos illos philosophos legissent: aperte enim Stoici *lineam* & *superficiem* ajunt esse corpora, hanc sine *altitudine*, illam sine *latitudine*. Ciceronem & Senecam miror: illum in Academicis Quæstionibus sic loqui: *Geometræ provideant, qui se profitentur non persuadere, sed cogere: & qui omnia quæ nobis describunt, & probant. Non quæro ex his illa initia mathematicorum, quibus non concessis digitum progredi non possunt. Punctum esse, quod nullam magnitudinem habeat. Extremitatem & quasi libramentum, in qua nulla crassitudo sit, lineamento sive ulla crassitudine carentem.* Hæc Cicero. Senecam vero sic: *Mathematicus usu quodam & exercitatione procedit. Impetranda illi quædam principia sunt. Non est autem ars sui juris, cui precarium fundamentum est.* Habet Geometria, quemadmodum videre est apud Euclidem, tria principiorum genera: *diffinitiones*, *anticipationes*, *postulata*. hæc si eam non probare, *precaria* est habere principia, nulla ars non habet precaria, nulla enim probat, sed statuit tantum & ponit. Quid autem tu vocas mihi *precarium*? Num id quod durissimæ sis frontis, imo præposterus & naturæ contrarius: nisi concedas, *precarium* tu appellas, quod possim meo jure sumere ac vindicare? diffinitiones tales sunt: si non placent, de verbo fit controversia, non de re. Quod nullius magnitudinis cogitatione ab animo capitur, ego *punctum* voco. Non libet? adfer nomen aliud, illo utar. *Anticipationes* quæ sint dicat idem Cicero: *Anteceptæ animo rei quædam informationes, sine quibus nec intelligi quicquam, nec quæri, nec disputari potest: quale est: si æqua-*

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſi æqualibus æqualia adjiciantur, omnia fient æqualia: hoccine vocet aliquis *precarium?* Si ergo diſputaturus tecum poſuero omnia *eſſe*, aut *non eſſe*, tu ſi admittas, gratiam pro beneficio repoſces, & me munere tuo dices procedere? Quaſi vero ſi id ego abs te non impetrem, natura non ſit volenti nolenti extortura. Jam *poſtulant* aliqua, ut: *Ab omni ſigno in ſignum rectam lineam poſſe duci: Omni centro & intervallo circulum poſſe deſcribi:* doce tu aliter poſſe fieri, & viceris hoc eſſe *precarium*. Hæc omnia certa atque indubitata ſunt, & in cujuſvis animo & cogitatione a Natura ipſa ingenita. Sed artes hæ, quando ad uſum pertinent, verſæ ad contemplationem uſu remoto longiſſime, ſunt ad ea evectæ, quorum nullus eſſet fructus, ſed tantum ſterilis quædam contemplatio, & inquiſitio infinita; quoniam alia ex aliis ſine modo ullo naſcuntur: & ſicut hujuſmodi diſciplinarum initia, & legitimi quidam progreſſus juvant animos, acuunt, oblectant, ſic magna & aſſidua exercitia carnificinæ ſunt generoſarum mentium, & publico bono conditarum. Aſtronomiæ adjuncta eſt divinatio, quæ *aſtrologia* dicitur, nata penitus ex oſtentatione, ac impoſturis: non quin aſtra multum habere virium credam in hæc corpora; ſed nec quantas illi videri volunt, nec quas habent poteſt quis aſſequi niſi prætenuiter: ac ne dæmones quidem norunt, quamvis ſe multis venditent, tanquam illarum conſultiſſimos. Si *divinatio* ars eſſet aliqua corrupta, multis hic argumentis facerem planum id quod modo dixi: ſed quum ars non ſit, ſed fraus, prætereunda ſunt nobis in præſentia. Neque eſt ex mathematicis, quum tamen divinaculi a multis mathematici nominentur, alieniſſimo nomine ab illorum profeſſione. Neque enim *cæleſtes magnitudines* contemplatur aſtrologus, ac ne ſimulat quidem, ſed *vires* tantum & *efficientiam*. Cæterum veteres mathematicæ peritiæ integriores ad noſtram ætatem pervenere quam reliquæ diſciplinæ, nimirum ab indoctis intactæ, ac proinde incontaminata. Has enim turba imperita radio contentas, & pulvere, quæque non facerent ad circulos, ad ſcenam, ad theatrum diſputantium, tanquam rem ſacram non attigit; ita integræ ſervatæ ſunt ac incorruptæ. Nam ut quicque his ſuperioribus ſeculis minus tritum fuit ſtuden-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

dentium manibus , ita purius ad nos pervenit , ut libri in antiquiſſimis bibliothecis pulvere & ſitu operti : quo fit ut in Germania ſynceriores ſint libri , quam in Italia. In illa ſiquidem jacebant omnia , in hac doctulorum audacia excuſſa , quæ omnia ſcrutabatur , & ad ſuum captum detorquebat . Quid quod mathematicæ hæ requirebant cognitionem , ſtudium , diligentiam , advertentiam , & ſuper hæc omnia *ſilentium* , quod erat illis mortis inſtar . Recte Cicero ; *Non eſt Philoſophia ſimilis artium reliquarum : Nam quid faciet in Geometria , qui non didicerit ? quid in muſicis ? aut taceat oportebit , aut ne ſanus quidem judicetur : hæc vero quæ ſunt in philoſophia ingeniis eruuntur ad id , quod in quoque veriſimile eſt eliciendum , acutis atque acribus , eaque exercitata oratione poliuntur* . Servatas vero dico artes , id eſt , minus vitiatas , plurimum tamen illis periit : quandoquidem & authores interciderunt injuria temporum plurimi , & ea quæ uſu continebantur , aut peſſum jerunt , aut in deterius ſunt relapſa . Ut ratio *ædificandi* , quæ ex his manabat , ratio *metiendi moles* , & expedita vel tractio , vel ſublatio , vel impulſio . Quando Archimedes Siculus mathematicus inter primos nobilis ajebat : *ſi alter foret terræ globus , ſe illum ad hunc tracturum , vel hunc ad illum impulſurum* , ὑπερβολικῶς quidem, ſed ea erat artis exercitatio & fiducia , quæ tandiu obſidionem Marcelli diſtulit , & muros patriæ eſt tutata. Tum *proportioni picturarum* ex *opticæ* inſcientia multum deceſſit. *Muſicam* etiam ferunt vehementer mutatam , propterea quod victores invaſerunt Europam , qui *harmoniam* quam non intelligerent , aſpernabantur : ita intelligentiam carminum videmus periſſe , niſi in paucis quibuſdam notiſſimi concentus , & genera proportionum , quæ aperte teſtantur obeſiorem eſſe nobis , & tardiorem aurem , quam illis priſcis . Et hac de cauſa admirabiles effectus illi muſicæ , vel ad ſanitatem corporum , vel ad motus animorum excitandos ſedandoſve , de quibus magni authores prodiderunt , jam olim nulli ſunt : videlicet ſubtiliſſimæ atque abſolutiſſimæ illi animæ noſtræ harmoniæ minus congruit exterior hic noſtrorum temporum craſſus concentus ac rudis , quam ille veterum eruditus ac ſubtilis , ideo minus habet nunc virium ad aliquid efficiendum in nobis

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

bis, quod tum ex ſimilitudine obtinebat & convenientia. Nec inſtrumenta retinemus, ac ne nomina quidem ſunt nota, quæ a Polluce, Athæneo, Divo Hieronymo, & aliis recenſentur. Sed ne in totum noſtri in ſcholis homines mathematicas viderentur ignorare; quaſdam ex illis voces ſunt ſuffurati, quas ubique, & in omne latus jactarent, ut aleam, idque in Phyſicis Ariſtotelis, & prima philoſophia: in Ethicis quoque & locis alieniſſimis, quæ ſunt illis leviſſime, & *a limine* (quod dicunt) *ſalutata*: *punctum*, *linea*, *ſuperficies*, *corpus*, *triangulum*, *quadrangulum*, *circulus*, *centrum*, *proportio*: ulterius vero non ſunt auſi progredi, tanquam *ab altiſſimo pelago deterriti*. De illis vero per ingentes clamores rixati pro mathematicis ſe vulgo venditant, quod eadem quæ mathematici nomina uſurpent.

LIBER QUINTI FINIS.

JOHAN-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

JOHANNIS LUDOVICI VIVIS

DE

CAUSIS CORRUPTARUM ARTIUM.

LIBER VI.

Qui eſt de Philoſophia morali corrupta.

SEntentia illa vetus, *noſce te*, tanti momenti viſa eſt priſcis illis hominibus ad vitam omnem & ſapientiam, ut quum a ſapiente viro ſit profecta, majus eſſe illius robur ac momentum ſint rati, quam ut eam ſuſtinere poſſet authoritas humana: Deo attribuerunt, & ei Deo, cui reliqui omnes de ſapientia conceſſiſſent. Nimirum ſupervacaneam eſſe ac præpoſteram judicarunt cognitionem cœlorum, elementorum, rerum denique omnium iis, qui ſe ignorarent. Scilicet norit homo quid quicque ſit, quæ ejus efficiens cauſa, qui finis, quæ vis, de ſeipſo hæc ignorabit? Socrates ergo quum ita eſſet in omni philoſophia eruditus, ut tanquam acutus nimium inquiſitor, a vetere comœdia inceſſaretur, tranſtulit tamen curam & contemplationem omnem ab aliis rebus ad ſe primum, ut ſe intueretur, & perſpectum atque exploratum meliorem efficeret compoſitione animi: eamque medicinæ ac ſanationis rationem in publicum bonum foras protulit ſive ad vitam privatam, ſive ad communem & publicam. Quæ diſciplina nominata eſt *Ethica*, quaſi *Moralis*, qua mores hominum componerentur. Ideoque dictus eſt philoſophiam in cælis & elementis ſublimem peregrinantem illhinc in domos & civitates abduxiſſe: quo opere nullum potuit cogitari præſtabilius, nec alio ullo magis ſibi humanum genus demereri. In qua contemplatione, & diſciplina invenienda revocavit ſe ille a po-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

a populi ſenſu atque opinionibus introrſum ad ſeipſum. *Populum* habuit ſemper ſuſpectum, quem ille *magnum erroris magiſtrum* nominare conſueverat, & perverſum interpretem veri, quod videret fere peſſima placere pluribus. Itaque illo acumine ingenii ſui philoſophiam hanc inquiſivit, credens ſe non receptæ in vulgum deceptioni, non ſomniis & inſaniis illarum religionum, quas dementati homines confinxerant, & receperat error multitudinis, ſed Deo potius magiſtro, hoc eſt, lucernulæ illi naturali mentis ſuæ. Siquidem nemo eſt tam tardo ingenio, cui non lux aliqua in animo fulgeat ex Dei munere, quæ rectis exercitiis illuſtratur, atque augetur: ei ſi incorruptæ ac publica ignorantia non contaminatæ ſe committeret, intelligebat ſe Deum ducem ſequi, a quo illam accepiſſet, non hominum pravitatem, quos quum videret cæcos eſſe, & a recto delirare, ſolum Deum ſapientem & eſſe, & dici poſſe, veram formationem arbitratus eſt imitationem numinis: ſi tales fierent homines, quoad ejus fieri poſſet, qualem eſſe Deum ratio doceret. Jam quod homines hominibus non magnam haberent fidem, nempe cæci cæcis, ſtulti ſtultis, ſcientiam ſequendi numinis ad ſignificationem & monitus numinis retulit, quod ille amicum ſe habere & familiare commentus eſt: quemadmodum legumlatores quoſdam ad deorum doctrinam leges ac inſtituta ſua retuliſſe memoriæ eſt proditum, ut Minoëm, & Lycurgum. Deinde quæ adjutus communi Dei beneficio excudiſſet, ea ſic ſtuduit tradere, non ut doceret ſolum, ſed ut impelleret atque afficeret. Ut qui audirent, & quid faciendum eſſe ſcirent, & vellent facere, oratione apta ad perſuadendum & efficaci, cujus ſermones a diſcipulis ejus ſunt graviter & copioſe perſcripti Platone & Xenophonte. Hæc eſt vera via, tum ad inquirendam rationem componendi animorum, tum ad tradendam: a qua qui abſcedunt, longiſſime in avium ſe & errores conjiciunt. Socrates maluit Deo credere, hoc eſt, naturali præceptioni excuſſæ, quantum fieri potuit, ac purgatæ communi dementia: & aliis perſuaſit ſibi credere, quod inventa, & inſtitutionem ſuam non ſibi, ſed Deo cuidam duci ac magiſtro acceptam ferret: a quo ſibi pleraque omnia innuerentur, ac ſignificarentur. At nos hominibus

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

malumus credere, quam Deo. Nam philoſophiam eam, quam ab uno Deo doctore convenit accipi, a Platone, ab Ariſtotele, Cicerone, Seneca, Plutarcho, Xenophonte, requirimus & poſtulamus, non tam ad ſciſcitandam illorum ſententiam, quam ad authoritatem ſummam dogmatum, vitæque inſtituendæ: quum habeamus jam non ſolam illam naturæ lucernam maligniſſimam, non fictum Deum ſignis quibuſdam innuentem, ſed verum Deum aperte loquentem nobis, & Solem ipſum, qui in hoc illuxit Mundo, ut non amplius de via incerti vagaremur, & fluctuaremus inter humanas opiniones, ſed viam ſciremus exploratam, rectam, infallibilem per ipſum, & in ipſo, quam ipſe poſſet ſolus demonſtrare, ut vel Gentiles ipſi intellexerunt. Heu quantam facimus Soli injuriam, quum ad illius juvandum lumen clariſſimum & ſereniſſimum lucernulas admovemus! Illi ſuas religiones contempſerunt, quæ eſſent ab hominibus confictæ: ingeniis ſuis audierunt, nempe iis, quæ putarent cæleſti menti eſſe conformia. Nos illis credimus luſcioſis & lippis, doctrinam aperte cæleſtem negligimus: quum præſertim, ſi omni remota auctoritate ad examen revocentur totius rationis & ingenii, tantum hæc noſtra vincent illa gentilitia, quantum lux tenebras, & ſtultitiam ſapientia. Quod ſi, ut par eſt, pluris facimus divinam noſtram philoſophiam, quam eſſe a Deo nobis collatam pro certo habemus, quorſum attinet de virtutibus & vitiis ex illorum hallucinationibus ſtatuere? Ex quibus fuere, qui res morum obſcuritate ſermonis involverunt, ut hariolandum eſſet, quid ſentirent, ſicut Stoici: unde inter illos tot ſunt natæ diſſenſiones de placitis ſectæ, dum argutiis & cavillis, & captionibus uberrimam ſuppeditabat materiam interpretatio nominum voluntaria. Alii ex ſuo affectu ſtatuerunt de virtute, quale eſt quod Theophraſtus in luctu Calliſthenis dixit: *Vitam regit fortuna, non ſapientia*. Dionyſius Metathemenus, quum eſſet Stoicus *voluptatem* poſuit *finem bonorum*. Nam quum ex oculis laboraſſet, noluit dolorem in iis collocare, quæ ipſi ἀδιάφορα nominabant. Alii populo ſunt magiſtro uſi, ut in pleriſque Ariſtoteles: Epicurus etiam pecoribus: tametſi nec id acute ſatis, aut recte, quemadmodum eſt ab Stoicis reprehenſus: *neque enim*

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

enim voluptatem primum expetunt belluæ, ſed ſui conſervationem, hinc voluptatem velut conſervationi conſentaneam. Fuerunt, qui de cavillis, de rhetoricis ſchematis ac luſibus regulas virtutis acciperent, ut bene crederent dici, quod belle vel argutule. Admiſcuit ſe his tenebris denſa imperitiæ caligo, quæ non paſſa eſt nos de illorum ſententiis & ductu judicare, ut ſaltem inter vocantes in diverſa, cui potiſſimum auſcultandum eſſet, dijudicaremus. Quanta ſe inſcitia hæc prodit undique, de virtutibus, & vitiis, de fine bonorum & malorum: ad eandem rem utimur & Platone duce Academico, & Ariſtotele Peripatetico, & Seneca Stoico, & Cicerone Deſultorio, modo hujus, modo illius factionis, & miramur diſſidere. Tum magno labore & conatu in concordiam redigere ſtudemus, lepidi pacificatores, non ex eorum libris, aut cognitione antiquitatis, ſed ex noſtris ineptis conjecturulis. Jam ex omnibus gentibus Ariſtotelem ſelegimus, quem ſequeremur, *ſive quia is ſolus* remanſerat in ſchola dialecticæ & philoſophiæ, *ſive quia apte* præceperat ad diſcendum, & ad diſputationes, diſtributis virtutibus, & vitiis in genera, & ſpecies. Itaque de aliis philoſophis tacebo, loquar de hoc uno. Tametſi Divus Auguſtinus Platonem & Platonicos delegit, cum quibus de religione Chriſtiana diſputaret, tanquam philoſophorum omnium vel maxime ſanos, vel facillime ſanabiles. Et Hieronymus ſectam Stoicam ſimillimam dicit fuiſſe Chriſtianæ religioni. Ariſtotelem vero tranſeo, ut Chriſtiani inſectentur Origines, Nazianzenus, Nyſſenus, Ambroſius & alii. Certe Gentiles ipſi habent pro impio, quod ex erroribus populi philoſophiam fingendi animos collegerit, & a ſanctiſſimis Platonis magiſtri inſtitutionibus receſſerit ſtudio contradicendi. Paucula quædam ex eo deſumpta velut guſtus gratia exhibebo, ut cognoſcatur, qualis ſit tot maſſa. Principio Socrates apud Platonem non uno loco clauſulas ſuarum diſputationum huc deduxerat, non eſſe in vita hac expectandam felicitatem hominis, ſed in altera. Hoc agit in Philebo, hoc in convivio, idem & moriens in Phædone. Ariſtoteles in vita hac quærit beatitudinem, alteri nihil relinquit. Nec ſolum finem bonorum hic ſtatuit, ſed etiam ſapientiam: & Simonidem, ut poëtam deridet, qui dixerit ſolum Deum

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

esse sapientem: quod videlicet Deus invideret hominibus, si nollet eos assequi sapientiam, bonum tantopere ab eis expetitum. Ubi est ergo illa vox modestiæ plena, mentem nostram caligare ad manifestissima naturæ? Quanto rectius & religiosius Plato: humana sapientia aut nihil, aut perparum est; solus Deus sapiens est. Addit aliud argumentum: *Quid esset homine infortunatius, si ista quæreret, & concupisceret, quæ nunquam assequeretur?* Eodem utitur telo ad evincendum hic esse homines felices, videlicet, *quia quod omnes homines expetunt, naturale est. At naturalia frustra esse non queunt: expetunt porro beatitatem omnes, qui appetitus inanis esset, si nullus eam nanciscereturr, nec fieret voti compos.* O argumentator, Aristoteles, ingredere alia, & pervenies ad verum: converte sic argumentum: *Beatitudinem omnes expetunt: naturalis ergo appetitus: non ergo vanus.* Atqui hic nulli assequuntur, ut res docet; alibi ergo est quærenda. Hæc via Socratem & magistrum tuum Platonem ad verum adduxit, qui in amore & conjunctione illius pulchri, quo nihil fieri potest pulchrius, nec intermissiones sentit pulchritudinis, aut vices, nec finem illius habiturus est, extremum bonorum omnium & fastigium statuit. Qua sententia nihil dici admirabilius aut divinius potest. Aristoteles tria beatitudinis facit genera: Unum impurum, & quasi de fæce vulgi, quod est secundum obscœnas voluptates: & hoc prorsum abjicit, tanquam pecudi magis, quam homini congruens. Alterum civile, tertium contemplationis, quæ duo probat. Quid opus est distinctione finium? quasi vero de artium finibus quæratur, & non humanæ naturæ, quæ una atque eadem est in omnibus: alioqui cur non etiam addit finem opificum? quin hæc quoque ipsa minutius discindit, nempe felicitatem politici in democratia, politici in oligarchia, in monarchia? tum œconomici, hinc fabri, & sutoris? quis sic de humana beatitudine inquirit, quæ quum una sit, unus ejus finis bonorum. Tum addit tria bonorum genera ex sensu vulgari: animi, corporis, ac vitæ: his indigere utrumque beatum, sed magis civilem: contemplantem vero minus, indigere tamen, tum diuturnitate vitæ ad felicitatem esse opus. Sitam quidem esse felicitatem civilis in virtute, contemplantis autem in contem-

pla-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

platione, hoc eſt actione mentis celſiſſima. Sed utranque proſperis rebus ornari & augeri, adverſis obſcurari, diminui interdum etiam tolli. Hanc ejus opinionem maximis argumentis Stoici exagitarunt, & quod bona nominaret, quæ non eſſent talia, & quod externa momenti aliquid adferrent ab beatitudinem, præſertim quum ipſe perfectionem illius in animo collocaſſet. Quod ſi illic eſt perfecta, non res externæ poterunt eam mutare, quæ ad animum non pertingent, ſed ipſe animus prout de externis rebus ſtatuerit: quæ opinionis inconſtantia notata eſt etiam in ejus diſcipulo Theophraſto. Sed Ariſtotelicam fellicitatem contrariam eſſe pietati noſtræ, atque ideo rectæ rationi, neminem puto dubitare: nam pietas non in vita hac brevi, & imbecillo corpore caſibus & calamitatibus objecto ponit felicitatem, nec tam male agit nobiſcum: ſed in illo immortali corpore noſtro injuriæ omnis experti ad immutabilem firmitatem refecto: hoc eſt munus ampliſſimum, & plane dignum Deo ſempiterno ac præpotenti. Dicunt locutum eum de felicitate ævi hujus. Sed nec ad eam formam quiſquam eſt beatus. Non illi quos vulgus pro beatis habuit, Metellus, Curiones, Auguſtus, Alexander, Agathonius. Non quos pronuntiarunt dii beatos, Phedius, & Aglaus. Non quos philoſophi exactiori judicio beatos dixerunt, Regulus, Rutilius, Cato, Socrates, Zeno. Jam redit prima difficultas, appetitum noſtrum incaſſum optare, quod nunquam aſſequetur. Jam quæ eſt verior viæ beatitudo, quam quæ inchoat illam ſempiternam? de qua dicit Pſalmiſta: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege domini. Beati qui ſcrutantur teſtimonia ejus, in toto corde exquirunt eum.* Dominus noſter *octo beatitudines* vitæ hujus recenſet, multum ab Ariſtotelicis diverſas, imo adverſas. Cedo utras tu divitias nominaris, ſutoriam, aut rhedariam artem, quæ ſemper maligniſſime ac ſordidiſſime poſſeſſorem ſuum ſuſtentant? an oratoriam, jus civile, rationem reipublicæ adminiſtrandæ diſcere atque exercere? quæ facultates in præſens, quum diſcuntur, nihil adferunt: cognitæ vero ac perceptæ ad honores ingentes, opeſque ſuſtollunt? *At locutus eſt*, inquiunt, *ut Gentilis & in lumine naturæ*: minime vero iſthuc quidem. Nam non eſſe illud naturæ lu-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

lumen oſtenditur , quod alii rectius ingreſſi ſunt naturæ lumini adjuti, & ducti, ut Platonici, ac Stoici. Sed quid iſthuc tamen eſt, ſumus ne ſatis ſani? habemus lucem, ſcimus, quæ ſit vera beatitas, qua ad illam eundum: & diſputamus adhuc de Ariſtotelica beatitudine. An duas facimus beatitudines, unam Chriſti, alteram Ariſtotelis? Ecce iterum blaſphema de beatitudine diſſectio, ut dudum de lumine. Si Ariſtotelica beatitudo expetenda hic eſt, Chriſti beatitudo non eſt hic expetenda: neque enim contraria poſſunt eodem loci & temporis ad idem & loci & temporis concupiſci. Si Ariſtotelica beatitudo commentitia eſt, quid laboramus quomodo eam tueamur? Quin eamdem ratione omnes omnium philoſophorum de ſummo bono inſanias in ſcholam adducimus, & eas conſueſcimus propugnare? An vero ludimus in ſententia de beatitudine, id eſt, de ſumma totius vitæ? Periculoſum eſt contra veritatem pro falſo ſtare. Quanto periculoſius in re tanti momenti, de religione, de cardine, in quo vita univerſa volvitur? Si ficta eſt Ariſtotelis beatitudo, valeat, etiam Gentilibus ipſis parum ſana, & pia. Nos vera diſcamus & ſcire, & tueri. Sed pergamus ad reliqua. Virtutem finit habitum, id eſt, ἕξιν, quaſi non ſit quoque ἐνέργεια, & quidem verius: non aliter quam ſalubris potio, & poteſtate eſt talis, & quum operatur, ac vires exerit. Tum virtutem vult eſſe in mediocritate, nempe inter duo extrema, & cum utroque pugnare: ut forti & timidus contrarius ſit, & temerarius: & ejuſdem virtutis ſint actus extremis his contrarii, ut fortitudinis, & aggredi hoſtes, quum eſt opus, & quum itidem opus eſt, cedere ac ſe ſubducere: in quo nonnihil ei convenit cum Platone. Sed in eo merito eſt reprehenſus a Laurentio Valla in tertio volumine de voluptate. Neque enim ſi cedam, aut etiam fugiam, ero fortis, nec ſi permiſſis fruar voluptatibus, temperatus: ſed alia ſunt earum rerum nomina: nec unum duobus contrarium eſt, ſed unum uni, duobus duo. Qui a voluptatibus impermiſſis non abſtinet, *incontinens*: qui abſtinet, *continens*, & *moderatus*. Qui fruitur licitis, vel *humanus* eſt, vel, ut Valla dicit, *hilaris*: tametſi hæc virtus non eſt contra quam Valla ſentit: qui non fruitur, non *intemperans*, ſed *rigidus*. Ad eundem modum

in

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

in periculis, & pecuniæ distributione . Qui honesta fugit pericula, aut eis succumbit, *timidus*: qui resistit, *fortis*. Qui vitat, non necessaria præsertim, *cautus*: qui non vitat, *temerarius*. Qui dat, quum res postulat, *liberalis*: qui non dat in loco, *avarus*, *durus*. Qui temere profundit, *profusus*, *prodigus*: qui nihil dat cum tempus non poscit, *parcus*, *frugalis*. Jam fortitudinem esse dicit circa terribilia, non quævis: neque enim in tolerantia infamiæ, paupertatis, ἀφιλίας, mortis, in morbo, aut mari versari fortitudinem, sed in periculis bellorum: quo nihil dici potest, sive in religione nostra, sive in Gentilitate, perversius. De religione: Quis non videt nullos fuisse unquam fortiores nostris martyribus, & iis qui illa omnia patienter ferunt in spem gratiæ Christi? in Gentilitate autem non fortis Socrates in carcere, & hausta cicutæ? non Miltiades in vinculis? non Themistocles & Rutilius, & Metellus in exilio? non Regulus in tormentis? non Cato in arenis & syrtibus? Ira fortitudinem accendi, & sicut loquuntur Academici, exacui tanquam cote: id quidem satis explosum atque irrisum est a Cicerone, & Seneca, & Stoicis. Magnificentiam virtutem esse definit sitam in magnis sumtibus, ut templis & theatris extruendis, ludis publicis ædendis. Et sententiam illam nimis vulgarem ponit: impossibile aut certe difficile esse τὰ καλὰ πράττειν ἀχορήγητον ὄρτα. Quid vocat τὰ καλὰ, bona ne an pulchra? quæ video in linguis omnibus commisceri, & alterum pro altero sumi, vel alterum alteri ad rem magis explicandam jugi: ut καλὸς καγαθὸς, & καλοκαγαθία. An tu pulchrum vocas, quod sensus judicant, ut plebecula? an quod mens, ut sapientes? quæ plebes ab externis recta sensibus pulchra nominat: non difficile, sed omnino impossibile est pauperem præstare, nisi aliunde opes sumat: sin quod sapientes, quid pulchrius aut præstabilius quam ingentia opera virtutum, quæ melius, ac sæpius exequuntur excelsi animi sine divitiis, quam in amplissima fortuna? Quid enim pulchrius, quam quod faciebat Socrates sua negligens, ut se & alios meliores redderet? An vero καλλίονται præstabat Scopas? Aut Xerxes pulchriora faciebat, quam Aristides ille δίκαιος? vel aliquis ex ditissimis Romanis, quam Fabritius, & Curius

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

in re tenuiſſima? Et loquor non magis de contemplativo illo, quam de eo qui in mediis civitatibus vivit ac populis. Magnanimitatem eſſe ait cupiditatem magnorum honorum. Rectius & prudentius Stoici, *magnanimitas eſt ſcientia, quæ habitum facit excelſiorem omnibus, quæ contingere poſſint ex æquo bonorum ac malorum*. Plato vero, Cicero, Seneca, & alii *magnanimitatem* eſſe diffiniunt *in honoribus contemnendis magis quam expetendis*. Expetere cujuſvis eſt, etiam viri perditiſſimi, & feminæ ſtultiſſimæ. Contemnere maximi eſt animi atque ampliſſimi, & fortunæ altioris. Ideo tanta Catonis admiratio, repulſis tanquam indeptis honoribus gaudentis, ut inquit Plinius. Tantum Publii Africani decus, Quintii, Verginii, Fabii: qui quum poſſent honores vel aſſequi, vel retinere, contempſerunt. At non has fortaſſe dignitates, honores vocas, ſed laudem ac reverentiam ob virtutem, in qua ambienda, ſpeciem quandam virtutis collocas, etſi ἀνώ νυμον. Tu ergo philoſophum, quem inſtituendum ſuſcepiſti, ad ambitum auræ hujus excitabis? hoccine ais virtutis eſſe ἄθλον, quaſi præmium victoriæ? Cicero eadem ſententia, quamvis non in ſchola philoſophica, ſed in cœtu. ut dicit, hominum doctiſsimorum & humaniſsimorum, gloria eſt fructus veræ virtutis honeſtiſsimus, quam piſcamini aureo hamo: rei tam excellentis, & qua nulla eſt diis propinquior, præmium ſtatuitis honorem, temerariam rem ac vanam, nempe a vano ac temerario populo profectam. Sed non volunt fortaſsis a quolibet honorem expectari, verum a bonis, quemadmodum Ariſtoteles dicit καὶ ταῖς ὑπὸ τῶν σπουδαίων ut ſit, quod ille apud Nævium Hector, *gaudere* ait, *ſe laudari a laudato viro*. Ideo gloriam Cicero dicit juſtam: quæ ab eo non ſenatore jam, ſed philoſopho ita finitur: *Eſt ſolida quædam res & expreſſa, non adumbrata: ea eſt conſentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellente virtute: ea virtuti reſonat tanquam imago gloriæ*. Tu vero, quî ſcies illum bonum virum & recte judicantem de te judicare? Nam quo ſunt graviores ac prudentiores viri, eo magis aſſenſum cohibent, & judicii ſui obſcuriora ædunt ſigna. Deinde quî poteris habere exploratum, illum acute & ſapienter judicium facturum de te, quum de ſe ipſo vix

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

posit? nihil est enim difficilius, quanto minus de alterius animo tot involucris clauso, & occultato? Sed fac illum bene & exacte judicare: fac te scire. Non credo, expectabis, dum cedatur tibi via, dum deducare & reducare, dum tibi assurgatur, nudetur caput, magnifice compelleris. Ista enim & ridet vir sapiens, & fugit, tantum abest, ut eis capiatur? acquiesces ergo tacitis judiciis. Quid ergo? alterius conscientia eris contentus, non eris tua? præsertim quum ipse sis nec vir pejor, nec minus sapiens, & illa melius multo te norit, quam alius quicunque. Ea vero gratia tantam operam in dura posuimus virtute, ut aliquis nobis prætereuntibus apud se mussitet: ô virum sapientem aut bonum! Jam autem quum *honor* in *honorati* manu non sit, sed *honorantis*, sicut ipse doces, fiet ut virtus suo præmio & fructu non raro fraudetur: & quia sine mercede & fructu a viro bono laboratum est, ne quicquam sit & infructuose ab eo laboratum. Siquidem merces opere nulla restat. Quanto melius Claudianus poëta docet, quam philosophus & senator:

Ipsa quidem virtus pretium, sibi solaque late
Fortunæ secura nitet, nec fascibus ullis
Erigitur plausuve petit claresçere vulgi:
Nil opis externæ cupiens, nil indigna laudis.
Divitiis animosa suis.

Quod si virtutis præmium est honor, & κατ' ἀλήθειαν, ὥς φησ, ὁ ἀγαθὸς μόνος πλουτέω: cur fructum & pretium virtutis cum iis communicas, quæ bona non sunt? Ais enim qui virtutem habent cum opibus, magis esse honorabiles. Et vis magnanimum, & quemvis hominem probum judicaturum se, quo honore sit dignus. Quid audio? Tu ne judicium cuiquam homini permittes de se, ut statuat, quantum honoris mereatur, præsertim qui alios non norit, & plerique honorum in comparatione sint positi, Vin tu quenquam de virtute sua æquum esse arbitratorem, quum eo vir sit melior, quanto de se moderatius sentit, quantumcunque se habeat probe perspectum? neque enim idem est se nosse & se censere: multo diversum explorare se, & cum eo conferre, quem non explorarit. Quam alienum hoc est a vero judicio, & proinde a nostra pietate, in qua audimus: *Postquam hæc omnia fe-*

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

feceritis, dicite, ſervi inutiles ſumus. Noli altum ſapere, ſed time. Beatus qui ſemetipſum non judicat, in eo quod probat: & alia ad arrogantiam minuendam innumera. Quid quod illud, unde in religione ac veritate omni, & meritum cujuſque & decus cenſetur, non ſolum de altero occultum eſt, ſed cuique de ſeipſo: grande arcanum uni divinæ ſapientiæ reſervatum: *Sunt juſti, & ſapientes,* inquit Salomon, *& opera eorum in manu Domini: & neſcit homo amore ne an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſervantur incerta.* Quo ſenſu & Paulus inquit: *nihil mihi conſcius ſum, ſed nec in hoc juſtificatus ſum.* An etiam, ſicut paulo antea duas beatitates, ita nunc quoque duas virtutes fingimus, & duas fortitudines, & duas magnanimitates, unam Chriſtianam, alteram Gentilitiam, ſeu Ariſtotelicam potius? pudeat vero Chriſtianos ſic loqui, niſi forte non aliud ſit nobis Ariſtotelica quam picta, ficta, mortua: pro umbris vero & mortuis quid attinet dimicare? Non poſſumus Chriſto ſervire & Ariſtoteli, contraria præcipientibus: illi attollenti nos ad cœlum, ad deum patrem ſuum, & per contemptum vitæ hujus ad curam illius ſempiternæ: huic prementi animum noſtrum ut artius complectatur hoc corpus, curas & cogitationes ſuas omnes in hac ævi brevitate conſumat. Quantum hoc obfuit multis in pietate, dum obliti præceptorem Chriſti, ſatis ſe recte ac ſancte ex præceptis Ariſtotelis putant vivere, & ad ea tanquam vitæ formulam, opera & actiones humanas examinant, atque in flagitiis ac ſceleribus ſibiipſi, & aliis indulgent, impoſito pulcherrimarum virtutum nomine ex doctrina Ariſtotelica: ut in ira, in ambitione, & honoribus affectandis, in luxu & profuſis ſumptibus, in ultione. Nam & hanc quoque in ordinem virtutum Ariſtoteles admittit. Sed non poſſum ſingula excutere, neque eſt hoc loco neceſſarium: quod alibi etiam inſtituta eſt mihi peculiaris diſputatio pro pietate noſtra contra omnem humanam ſapientiam. Verum Ariſtotelem hunc, quem conſertis & preſſis manibus, atque adeo mordicus retinent, videamus quemadmodum intelligant. Primum mentem illius difficile eſt eruere propter ambiguitatem, atque obſcuritatem verborum & ſententiarum, qua ſemper eſt ille delectatus. Ubique eſt

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

sui similis; ut, de felicitate, quanto aliter in *primo* Ethicorum loquitur, quam in *decimo?* quanto in hoc libro dissimiliter atque in *septimo* Politicorum? Et isti parum animadvertunt duplicem ab eo poni felicitatem, contemplantis unam, alteram civilis, ambas confundunt: nec considerant in primo Ethicorum illum velut inquirere, & crasse de omnibus loqui, ad sensum magis vulgi, quam suum: in decimo vero exactius. At hi nostri de felicitate Aristotelica, dicturi, ex *primo* hauriunt potius, quam ex *decimo*. Quid vero facias iis, qui fortassis ad *decimum* hunc nondum pervenerunt? Sed nec in *decimo* satis est apertus, aut sibi constans. Hinc de felicitate privata, & hominis rerum altissimarum inspectoris dicturus, de virtutibus prius differit, sed de virtutibus politici toto operre: quod isti non intelligentes, permiscent ac invertunt omnia: quamvis mirandum non sit confundi ab eis, quæ ab Aristotele ipso ita sunt confuse ædita, ut scerni ac distingui sit operosissimum. Transeo quam hactenus lectus est a Latinis hominibus imperite versus, ut facile miretur quivis potuisse ad illius mentem, vel conjecturis, & divinatione perveniri: verba virtutum multarum & virtiorum Græce relicta, quorum essent in Latino sermone aptissima & maxime propria: figuræ & phrases Græcæ servatæ, in Latinis verbis multa prave ab interprete intellecta, prave etiam ad Latinos traducta. Sed nec in melioribus interpretibus est illum intelligere, nisi a peritissimis, & scriptorum veterum, & linguæ illius. Quale est illud quod dicit: διοκεῖ γὰρ μᾶλλον ἐν τοῖς μείζοσι τιμὴ ἐν τοῖς τιμῶσι ἢ ἐν τῷ τιμωμένῳ. *videtur honor magis esse in honorantibus, quam in honorato*. Ex quo dicto suspicantur plerique, sentire Aristotelem in eo situm esse honorem, qui exhibet, non qui recipit, eaque est vulgi opinio. Sed illud ἶναι ἐν τοῖς *in potestatem* magis significat, & quasi *manum*, quam *in loco*: declarat id, quod sequitur, τ' ἀγαθὸν δὲ οἰκεῖόν τι καὶ ἀφαίρετον εἶναι μαντεύομεθα, *oraculum est, ipsum bonum proprium esse, nec adimi posse*. Jam Aristoteles, ut est poëtarum, oratorum, historiarum, & totius antiquitatis consultissimus, ad illorum dicta passim alludit, quæ tum erant valde nota, & potissimum in schotis. Sæpenumero in ea allusione vis est sententiæ totius.

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

tius. Quis hæc intelliget nisi earum rerum peritus? quas res ne per somnium quidem vident nostri scholastici. Pergam de Ethicis dicere, sicut cœpi. In secundo monet cavendum esse a voluptate, ne illa se insinuet: &, *debemus*, inquit, *circa illa non aliter affici quam affecti fuerunt Trojani senes circa Helenam*. O quæ hic commenta? qui senes Trojani heri nati? Atqui sensus petendus est ex Iliados γ. Tum in octavo, quum de utilitate amicitiæ loquitur, admiscet ex abrupto σύν τε δειὼ ἐρχομένω, *duobus una euntibus*, allusit ad dictum Diomedis de se & Ulisse Iliados κ. Et paulo post, *figulos dicunt esse omnes tales inter se*, ad dictum Hesiodi de invidia: ὁμοτέχνων, καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει. Transeunda sunt innumera. Sed neque hæc, quæ attuli, alio pertinent, quam ad id quod dicebam velut exemplo declarandum. Et quia Politica, & Rhetorica magis ejusmodi scatent historiis, fabulis, cognitione antiquitatis, sententiis priscorum, quam Ethica, ideo Ethica retinuerunt, Politica & Rhetorica rati sunt ad se non pertinere: ad hæc quod Politica non multum conferrent ad indoctas rixas: & illis majore vi ingenii, judicii, rerum usu erat opus. Tametsi non defuere, qui etiam Politicis auderent manus admoliri, & in ea scribere commentaria, sed qualia in reliquos omnes Scriptores, quæstiones & argumenta ad altercandum. Huc enim tendunt universa. Quid malum futura tandem est infinita hæc disputandi rabies? Verterunt ad altercationes disciplinam morum, quæ ad agendum esset parata: & sic tractarunt, non ut meliores vel fierent, vel facerent, nec ut recte statuerent de virtutibus, & vita, sed ut cavillarentur. Et quo indignitati nihil fiat reliqui, etiam *Siciceti spinas*, & aculeata sophismata huc invexerunt, de *intentione & remissione* vitiorum & virtutum. Dialecticam quoque non illam paulo saniorem, sed commenta parvorum logicalium, de ascensu, descensu, suppositionibus, ampliationibus, restrictionibus, appellationibus. Quid facerent miseri? exercebant ea, quæ sola didicerant: præstarent meliora si haberent. Atqui disputationes minime sunt idoneæ, vel ad persuadendum, vel ad reddendos meliores homines. Nam qui contra disputat, aut qui quæstionem audit tanquam classicum, parat se continuo ad pugnam, & mu-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

munit undique, ut reſiſtat, ne capiatur, aut vincatur: ita ægre admittit in animum ſuum eum, qui dicit ut ſententiam ejus quamlibet recte monentis, tranſeat. Etenim cavet ſibi ab illo non ſecus, quam ab hoſte. Quocirca morali perſuaſioni, quæ non adeo docere vult ut hortari & incitare ad opus, nihil eſt ita inimicum, atque altercationes, aut contrarium exiſtimari dicentem audienti. Et hoc eſt incommodius, quod hic non ut in naturæ diſciplinis, adduci poſſint argumenta ex cognitione ac judicio ſenſuum petita, ſed omnia in veriſimilitudine rationum ſunt ſita, quæ a pervicaci ac repugnanti aut eludi poſſunt, aut certe negligi. Quam elegantes, & acutæ, & ad perſuaſionem aptæ, ac concinnæ ſunt Platonis, & Ciceronis, & Senecæ rationes? quam facile omnibus perſuadent? At Lactantio minime perſuadebant, quod inſenſus legeret. Idem ipſe Ariſtoteles prudentiſſime admonet, ad ciendos ſedandoſve animorum motus Dialecticam non eſſe adhibendam: quanto minus Philoſophia morum proficiet, utique quomodo in ſcholis tractatur. Ideo juvenes inter morales illas altercationes, & tot ſtrepitus de omni genere virtutum ac bonorum morum nihil probitatis trahunt. Non in illo exercitio colorantur, quod in aliis ſolet contingere; contra citius multis inquinantur vitiis: quod ſcilicet illa omnia ſic dicuntur, ut nec commendari virtutis excellentia poſſit animis, nec vitiorum fœditas eſſe odio. Quanto & ad perferendam iratam fortunam fortior, & ad proſperam regendam ſapientior, denique ad vitam omnem commodior compoſitis animi tumultibus & tempeſtatibus ex una Senecæ, aut Plutarchi pagina recedat lector, quam ex univerſis commentariis Almaini, & Martini Magiſtri, quantumvis & moralia, & de fortitudine, ac temperantia inſcribantur. Quid quod ex illa conſuetudine recipiendi in animos res præſtantiſſimas ſine ulla dignatione ducitur callus, ne ulla deinceps ad virtutem exhortatio poſsit in pectus induratum penetrare: nec aliter non prodeſt animis hæc medicina animorum, quam nec corpora juvare poteſt pharmacum aut potio, cui citra neceſsitatem & per luſum aſſuevimus.

LIBRI SEXTI FINIS.

JO-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

JOHANNIS LUDOVICI VIVIS

DE

CAUSIS CORRUPTARUM ARTIUM

LIBER VII.

Qui eſt de Jure Civili corrupto.

HOminem res ipſa teſtatur conditum eſſe a Deo ad ſocietatem, & in vita hac mortali, & in altera illa ſempiterna. Idcirco & glutinum ei ſocietatis addidit animum ad benevolentiam mirifice appoſitum: quæ benevolentia ex interno ardore foras ebulliens ac reſpectans, refrigerato ardore illo intro ſe recepit ad ſeipſam, ut quiſque tenerrime ſe unum amet, in alios rigidus, atque aſper. Quæ eſſet maximorum in vita tumultuum cauſa, quando ad ſe ac ſuas utilitates, quantum quiſque vel ingenio valeret, vel viribus pertraheret, niſi in locum mutuæ benevolentiæ juſtitia ſucceſsiſſet, quæ avidas manus comprimeret, atque ab hominum convictu injuriam omnem arceret. Sed juſtitia hæc cum cæca ignorantia obruitur, tum vero affectu, ne ſe proferat, ne exiſtat quum oportet. Et quoniam ſine hac menſuræ æquitate non poteſt ſocietas hominum conſervari, neceſſe idcirco fuit, ut quam ex cujuſque animis pellebat vel tarditas cordis, vel prava affectio, confirmaret vis ac poteſtas major. Ergo quod ex uſu erat omnium ad quiete & incunde vivendum, permiſſum communi conſenſu iis, quos cenſebant ſapientiſsimos eſſe homines magni judicii, & quietis affectibus, ut ipſi quam æquitatem mentis ſuæ lumine eſſent intuiti ad publicas utilitates æderent, eam ſi videretur acciperet hominum cœtus, confirmaretque, & conſtabiliret magna poteſtate, pœnis, metu. Alii id ſibi negotii ultro ſumpſerunt: ut ſi ſe approbaſſent, firmæ

ac

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ac ſtabiles ſancirentur ſuæ leges. Magni iſti viri, quibus hoc negotii vel erat ab aliis datum, vel a ſe ſumptum, libenter ſi potuiſſent, æquitatem ipſam poſuiſſent populis ob oculos, quo nihil fuiſſet conducibilius congregationibus, ac ſocietatibus hominum: ſed fontem illum uberrimum non quiverunt totum in tam anguſti alvei limites corrivare. Ex eo in civitatem deduxerunt, quantum quidem videbatur illi congregationi opus eſſe, eaſque leges nominarunt. *Æquitas* univerſalitas eſt quædam, *lex* deductio, & ſpecies. Sed iis rivis, & quaſi incilibus, aquam continenter ex illo æquitatis fonte ſuppeditare oportet, ſine qua inciles continuo areſcerent. Etenim *æquitas* legum anima, vis, vigor qua ſublata concidant neceſſe eſt leges emortuæ. Nihil eſt enim iniquius quam leges, quæ per æquum & bonum non ſpirant, ac reguntur. Lex de omnibus cavere non poteſt. Æquitas omnibus præſto eſt. Idcirco ſtatim initio juris civilis, *Jus* finitur *ars boni & æqui*. Prima ergo legum perturbatio in ipſis derivatoribus fuit, ceu aquæ in tubulis: quod qui leges ſanxerunt, ſive imperitia atque ignorantia tenerentur, ſive pravis animi cupiditatibus ac concitationibus vexarentur, & obdirent. Ignorantia fuit, ſub qua inconſiderantia clauditur, quod ingenio regionis & ſuorum hominum haud ſatis animadverſo leges ferunt, aut quieti noxias, aut graviores flagitiis quam par eſt, aut ad diſtributionem ac commutationem parum æquas. Affectibus qui urgentur, ut affectus ipſi, perquam varii ſunt. Alii adducti ſunt amore quodam ſui ipſorum, ut qui ad ſuas utilitates retulerunt leges, ſicut Tyranni, qui ſtatuerunt leges ſibi utiliſſimas, inutiles aliis. Aut qui leges utiles ſuæ civitati, noxias exteris: qui ita odio aliquorum vitiorum exarſerunt, ut illis juſto majorem pœnam imponerent. Quod Draconem Athenienſem feciſſe tradunt: quem Solon dicit *leges ſanguine ſcripſiſſe*: nam omnibus vitiis pœnam capitalem adjecit: quas leges poſtea Solon mitigavit. Fredericus Tertius furtis ſuſpendium addidit, qua pœna nunc per Europam utimur. Eſt gens in qua furari habetur feſtivum factum, ut pueris olim Lacedæmone, & in Ægypto. Eſt in qua adulteria ſunt impunita, ut ante potentiam Cæſarum Romæ. Poſtea pœna eſt dicta lege Julia. Ducuntur legislatores aut populi ſtu-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſtudiis, aut neceſſitatibus. Apud nos pleræque leges favent bello. In nova India adverſantur bello. Lacedæmoniæ leges erant omnino bellicæ, quo nomine a philoſophis merito reprehenduntur. Quæ regiones ſine mercatura tutari ſe vix poſſunt, ut Belgica, in iis leges impenſe favent negotiationi. Valuit in quibuſdam odium hominum, vel ordinum, ut quæ Romæ contra plebem ſunt a patritiis decreta, vel quæ a plebe contra patritios ſcita. Quæ a L. Sylla contra tribunos plebis. Alios rexit ſpes, ut qui cupiditate pecuniæ *fixit leges pretio, atque refixit*, ſicut inquit Poëta ille. Quoſdam coëgit metus, ut qui leges per adulationem tulerunt, atque acceperunt de immodica Principum potentia. A principio enim coalita hominum congregatione, quum velut moles quædam rectore indigeret, eligebatur ex eo corpore aliquis prudentia & probitate inſignis, & ſpectatus, cui parerent omnes: ut ille fultus conſenſu univerſorum, quæ ampliſſimæ ſunt opes ac potentia, tueretur bonos, coërceret malos, jus diceret, & illius probitate unuſquiſque quod ſuum eſſet, obtineret, cujus decreta ac juſſa eſſent jus ratum, ac leges dicerentur. Porro quando talem eligebant, nefas exiſtimarunt tam prudentem & probum virum legibus alligari, quibus cæteros, qui nec male eſſet acturus volens, quia probus: nec ignorans, quia prudens: nec coactus, quia conſtans, fortis, & tanta potentia ſubnixus. Itaque mos hinc manavit, & quaſi abiit in jus & leges, *principem legibus non teneri*, ſed quæcunque decerneret ac juberet, legem eſſe. Procedente tempore, quum ſemper humanum genus in pejus proficeret, ſucceſſerunt alii Principes partim hæreditate, partim electione, aut conſenſu populi inſanientis, & vel ira, vel cupiditate, vel metu, vel gratia, vel falſa aliqua exiſtimatione corrupti: qui Principes nec bonitate, nec prudentia eſſent cum ſuperioribus comparandi. Et iſti voluerunt licere non minus ſibi, quam bonis & prudentibus, non magis multitudinis, quam naturæ beneficio ac munere fuerat tributum. Hinc quod licuit, liberius ſunt quam boni illi executi, qui parciſſime utebantur eo, quod prolixiſſime licebat: ita ut non ſolum in proverbium abjerit, *Principem eſſe ſolutum legibus:* ſed quod pejus eſt, *Principi licere quicquid libeat.*

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

libeat. Quem non terreat tanta vis ac licentia in uno homine posita, & plerumque gladius datus in manum furentis? Licentiam talem severissime illi exercebant, tum quia mali, tum quia metuebant, ne in periculum venirent, ni periculum ostentarent: ut L. Sylla dictator, de quo quum Valerius Flaccus interrex legem tulisset, ut quicquid dictatori liberet, id esset ratum, ipse eam legem crudelissime exercuit: quod occupata per vim potentia, per vim erat retinenda. Deinde Romani Cæsares, vel in novo imperio, & nondum populo servire assueto, vel ipsi novi homines, qui imperium difficile tuebantur male partum. Ad hæc plerique omnes mali male tutam dignitatem diligentissime atque exactissime studuerunt conservare. Majestatis lex severissime observata, & vindicata, quum non solum facta, sed dicta, verba, nutus quoque, & levissimæ suspiciunculæ ac conjecturulæ in crimen vocarentur, quæ omnia sunt crudelissime punita: quando Principes in id unum operam omnem & cogitationes conferrent, quemadmodum sisterent se eo loci, in quo ægre adhærebant. At vero irritatis semel ad inhumanitatem animis, & proximorum sanguine delibutis, maleficia maleficiis fuerunt tuenda. Territus populus, territi magnates, etiam maxime familiares & amici, tanquam a fulmine subinde jaculato, quæcumque poterant, effundebant in Principem ad benevolentiæ significationem: ut ea saltem parte essent tuti delinito sævissimo Principis corde, atque eblandito adulatione illa, eisdem signis, quæ solent a vero amore nasci, aut etiam majoribus: ut solertior est ad amoris ostensionem adulatio, quam verus amor. Leges aliæ super alias, de capite, de dignitate, de majestate Principiis, exquisita verborum novitate, & inauditis pœnis ac minis sancitæ, usque ad communicationem divinitatis. Cœlum ei dedissent, si in eorum fuisset manu, nedum urbem, & libertatem, & leges. Et dederunt cœlum, qua ipsis licuit, consecratione Principum mortuorum in successoris gratiam. Augusto viventi aræ & templa sunt posita. Quum Domitianus formalem epistolam procuratorum dictans nomine, sic esset exorsus: *Hæc jubet Dominus & Deus noster: Cautum est ut deinceps non aliter ne scripto quidem ac sermone cujusquam appellaretur*. Quid fa-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

cerent inter hæc juriſconſulti ? niſi ut tum eodem metu perculſi, tum adducti ſpe aliqua, quæ leges eſſent in favorem Principis conſtitutæ, eas ampliſſime dilatare : quæ non eſſent, ad favorem Principis detorquere : quæ pro libertate populi, extenuare, ac opprimere. Ita quum Princeps eſſet lectus a populo, ut ipſos tamquam pater filios regeret, tueretur, quod *pater patriæ* & eſſet & nominaretur, ipſe longe aliter pro hoſte ſe gerebat : quæ multitudini expedirent perfunctorie & per alios obiens, quæ ſibi, accuratiſſime. Sic ſe atque alios tractando perfecit, ut jus majeſtatis ac potentiæ ſuæ in immenſum auctum tutelam omnem patriæ exorberet, libertatem premeret, honeſtum otium & quietum (quæ boni expetunt) funditus extirparet : ut permulti Principes imago illa rectoris Mundi, magis a Deo videantur creati ad perniciem ſubditorum, & tamquam carnifices regni ſui, quam æqui moderatores, ac diſceptatores ſuæ ditionis. Non ſe eos præbebant, per quos quiſque jus ſuum obtineret, ſed per quos nemo eſſet ab injuria immunis: quod ſæpenumero propter populi ſcelera contingere ſacra oracula teſtantur. Trajanus Cæſar ſapientiſſime fiſcum Principis ſpleni aſſimulavit, qui quo magis increſcit, hoc magis reliquum corpus dimunuitur, ac extenuatur. Hæc potentia Principum & moribus accepta & conſignata literis tantas vires diuturnitate temporis eſt nacta, ut nunc poſt longam ſucceſſionem regni, quum rex ab ultima origine deductus nec competitorem timet, nec populum, ut ſe aſſerat in libertatem, tandiu aſſuetum agere ſub illius atavis, tamen ita ſe conatur extollere ſupra caput patriæ, tam gravi pondere in eam incumbere, ut eum putet eſſe fidiſſimum ſibi, quiſquis de miſero populo detrahit, quod addat Principis dignitati, quæ jam quo creſcat non habet : & in ſeditioſis habeatur, quiſquis de commodis publicis, de libertate populi, de quiete ejus audeat vel meminiſſe. Et loquor de his legitimis ac juſtis : nam civitati nihil eſt æque perniciofum, ut vulgi libertas effrenata, ex qua naſcitur ſeditio extremum malorum publicorum. Quapropter leges, quas ex æquitate omnibus pari atque utili oportebat elici, ex cupiditatibus ſunt Principum deductæ, quæ quoniam æque in commune non ſunt, nec juſtæ, haud aliter leges debent

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

bent nominari , quam avena hordeum , aut mulus equus , aut acetum vinum , aut adulterinus numus pecunia , denique quicquid a meliore degenerat illius appellatione . Sicut præclare a Socrate apud Platonem disputatur in politicis , & a Cicerone in libro de legibus primo . Sed quoniam in hoc repertæ sunt leges , ut homines inter se quiete , & æquali quodam jure vivant , primum legum munus esse debet , ut animum constituant ac forment fontem actionum omnium , dentque operam , non ut puniant malos , sed ne qui velint esse mali . Eam esse primam eorum curam congruit , qui leges sanciunt : quemadmodum sapienter docent philosophi , ut pueri assuescant bonis rebus delectari , tristari malis . Nam hoc si sit perfectum, non multum sane negotii supererit legibus ad jubendum aut vetandum , ad delictorum pœnas , ad præmia recte factorum . Ex hac assuefactione morum etiam sine legibus bene vivitur . Sine illa vero ne cum legibus quidem vel plurimis , vel accuratissime perscriptis ac sanctis . Horatius prudenter :

Quid leges sine moribus vanæ proficiunt ?

Isocrates docet in Areopagitico , non beneficio legum bonos viros Athenis fieri , sed quod mores haberent honesta educatione ad rectum compositos : amorem virtutis & æquitatis pectoribus impressum , & infixum . *Oportet* , inquit , *recte prospicientes reipublicæ non porticus legum tabulis replere , sed in hominum mentibus æquitatem defigere . Quippe non decretis , sed bonis moribus civitas optime gubernatur . Male enim educatis atque edoctis nulla est legum , etsi exacte perscriptarum , reverentia . Contra vero probe institutis recepta bonis moribus sufficiunt . Hæc illis intelligentibus non ea fuit curarum prima , quibus pœnis malæ viventes afficerent : sed potius quibus tandem rebus assequi possent , ne quid cives pœna dignum vellent patrare . Id demum censebant esse munus suum , maximeque moderatores civitatis decens . Nam de pœnis cogitare , hoc est hostem agere non civem* . Hactenus Isocrates .

At Romanæ leges omnes sunt de constituendis litibus , de iis , quæ ad pecuniam pertinent , ut sua unicuique manerent tuta . Nullum est in eis caput de morum compositione , de animo ad virtutem formando ; quum tam

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

multa ſint ea de re in legibus Lycurgi & Solonis, unde ſumptæ fuerunt duodecim tabulæ. Credo, quod Romani libertatem illam ſuam tam jactatam, eam demum exiſtimabant, quam peſſime quiſque ut vellet vivere, modo ſine alterius injuria: quod tamen nunquam ſunt illis ſuis litigiorum atque actionum formulis conſecuti, conſecturi forſitan, ſi ſtuduiſſent ſuos meliores facere.

Jam vero quando lex eſt velut quædam regula, ad quam unuſquiſque actiones omnes ſuas debet accommodare, par eſt, ut leges ſint & apertæ, ac faciles, & paucæ: ut ſciat quiſque quomodo ſibi ſit vivendum: nec id propter obſcuritatem legum ignoret, nec propter illarum multitudinem ei excidat. At ii in quorum manu eſt conſultatio & reſponſio de jure, ne rem exiguam & cuivis obviam videantur præſtare populo, curant, ut obſcurentur leges, ne promptum ſit cuivis qui ſit ſenſus perſpicere, adeundum vero ad ſe habeant tanquam ad oraculum, qua in re merito jureconſultos inceſſit Cicero pro Murena. Quid quod ea etiam, quæ ſi proponerentur, eſſent omnibus plana & obvia, reconderunt, ut faſtos dies & nefaſtos: quibus diebus poſſet agi jure, quibus non: donec inventus eſt Romæ Flavius quidam ſcriba, qui faſtos evulgaret maxima nobilitatis indignatione, in cujus manu erant, ſeu verius tyrannide. Ergo quæ ſunt ex ſe facilia & liquida, immiſſis interpretatiunculis, ita ſunt reddita turbulenta, ut aqua ex agitatione, vel cœno aut pulvere injecto: & quæ recta erant, icta & percuſſa gloſſulis, deflexa ſunt ad iniquitatem. Jam paucas convenit leges eſſe. Nam ſi multæ ſunt, evitari non magis poteſt crimen, quam caſus, ſi multis locis tendantur retia ambulantibus. Inſidiæ ſunt tot leges, non conditio vivendi. Quum non bene eſſent populi inſtituti, nec ſua ſponte vellent bene agere, ſed metus legum exprimeret, quod non valebat probitas, aliæ leges ſuper alias ferebantur ad coërcendos morbos animi ſubinde erumpentes: non ſecus quam in morbido & hulceroſo corpore nullus eſt medicamentorum finis. Nam quum ulcus unum lata lege tanquam ceromate erat compreſſum, erumpebat illico alterum, cui erat ſuccurrendum, hinc aliud ſubinde atque aliud: & prima vulnera, quum exiccata erant ceromata, id eſt, ſilen-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

silentio & antiquitate fere abrogata , rursum erumpenti putri humore rescindebantur , cui jam videretur cicatrix obducta: ferenda tum erat nova lex de re vetere , quæque jam ante a legibus esset sancita . Ita nullus modus , nullus finis fuit legum , & de eadem re multarum , & de diversis . Tum per homines vafros ad obsequium suarum cupiditatum atque animorum facta est fraus legi , & detortum unum verbulum , aut dispunctiuncula , aut proprietas loquendi , quo animus prave affectus imperaret: quæsita est interpretatio Jurisconsulti : aliis hoc est visum judicio , aliis hoc placuit ex affectu . Et hæc omnia literis sunt mandata , ut nullus esset jam legum , & interpretationum numerus: quæ res vel per tempora T. Livii vix erat ferenda , ut ipse libro tertio historiarum significat. Quid dicturus , si vidisset eos , qui post eum scripserunt? Nam Labeones , & Papiniani , & Ulpiani , & Herennii , & Caii , & Modestini , denique illi quorum aliquid extat in Pandectis , omnes post Livium fuerunt : niси quis Scevolam & Aquilium exceperit . Aquilii nomen non recordor legisse me præpositum legis capiti , ut cæterorum . Scevolam , cujus extent aliqua in Pandectis , post Ciceronis ætatem Valla rejicit , idque ex dictione satis apparet , atque ejus meminit in Heliogabalo Lampridius . Quid vero si nostros Baldos & Bartholos vidisset , atque alios hujus notæ , quibus legendis decem justæ vitæ non sufficiunt? Et quum tot sint leges , etiam obscuratæ sunt: & ipsi jurisconsulti ægerrime ferunt leges dici faciles , aut eas , quæ vulgo possint intelligi . Quæ est ergo æquitas ? ignorantia juris neminem excusari , & tamen leges esse & tam longas , & tam difficiles , ut nemo eas tenere omnes valeat ? Vos ergo scribendis legibus non mitem quandam ostenditis & benignam degendæ vitæ rationem , sed insidias struitis simplicitati populari .

Sed pergam de illis loqui , quos dixi post Livium vixisse , qui tamen non legumlatores fuerunt , sed jurisconsulti , contra quam aliqui opinantur . Eorum libros prolixos existimarunt esse Jurisperiti illi , quos habuit in consilio Justinianus Augustus . Ideo ne tam multa studiosi disciplinæ hujus haberent legenda , statuerunt sumere centones quosdam ex illis sex & triginta Scriptoribus , tot enim

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

enim nominantur , ex quibus libros consuerunt legum, selectis optimis quibusque , & legi digniſſimis . Illæ non erant per se leges , sed interpretationes tantum legum. Verum accedente jussu & authoritate principis factæ sunt leges : quando is jussit , cujus jussa sunt leges . Fuit quidem consilium illud prudentissimum . Vellem tamen reliquissent nobis origines illas , & quasi fontes , unde ipsi illa desumpserant , nempe libros illorum veterum , non futuros sane legum loco , certe vel interpretationes , vel jucundam quandam lectionem ex varietate rerum , & cognitione vetustatis . Quanquam non puto abolitos libros illos jussu Principis, aut consilio, & cura jurisperitorum, sed malignitate temporis, atque hominum desidia, ut alia multa : quum studiosi , qui compendium quærerent , non describerent codices , ex quîs quæ usui ad disciplinam forent , jam essent decerpta . Cæterum in facto hoc aliquot insunt commoda , quod plerunque rectus sensus , & germana dictorum intelligentia ex collatione præcedentium sequentiumque elicitur . At quum detruncatus est locus , difficulter potest divinari , quid author senserit . Tum quod ut non erat unus Tribonianus, qui colligebat, sed Theophilus & Dorotheus : Tribonianus collegit hoc aut illud ita esse ex Herennio : Theophilus non esse ex Papiniano aut Celso , ut diversa inter se sentiebant, & nonnunquam idem secum ipse dissentiebat . Erant enim prisci illi homines occupati negotiis , nec absoluta eruditione ac sapientia , tum etiam animi commotionibus impulsi . Sæpe responderunt & scripserunt districti negotiis , suspenso atque alienato animo , sæpe obsequentes amico , aut alicui affectioni , aut tangebantur studio contradicendi ei , qui cum non bene conveniret, vel ostentandi sui nova & inusitata tractione Juris , non rati futurum , ut pro lege acciperetur , quod dixissent : sed in præsens servitum est ab illis tempori . & voluerunt cum libertate judicandi sua recipi , nec contradicendi succensuissent . Interdum hoc visum est uno tempore , aliud alio , ut mutantur hominum judicia , quum cæteris in rebus , tum potissimum in iis quæ ad mores , & vitæ officia pertinent , in quibus non possunt afferri demonstrationes , sed verisimilitudine quadam conjecturarum dicimus . Nec sane temporum illorum con-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

conditio multum ipſorum ingeniis profuit, concuſſa & mutata toties civitate novis principatibus hominum ſceleroforum Commodi, Severi, Caracallæ, Heliogabali, Maximini, qui non tam armatos hoſtes perſequerentur bello, quam ſenatum, quam doctiſſimum & prudentiſſimum quemque odio, exiliis, cædibus: inter quæ nemo erat tam conſtans, imo durus, qui animo poſſet conſiſtere, & artes ingeniorum pro debita tranquillitate exercere, Frangitur mentis ſolertia in publico timore ac tumultu, converſis omnium animis ad cogitationem unam mali impendentis. Quibus de cauſis conveniebat exactius perpendi ea, atque examinari, quæ illi ut reſponſa ædiderunt, ut leges: nam ſi deviabant ab æquitate, iniquæ leges erant: deviaſſe autem interdum argumento eſt, quod inter ſe quandoque ſunt contrarii. Nam quod dicunt Tribonianum fuiſſe magnum & eruditione, & prudentia, & judicio virum, non dubito, ſed hominem: nec optimum, & quem Suidas ait conſueſſe leges vendere pretio, & tales figere, ac refigere, quales congruerent iis, qui plurimum numerarent. Sed nec unus collegit, nec ab uno. Juſtinianus ſeu Tribonianus potius negat ullas eſſe in jure civili contrarias leges. Codice de vetere jure enucleando, capite ſecundo. Antinomias quaſdam adfert Budæus ſuas & Valæ, in quibus nonnullæ ſunt, quarum altera aperte dicit etiam, altera non. Sudant ſatis & veteres & recentes Zaſius & Cantiuncula in concordia magis, quam qui receperunt ſe Platonem & Ariſtotelem in conſenſionem redacturos, & quaſi repoſituros in gratiam. Sed nihil eſt ita dilucide ac diſerte repugnans, quin ſi permittatur tibi quocunque libuerit, flectere & torquere, videatur eſſe conſonum: præſertim cum Accurſius, & quidam veterum impudenter ſibi ſumant quocunque viſum eſt modo interpretari quam libet abſurde: mutire in contrarium eſt nefas, ne videlicet contra favorem ſacroſanctarum legum aliquid dicatur; ceu vero pugna legum ea etiam ſit ex legibus. At dicunt, recentiorum Cæſarum & Juſtiniani reſcriptis multa eſſe ex Pandectis in Codice & Authenticis correcta. Ceu vero minus ſit libidinum & corruptorum affectuum in Principum reſcriptis, quam in prudentum reſponſis. Principes plura concedunt temporibus, amicitiis, ini-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

inimicitiis, impotentiæ motuum, ac perturbationum animi, quam privati: quod altius a fortuna evecti, & majores animos ſumpſerunt, & plus ſibi judicant licere oportere. Et in plura extendit ſe cura ac ratio illorum, quibus neceſſario habent obſequi, alia perſuadent, alia ducunt, alia trahunt, impellunt, cogunt: quibus privati homines liberi ac ſoluti integrius poſſunt judicium ſuum conſervare.

Sed omiſſa diſputatione hac, loquamur ſane de his ipſis centonibus ita conſarcinatis. Maximam illis obſcuritatem ſequentibus ſeculis attulit ruditas duarum linguarum, quibus erant ſcripti. Ignorata ſunt verba Græca, quorum frequens eſt mentio, quum in toto corpore juris civilis, tum potiſſimum in *Codice*, & ex eo tribus poſtremis. Multa citata ex Homero, & Demoſthene, & aliis Græcis, penitus omiſſa, in quibus erat vis ſententiæ legis: pro quorum expoſitione unum illud dictum arbitrabantur ſufficere: *Non poteſt legi, quia Græcum*: quaſi in perpetuum deſperarent de eo, quod in præſens non aſſequerentur. Quanquam interdum ſine fronte ponunt, quod primum in buccam: ut de contrahen. emptio l. p. Sed hi verſus permutationem ſignificare videntur: gloſſ. quia in prædictis verſibus non erat *emere*, ſed *comparare*. Accurſius: non pudet iſtos, quum verſus non legerint, ea dicere: nec eſt in eis comparare, ſed οἰνίζοντο q. ſ. vinum quærebant. Jam leges permultæ ſunt Græce ſcriptæ, & prave in Latinum verſæ ab interprete imperito. Idcirco & pleraque omnia verba ſimplicia Græca, quæ in jure ſunt civili relicta, confuſa ad nos venerunt, ac depravata. Inſcientiæ Græcitatis acceſſit imperitia Latini ſermonis, & eorum omnium, quorum eſt crebra mentio in jure civili, veſtium, ſupellectilis, inſtrumenti ruſtici, tum rerum ac conſuetudinum fori, ac totius civitatis Romanæ, in quibus ſita eſt mens legum, & ſententia. Ad hæc hiſtoriam & temporum rationem oblivio oppreſſit. Quibus ex cauſis pro *cælo* expoſuerunt *cucurbitam*, & hiſtorias confinxerunt, quum veras ignorarent. Quorum omnium fuſe adferrem exempla, niſi ea nota eſſent jam vel mediocriter doctis facta ex libris eorum, qui peritiam juris aggreſſi ſunt illuſtrare, adjuti linguis

&

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

& cognitione antiquitatis, Budæi, Alciati, Zasii, Salomonii, Nebrissensis. Detracta tanta parte juris civilis, operta ignorantiæ tenebris, quantulum erat quod ad intelligentiam eorum fiebat reliqui? nempe quæ semper habita sunt facillima, & maxime exposita. Atqui & in his versabantur hallucinanter, ac divinabunde, ut non ex verbis sensa deprehenderent, sed ex sensu verba. Nec aliter non raro divinarunt illi veteres significationem alicujus nominis reconditi, quod viderent ex sensu non posse aliud intelligi quam videmus quotidie fieri in iis, qui mediocriter linguam aliquam noverunt in abstrusis ejus verbis. Et ut fuerunt illi indocti, tum libri legum frequentissimi illis in manibus, ut si qui alii, depravarunt, quæ non intelligebant: & *librariorum insectando insciti*am, quemadmodum Quintilianus ait, *prodiderunt suam*. Ergo libros illos mendosissimos habemus, adeo, ut plerunque nullus omnino nec a doctissimis atque ingeniosissimis elici possit sensus. Huic malo dicitur servatum remedium in quadam bibliotheca Florentina, in qua servantur antiquissimi quidam libri legum correctissimi, qui propter vetustatem ἀρχέτυποι nominantur: & vulgo libri Pisani, unde sunt Florentiam cum opibus illius urbis transvecti. Sed nunquam prodit illud remedium: quod si prodiret, quod vir doctus multis annis quærens, & se defatigans vix invenit, id una hora patefieret: si modo tales sunt, quales prædicantur. Jam quum Justinianus prolixitatis pertæsus detruncarit scripta jurisperitorum, ut labori studiosorum consuleret, vetuerit etiam, ne res eodem relaberetur, glossas fieri: isti nihil legem illam pendentes, quum tamen sacrosanctas leges nominent, glossas addiderunt, sive ut explicarent, quæ obscura sibi & aliis essent per ignorantiam facta, sive ad ostentationem peritiæ, ac nomen proferendum. Et tamen quos non piget legere tam longos Bartholos, Baldos, Jasones, Albericos, piget legere *corpus ipsum juris*. Age vero qui jus civile profitentur, qui se & profiteri, & præstare oportere arbitrantur. Ulpianus hanc professionem paucis est his verbis complexus: *Jus est ars æqui & boni, cujus merito quis nos sacerdotes appellet. Justitiam namque colimus, boni & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito di-*

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

diſcernentes. At iſti obliti ſe juris eſſe & juſtitiæ interpretes, atque ideo ſacerdotes vocari æqui & boni, relicta pulcherrima omnium profeſſione explicandæ æquitatis, exiſtimarunt ſe ſacerdotes eſſe Romani juris: & ex illa naturæ omnium gentium, temporumque latitudine in has ſe unius populi, & unius temporis anguſtias compulerunt, fortaſſis conſcientia imbecillitatis ſuæ, tacito naturæ ſenſu. Nam ad cognitionem atque interpretationem æquitatis, quatuor maximis rebus eſt opus, ingenio, judicio, eruditione, variarum rerum uſu, atque experientia. Neque enim oculos facile immittet in arcanum illud & ſanctum naturæ lumen, niſi homo ingenioſiſſimus: nec qui viderit diſcernet, & cenſebit, niſi maximi & acerrimi judicii: tum in utroque opus eſt uſu atque experimentis, ne quamvis egregium atque excellens ingenium novitate rei fallatur: denique ad ea, quæ ab aliis ſunt obſervata, & ad lucem omnino majorem opus eſt varia notitia antiquitatis, quæ prudentia adjuvatur, res una in negotiis vitæ omnibus incomparabiliter neceſſaria. His rebus maximis fulti priſci illi veteres de jure audebant reſpondere: ad quos olim, & in foro ambulantes, & in ſolio ſedentes domi ſic adibatur, quod eſt a Cicerone memoriæ proditum, ut non ſolum de jure civili ad eos, verum etiam de *filia collocanda*, *de fundo emendo*, *de agro colendo*, de omni denique aut negotio, aut officio referretur, de divinis & humanis rebus univerſis. Idem & in ſenatu, & apud populum, & in cauſis amicorum, & domi, & militiæ conſilium ſuum, fidemque præſtabant. Illi demum vere erant juriſconſulti, ſeu verius, ut idem Cicero de Servio Sulpitio dicit, *juſtitiæ conſulti*, *& æquitatis ſacerdotes*, *atque antiſtites*. Hoc erat pulcherrimum in civitate munus, & utiliſſimum ſuis civibus præſtare. Illi vero hoc tanto merito ſuo prudentiæ nomine decorati ſunt. Prudentes enim & habiti ſunt ſemper juriſconſulti, & nominati, eaque ipſa diſciplina juris prudentia, & reſponſa prudentum: quippe eam profeſſionem non ſunt rati abſque prudentia tueri ſe, ac præſtare ſuæ civitati poſſe. Nam quis æquitatem rerum videat, aut definiat ſine magna prudentia? Nunc vero quid cauſæ dicemus eſſe, quod multi ſimul ſint imprudentiſſimi, & juris peritiſſimi, & quod mi-

rere

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

quod eſt utique oſtentatio magis memoriæ, quam legum & juris explanatio. Dixi vobis *elenchos* eſſe iſtos juris, non *conſultos*. Ceu vero ſit puer aliquis, vel muliercula tam rudis, qui ſi leges edidicerit, non poſſit, ubi de hoc aut de illo negotio aliquid legerit, dicere, & multas leges coacervare: dumtaxat quomodo iſti leges ad negotia applicant: in quo non parvam, & imperitiæ, & torporis ſui partem produnt. Nam ut non legerunt leges ipſas, ſed epitomas quaſdam & ſummaria, quas vocant *Rubricas*, atque utinam eas omnes. *Rubricæ* autem colligunt ſæpe priorem legis partem, poſteriorem reliquunt. Iſti ex *Rubrica* citant legem, cujus prior pars utcumque videtur pro eis facere, poſterior eſt omnino contraria: ita ut ſuomet ipſi gladio crebro ſe jugulent. Alii proponunt longum ſermonem ex decem aut duodecim ſententiis conflatum, in fine vero adjiciunt, *& ad hoc faciunt illa, & illa lex*, cum eæ tantum ad ultimam ſententiam, & quidem leviter faciant: in qua tamen ſententia non erat cardo negotii. Alii quum dicant longam aliquam ſententiam, legem adferunt, in qua ſunt duo vel tria poſtrema verba illius ſententiæ. Sunt qui etiam omnino falſo citent, & alias ſuper alias impudenter, & confidenter: nam adeo multas ſimul aggerant, ut nemo ſit tam ferreus & patiens, qui eas ſigillatim ſuſtineat excutere. Ac quod male ab uno citatum eſt, fide illius citatur ab aliis plurimis pejus. Neque vero in colligendis ex legibus argumentis ſunt feliciores, ſive ex ignoratione veræ Dialecticæ, ſive ex judicio abſurdo, ſive ex ambobus: ex facto alicujus, quod refertur in lege, trahunt exemplum adalia. Verbi cauſa, ut ex eo, quod Flavius ſcriba vulgarit faſtos, & ideo factus eſt tribunus plebis, *Digeſtis de origine juris*, ſic annotat Accurſius, *aliquem ex dolo ſuo præmium conſequi, & facit infra ad municip. l. Titio, & infra de ſuis & legit. l. inteſtato §. is plane. Arguitur contra. C. de fur. & ſer. corrup. l. ſi quis ſervo, vel dic quod hoc fecit populus ignorans*. ſic ille. Miſer, quid te torques? nec dolus fuit, nec populus ignoravit, nec leges, quas ſtultiſsime allegas, faciunt ad rem. *Jam de rerum diviſione. l. in tantum. §. cenotaphium quoque: magis placet eſſe locum religioſum, ſicut teſtis eſt in ea re Virgilius, ſed divi Fratres contra reſcripſe-*

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

pſerunt, Gloſ. *in verbo Virgilius*. *Sed falſus teſtis eſt*, *ut infra lege proxima*: *& de religione*. *l. is qui*. Et eſt argumentum, *quod authoritates poëtarum ſunt in cauſa allegandæ*, *ut ſupra de ſtatu homi. l. ſeptimo. & de ſolu. ſi pater*. *Sed in lege proxima eſt argumentum contra*, *quod ſint reprobandæ*. Quis Chryſippus, aut Carneades potuiſſet tam acutum argumentum excogitare? *Juriſconſulti alicujus opinio allegatur in jure*, *& reprobatur*: *juriſconſulti ergo authoritas alleganda quidem in cauſis*, *ſed reprobanda*. Quid quod Virgilius non dicit debere eſſe honoraria ſepulchra ſacra, ſed Trojanis temporibus, aut certe Andromachæ fuiſſe? Iſtis vero hæc dici, eſt ſurdis cani carmen. *Lex*, *is qui*, *nihil loquitur de poëtis*. *l. ſeptima aurthore utitur Hippocrate ad fœtus naturam*, *l. ſi pater*, *Ariſtotele ad numerum fœtus*. An hi etiam poëtæ? nihil eſt frontis in hiſce hominibus, non pudet tantæ & tam craſſæ ignorantiæ? Jam quorſum pertinet allegari ea, quæ ſint reprobanda? Scilicet Martianus, qui pro ſe adducebat Virgilium, judicabat illius authoritate ſtari non oportere: talia ſunt iſtorum omnia. Et quemadmodum videre altercantes dialecticos, & philoſophos in ſchola, irunt ipſos quoque inceſſit libido ſui oſtentandi. Altercationes invexerunt, id eſt, velitationes & luctas. Hinc quod proximum erat, placita & ſectas ex pertinacia. *Hæc opinio* hujus, *iſta illius*, *aut illius*. Nempe *de jure reſpondere*, *quum ratio ex æquitate non deprometur*, *facillimum eſt*, ut inquit Cicero pro Murena: *multo adhuc facilius ſi adſit impudentia*, ut idem in L. Valerium jocatur: *Cur hoc tibi juriſconſulti nomen non gratificer neſcio*, *præſertim quum his temporibus audacia pro ſapientia liceat uti?* Et quo uberior eſſet diſputandi materia, excogitarunt caſus, non illos quotidianos, & crebro ſolitos uſu evenire, quorumque eſſet mentio in legibus, aut de quibus eſſent latæ leges, ſed inſinuatos, admirabiles, quique nunquam contingerent, ac proinde nec eſſent uſui illi unquam futuri, Quæ res infinita eſt, quemadmodum Ariſtoteles docet in Ethicis. Quippe cauſarum & negotiorum innumera eſt vis, ac multitudo, ut quæ leviſſimis varientur momentis, & iis adjectionibus, quas Græci περισάσεις nominant, Quintilianus *circumſtantias*, quæ poſitæ ſunt in aliqua adi-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ditione *perſonarum*, *locorum*, *temporum*, *cauſarum*, *modorum*, *caſuum*, *factorum*, *inſtrumentorum ſcriptorum & non ſcriptorum*: quarum rerum congregationem *negotium* Valgius appellat. Quocirca ea perſequi operis eſſet numquam finiendi, in quo declarant, quam ſint artis imperiti, qui curam & præceptiones ſuas circa *ſingularia* conſumunt: quæ quoniam ſunt innumera, ad curam artis pertinere non poſſunt, ſed certe neque ulla ars ad iſtorum curam pertinet: & dum illis occupantur, quotidiana & neceſſaria prætermittimus. Sicut philoſophi, qui dum rerum naturam novam excogitant, amittunt iſtam. Res eſt alioqui nullius neceſſitatis, aut fructus. In medicina fortaſſe expediret prævisa habere remedia ante morbos, ne hi quum derepente exiſterent, tum quærendum haberemus remedium, nec facile in anxietate & trepidatione inveniremus: morbuſque invaleſcens ac urgens abſumeret prius hominem, quam medicina poſſit parari. In legibus multo eſt ſecus, nam quum morbus apparet, id eſt, ubi quis peccavit, ſatis tum mature de remedio & medicina conſultatur: neque *enim adeo eſt feſtinandum, ut puniatur qui peccat, quam ut ſanetur qui ægrotat*. Satiſque in tempore conſultatur de pœna & exemplo, ubi morbus totum ſe explicuit. Adde quod in medicina morborum remedia prævisa non irritant morbos. In civitate leges latæ ante ſcelera, non raro ſcelera ipſa mortua & conſepulta exuſcitant, ſicut ille apud Paulum conqueritur in epiſtola ad Romanos. Quam fuiſſe cauſam perhibent, cur Solon de parricidiis nullam tulerit legem, ne admonere videretur de eo, quod antea factum non eſſet. Nec Lycurgus de adulteriis quicquam cavit, quod id facinus incognitum adhuc ſua ætate eſſet Lacedæmone. Quocirca mature ſatis poſt ſcelera rogantur leges. Nec immerito dicitur illud, *omnes bonas leges ex malis moribus eſſe ortas*. Quid quod ſicut medicinæ non deſunt dogmata, atque univerſales canones, qui novis & repentinis morbis facile ſubveniant, ita neque cognitioni æquitatis remedia, queis ſcelera & flagitia cohibeat: quæ remedia excolenda æquitate ſtatim ſe oſtendunt, ac proferunt. Scrutatione vero ſcriptarum legum abdunt ſe magis, & occultant. Natura igitur æquitatis examinanda iſtis erat, atque illuſtranda

ad

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ad omne negotiorum & cauſarum genus , non torquenda ingenia : dum omnia quæ poſſunt contingere ad has leges ſcriptas (quæ comparatione negotiorum pauciſſimæ ſunt) in vita pertrahuntur . Præter hæc omnia , ut homines ſemper fuerunt attenti ad rem , extincta caritate mutua , & reſpectu Dei amoto , creverunt lites & rixæ . Nulla fuit civitas adeo quieta , in qua unum forum ſufficeret : judicia ſine modo alia ſuper alia : patronorum & advocatorum magnum in ampliſſimo quæſtu decus , qui ubi juſſi ſunt conticeſcere , & in reſponſa prudentum conceſſerunt omnia , ad Juriſconſultos idem honor & quæſtus devolutus eſt . Quæ res permultos impulit , ut eam profeſſionem arriperent , in qua eſſet paratum lucrum plenum dignitatis . In Academiis multi ad illos honorum gradus admiſſi , quibus quoniam non eſt fame pereundum , lites quærunt , ſemina earum ubique ſpargunt , movent , augent detorquendis legibus , & controverſias malunt conſtituere , quam tollere : idque eo eſt factu promptius quod legum obſcuritas anſam pravis hominibus præbet inflectendi eas , quo velint . Et differunt lites in longiſſimam diem , ut mali medici curas morborum ſicunde uberior lucrandi ſpes affulgeat . Ita brevi tempore , quæ erant facilia , & liquida , involuta redduntur . omnia , & perplexa . Et quod Quintus Cicero dicit : *Sufficere uni familiæ unum Oratorem* , juſtius dici poſſet de hoc hominum genere , *uni familiæ* , *imo uni civitati Jureconſultum unum ſufficere* .

In Pannonia , quemadmodum accepi , vivebant olim ſine juris interpretibus , non tamen ſine jure . Nam ſimpliciter & bona fide ex antiquis moribus , & paucis quibuſdam legibus res judicabant , imo diſſenſiones ſuorum civium facile componebant . Et quemadmodum de Servio Sulpitio dicit Cicero , *tollere controverſias malebat , quam conſtituere* . In Comitatu Beatricis Fernandi Regis Neapolitani filiæ , quæ illinc fuit miſſa nuptum Matthiæ regi , venerunt Jureconſulti aliquot , qui barbarum , ut ipſi dicebant , morem magno vultus & ſuperciliorum faſtidio aſpernati , homines , quos princeps & comites haberent pro ſapientibus , facile perfecerunt , ut homines rudes ac ſimplices illorum ſe ſapientiæ concrederent . Cœperunt

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

runt illi formulas præſcribere , quibus eſſet petendum , quibus reſpondendum atque excipiendum , dies legitimos notare , judici quoque aliquid aſſignare quod diceret , ne muta eſſet perſona . Brevi tempore , ubi nullæ prius erant lites , omnia vidiſſes fervere *litibus* , *controverſiis* , *petitionibus* , *repetitionibus* , *exceptionibus* , *comperendinationibus*, *procraſtinationibus* . Erat prorſus fabula , niſi quod damnoſiſſima , cætera feſtiva in primis , & ad riſum movendum apta hominibus utique otioſis , & quibus nihil eſſet controverſiæ . Quod malum tantum , & tam ſubitum , quodque late invaſiſſet plurimos , quum animadvertiſſent homines prudentiores , ad Regem res eſt delata , qui re percognita jureconſultos illos continuo regni finibus juſſit excedere , & omnia in priſtinum morem revocari . Sedata eſt ſtatim tempeſtas illa , tamquam ſi venti poſuiſſent . Scilicet ut utiliores ſunt leges populo quo ſimpliciores , ne cui imperitia fraudi ſit , ut vafricies lucro , quæ æquitate ſua rudibus , & circumſcriptioni expoſitis ſubveniunt: impoſturæ vero atque aſtutiæ aditum præſtruunt , quæ ſe facilius inſinuat , quo exactius atque accuratius omnia volumus præſcribere : ut in contractibus , atque inſtrumentis tot ſententiolæ , quæ ad cavillum excludendum conſtipantur , nihil ſunt aliud quam anſulæ cavillorum . Propterea quod ubi omnia explicare volumus , nec æquitatis ſincere interpretationi locum relinquimus , iniquitatem introducimus : ut tantum quiſque conſequatur , quantum in vertendis atque detorquendis vocibus valeat . Nos ipſi peſſime utique in nos conſulimus, qui non æquam , & bonæ fidei interpretationem prodeſſe nobis volumus , ſed quantum verbis poſſimus exponere . Atqui nemo eſt tam circumſpectus , qui omnia cavilla prævideat : nec tam diſertus , qui quæ providit , aptis verbis poſsit eloqui omnia, ac munire , ne qua ſe calliditas inſinuet .

Tomi primi , qui continet Libros de corruptis artibus .

FINIS.

JO-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

JOHANNIS LUDOVICI VIVIS VALENTINI, DE TRADENDIS DISCIPLINIS,

Seu de inſtitutione Chriſtiana,

LIBER I.

TOMI SECUNDI.

CUm ingenti Dei munere mentem & vim inquirendi homo eſſet nactus, qua vi non ſolum quæ adeſſent, aſpiceret, ſed oculos in futura & præterita mitteret, proprium tanti inſtrumenti opus eſſe duxit intueri omnia, colligere, componere inter ſe, & univerſam hanc naturam quaſi poſſeſſionem ſuam peragrare: tametſi evagatus eſt magis extra viam, quam in via progreſſus. Sed quæ ſpatia confecerit, & quouſque pervenerit, mirabile admodum fuerit, ſi quis per ſe contempletur. Sin vero ad ea conferat, quæ non eſt conſequutus, vix eum exiſtimet *pedem extra limen poſuiſſe*, adeo quæ poſſidet, pauca ſunt, & obſcura. Verum nos mendici hujus pannos exponemus, quando ampliſſimæ videntur nobis opes eſſe majorum ignoratione, aut utique incogitantia. Primum omnium amor tuendi ſui, quem illi indidit Natura, extimulavit eum, ut animadverteret ſe nec punctum quidem temporis poſſe ſubſiſtere, ſi deſint corpori alimenta: ergo animadvertit ante omnia, quænam ad ſe alendum ac ſuſtentandum ſumeret: nempe quæ ad eſum, quæque ad potum pertinerent: ut utilia & a noxiis diſtingueret, &

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

quemadmodum paranda & conſervanda eſſent, calleret. Jam quando corpus multis eſſet morbis tanquam renaſcenti ſubinde tyrannidi obnoxium, quæſivit quibus & ſe muniret adverſus morbum, ne invaderet, & poſteaquam invaſiſſet, propelleret. Tum conſideravit corpus ſibi contigiſſe tenerum, injuriæ cœli ac ſoli expoſitum; invenit qua ratione adverſus vim frigoris atque æſtus, contra hyemem & tempeſtates munitus ageret, principio integumenta corpori admota. Hinc quum parum in his eſſet adverſus vim majorem præſidii, aggeſſit lapides, lutum, ſaxa, ligna, res duras, quibus ſe tegeret, injuriis illis impenetrabiles. Quoniam vero parum erant a noxiis feris tuti, ne in ſe ab illis fieret impetus vel inopinantes ac ſecuros, vel ſomno oppreſſos, ea quæſita ſunt, quibus ſe clauderent, ut tutior eſſet ſecuritas. Jam vero quia in tanta imbecillitate & neceſſitate tot, tamque variarum rerum nemo unus ſufficiebat ſibi, de primo aliqua, multi eadem ſe clauſerunt ſpelunca: hinc arctante ſe charitate, vir & uxor ſeceſſerunt cum liberis: & egreſſi ex ſpeluncis caſas & tabernacula e paucis lignis erexerunt, injectis arborum ramalibus pro tecto. Ceterum hæ caſæ ſparſim intio extructæ, & in lato campo, quibuſdam velut maculis, non aliter nunc ſunt urbes & oppida: mox & hortante charitate ne longius abſcederent, qui inter ſe bene cuperent, & urgente mutuæ opis indigentia, quidam contulere proprias caſas in ſpeciem vici. Verum in animo injuriæ objecto & ſuſpicaci, quantacumque vigeret apud eos ſimplicitas, querelæ tamen aliquæ exiſtebant: has natura deferebant omnes ad antiquiſſimum, haud aliter quam filii ad patrem, qui natura minus etiam-num apud eos corrupta, imperium obtinebat in reliquos, quia præcederet ætate, & ea de cauſa uſu, prudentiaque præter cæteros valere credebatur. Quum vero experti eſſent, non deeſſe aliquos, quibus cani, & rugæ non multum attuliſſent bonæ mentis ac cordis, alios quibus ætate eſſet aucta malitia, prudentiſſimum aliquem & optimum quæſiverunt. In hoc quoque erratum eſt: nam de prudente judicium non poteſt facere niſi prudens: illi ſe ſummiſerunt, quemcumque aliqua ratione maxime revererentur: nempe illa, quæ ipſis videretur in rebus hominum potiſſima: his fuit pecunia,

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

cunia, illis pulchritudo, aliis robur corporis & animi, aliis eloquentia, aliis genus, aliis cognitio disciplinarum, aliis perspecta justitia. Sed quum essent plurimi, qui eum honoris gradum ambirent, nec priores melioribus cederent, quod superbia unicuique persuasisset eum esse optimum, scissaque in factiones multitudine, non jam res judicio, sed concitatis affectionibus ageretur, ad componendas discordias consensu omnium electus est unus, qui judicaret: aut certe post certamina necessario admissus victor. Priscis illis satis erat sic denuntiari, non debere fieri: verbum illud & manus, & voluntates cohibebat: tantum apud illos valebat juris atque æquitatis respectus. Crevit contumacia: tum leges latæ, pœneque legibus additæ: quum jam non satis esset prohiberi: & coërcitio pro potestate fuit denuntianda ad terrorem omnium, ne se effunderet impudentia. Verum-enimvero voluntas male faciendi non unum aliquem aut alterum invasit, *sed manus hominum, & integros populos:* ut publicum odium publica se expeteret clade satiare: ad quos repentinos cohibendos impetus, qui eadem communione rerum essent devincti, cinxerunt se muris, & tela quæsierunt, quis propulsarent hostiles aggressus. Sed hæc occasionibus temporum parata: illa quotidiana contrahere, & versari inter homines indivisibili perpetua societate, quam arctissime devincit sermo: cujus adjumento aperiunt sese animi tantis corporum involucris obtecti, atque occultati: observata sunt verba singula, tum phrases ac loquendi modi, ut apti essent usui, hoc est, ut consensu essent publico notati: quod est velut communis monetæ signum. Maxime enim expedit communem esse sermonem, qui quasi vinculum paratus est societati hominum: nam si peculiares sint apud aliquos loquendi rationes, tamquam aliena utentes lingua, parum sese intelligent: quo nihil est odiosius iis, qui multum conversantur, magnamque inter se habent vitæ consuetudinem. At in societate hominum quorum est proprium modo ac ratione uti, par fuit, ut non temere, nec violente, nec ferarum ritu ac more res unusquisque usurparet, sed modeste ac moderate, quantum ratio suaderet bene ac civiliter instituta: unde prudentia omnis est nata velut clavus quidam regendæ navis,

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

cujus multo maximus eſt in univerſa vita uſus, in victu, veſtitu, habitatione, erga ſeipſum unicuique, erga uxorem, liberos, familiam, erga cives pares, privato erga magiſtratum, & principem, adverſus inferiores cives, ſi ipſe ſit magiſtratus, aut princeps. In quo eſt tota vitæ ratio conſtituta, privata, & publica, & cujus nulla ætatis pars debet vacare, ac neque poteſt, ſiquidem humano more vivendum ſit: quæ omnia ſub genere quodam prudentiæ ſunt poſita: ex quo naſcuntur illa, quæ a Græcis *ethica*, *œconomica*, & *politica* nominantur. Hæc ſunt quæ neceſſario humanum ingenium, & univerſa hominis natura ſtimulis quibuſdam ab authore ſuo excitata invenit, & conſtituit: quibus ſemotis partim homo nullo modo viveret, partim non humanam vitam, ſed ferinam & agreſtem. His partis riteque conſtitutis, tranſiit humana mens a neceſſitatibus ad commoditates, ut inventis illis haberet non ſolum quo ſe a tanta & tam continua violentia tueretur, ſed jucundum quiddam, quo etiam poſt depulſam neceſſitatem juvaretur. Interea quidem dum totus homo tanta vi, & errore premereretur neceſſitatis, omnia erant in hoſtem converſa: nec de alia re in homine, quam de ſolvenda obſidione cogitabatur.

At ubi omnia viſa ſunt quieta, & pacata, ex corpore voluptas, ex animo ſuperbia extiterunt: quæ ſibi maximam humani imperii portionem repeterent, ac quaſi vendicarent. Servitum eſt voluptati, excogitata ſunt ad delicias plurima: ſervitum ſuperbiæ, multa ad inane quoddam decus reperta, & ad parandam excellentiæ opinionem. Tum quæ adverſus neceſſitatem fuerant quæſita, quibuſque aliquid commoditatis acceſſerat, fere vel ad delicias ſunt tradu&ta, vel ad ſuperbiæ acerbiſſimam tyrannidem pertra&ta, ut vel corpus oble&tarent, vel oculis intuentium tamquam in ſcena ſaltarent fabulam. Neceſſitati ſatis fa&tum paucis eſt, & parabilibus; commoditas plura adjunxit, voluptas & ſuperbia ſeſe complexæ nullum modum, nullum finem invenerunt. Nam animus cura illa præſentis neceſſitatis ſolutus ac liber cæpit reſpirare, & otioſior velut theatrum hoc contemplari, in quo eſſet a Deo poſitus: ſcrutari ſingula, quæ in cœlo quæ in elementis, terra, aqua: nempe ſydera, animantes, ſtirpes, gemmas, metalla, ſaxa quæque in eo-

dem

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

dem ipſo animo ineſſent. Provexit eum curioſitas, & ſi quid videretur ſibi exculpſiſſe, ingens gaudium tanquam ex victoria: ea voluptas identidem augebatur, dum alia ex aliis viderentur inventionem ſequi velut fili initio arrepto: quum ſæpiſſime alterius longe diverſi globi filum tenerent, quam arbitrarentur. Tum oſtendendis inventis ſuis, quaſi liberis a ſe progenitis, & aliis communicandis, non exigua item delectatio naſcebatur: tum ex aliorum de ſe admiratione initio quidem grande gaudium: hinc ubi oculos in ſe reflexiſſent, opinio excellentiæ, atque huic cognata ſuperbia: quin ad majorem admirationem ſui excitandam aucta eſt oſtentandi cupido importuna, adeo ut quidam univerſa vitæ officia deſeruerint, ut huic ſe ſcrutationi cunctos dederent, ac velut manciparent: unde ſi quis contradiceret, rixæ, & factiones, & ſectæ. Provexit alios curioſitas cognoſcendi, quæ nemo alius: ut ventura, aut magnis tenebris obruta, & recondita. Fuere qui vel pecuniæ aviditate, vel potiundi, quas expetiſſent, voluptates, a dæmone, quod eſt maximum nefas, doceri ſuſtinuerint, quæ non poterant a mortali. Jam erat longiſſime evecta infrenis aviditas ſciendi, quum in medio tamen curriculo cœpit per excellentiſſima quædam ingenia retineri mentis ille impetus, ut parumper diſpiceret, quæ tandem eſſet futura tam anxii atque effuſi curſus meta, quod præmium tam perpetui laboris. Quæſtio inprimis digna humani generis cura. Nam quid proſit defatigare ſe hac ſolicitudine, ſi votis nihil paratur deſt aliud, quam vota: ſi cupiditatis unius finis ſequentis eſt gradus: ſi agitamur perpetuo, nec ullus eſt finis aut requies? Quid miſerius, quam præſtantiſſimum hoc animal, ſi ea modo quærit ac concupiſcit, quæ ſenſibus ſunt expoſita, quæque omnino poſſunt in vita contingere: quæ non requiem, aut delectationem ullam pariunt, non gaudium afferunt purum, ſolidum, diuturnum? Pulcherrima, uti dicebam, quæſtio, & ingenio noſtro multo dignior, congruentiorque, quam de modo vel materia cœlorum, de viribus ſtirpium aut lapidum: ſed gravis tamen explicatu, & quæ ſui difficultate maxima quoque ingenia exercuit, verius quam edocuit: videlicet quod illius extremi finis notitiam humana mens lucernula ſua inſtructa non po-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

poteſt aſſequi, niſi a fine ipſo illuceſcat: quemadmodum iis evenit, qui ingrediuntur in locis obſcuris. Itaque Deo fuit opus, qui nos non modo edoceret ad ſe venire: ſed tanquam manu duceret imbecillum, & ſubinde caſurum. Hoc eſt religio, quam a Deo ipſo accepimus, a luce radium, vires ab omnipotentia. Hæc ſola reducit nos ad originem, a qua egreſſi ſumus, & ad quam tendimus: nec eſt alia hominum perfectio: quandoquidem hoc demum eſt perfici, unumquodque finem, cui conditum eſt, nanciſci. Nam hominem non victui & cultui & habitationi conditum, non arduæ cuidam, & reconditæ, & moleſtæ cognitioni, ſeu verius cupiditati cognoſcendi, ſed participationi æternitatis, & divinæ illius naturæ, quis non liquido perſpicit, qui conſideret vim & celſitudinem mentis, intelligentiam rerum præclariſſimarum, tum ex intelligentia amorem, & ex amore conjungendi ſe cum illis expetentiam? Quocirca quum ea *demum ſit cujuſque rei perfectio*, ſuiſque omnibus partibus abſolutio, aſſequi finem, cui eſt condita, ſola utique pietas via eſt perficiendi hominis: *quare hæc una eſt rerum omnium neceſſaria*. Sine cæteris expleri poteſt homo,& numeris ſuis omnibus conſummari, ſine hac non poteſt. *Etiam cibo & quotidiano victu poteſt carere, pietate nullo pacto poteſt, niſi ſit futurus miſerrimus*. Hoc eſt quod Dominus Marthæ dixit, ſolicitæ non utique de ſupervacaneis, ſed de quotidiano alimento, *turbari eam circa plurima*: *unicum eſſe neceſſarium*, quod elegerit Maria, ſedere ad pedes Domini, & verbum illius audire. Quocirca reliquæ artes, ac diſciplinæ omnes, religone excepta, *pueriles ſunt luſus*. Nam quemadmodum, quas nos ſive taxillorum, ſive foliorum, ſive acierum, ſive ſphæræ luſiones appellamus, invenit, atque exercet humanus animus, ſive dum in rem aliquam vigor ille igneus conatur eſſe intentus, melius tamen quod agat neſcit, aut non habet: vel deſidioſus eſt, & piger, nec bonarum artium laborem perfert: vel ut intentionem remittat a rebus gravioribus, quo recreatus laxatione illa refectuſque redeat ad ſua ſeria. Ita hominum mens in artibus ſe & ſcrutatione variarum rerum exercuit, partim religionis ignorantia, partim quod nec pondere præpedita ad illam valet aſcendere, nec pigritia co-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

conatur: in aliis ut reparet corpus hujus neceſſitatis, cui ipſa affixa eſt, vel ſe ad novos religionis conatus & actiones intermiſſionibus reparet. Et ſicut inter nos, qui luſus non callent, modo uſum vitæ & prudentiam norint, non vituperantur: imo contra turpis eſt & probroſus, qui lu-no nullas tenet, cognitam tamen habet peritiam virtutis, ad cujus normam animum formavit, ac compoſuit, tantum abeſt ut vituperetur, ut ſummis etiam evehatur laudibus. Contra, ille ignominia eſt dignus & dedecore, qui humanis artibus edoctus ac inſtructus, inanis eſt a virtute. Hoc vero multis ſuis diſputationibus Socrates plenum fecit homo gentilis, & eum gentiles alii ſecuti. Idcirco filii Lamech, ideſt, primi ſpurii prophanas diſciplinas dicuntur inveniſſe, ac conſignaſſe monimentis literarum, quaſi *filii hujus ſeculi*, quemadmodum eſt in ſacro Evangelio, *filiis lucis prudentiores in generatione ſua*. Sed noſtra omnis cognitio velut inſpectio eſt quædam, quæ vel ibi ſiſtit in contemplatione cujuſque rei, ut dum oculus varietatem colorum intuetur, & animus memoriam rerum geſtarum: vel in finem aliquem reſpicit, ac ſcrutatur, ad quem ſi univerſales aliquas normas colligit, vocatur ars: cujus inveniendæ hæc fere fuit ratio atque obſervatio. Initio una atque altera experientia ex admiratione novitatis annotabatur ad uſum vitæ: ex ſingularibus aliquot experimentis colligebat mens univerſalitatem, quæ compluribus deinceps experimentis adjuta & confirmata pro certa exploratagque haberetur: tradebatur tum poſteris, addebant alii, quæ ad eundem uſum finemque pertinerent. Hæc collecta per magni ac præcellentis ingenii viros, diſciplinas ſive artes effecerunt: nam hoc erit generali utendum vocabulo. Quicquid nunc eſt in artibus in natura prius fuit; non aliter quam uniones in concha, aut gemmæ in arena, ſed quod hebetes multorum oculi non animadverſum præteribant, ab acutioribus indicatum eſt: illique inventores dicti, non quaſi rem, quæ non eſſet, feciſſent ipſi, ſed detexiſſent, quæ lateret. Itaque primi illi obſervatores experimentorum, quique aliquid ſperarunt moveri in quaque arte poſſe, primi ſunt inventores artium. *Plurimum*, inquit Seneca, *ad inventionem attulit*,

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

lit, *quiſquis ſperavit poſſe inveniri*. Tum qui de experimentis collegerunt dogmata, hos eodem dignitatis nomine proſequimur: velut Hippocratem, qui ſicut traditum eſt a M. Varrone, annotata medicamentorum collegit, quæ eſſent templo Æſculapii adſcripta, unde formulas confecit, & imaginem quandam artis. Sed & qui ſparſa congregant, & digerunt confuſa, & involuta explicant, & obſcuris lucem claritatemque adferunt, idem ſunt inventionis nomen conſecuti, ut Ariſtoteles in dialectica. Ergo *experientia*, quemadmodum Manilius canit, *per varios uſus artem fecit*. Cæterum experientiæ temerariæ ſunt ac incertæ, niſi a ratione regantur, quæ adhibenda eſt illis tanquam clavus, aut gubernator in navi: alioqui ferentur temere, & fortuita erit ars omnis, non certa. Quod eſt in iis cernere, qui ſolis experimentis ducuntur, de quorum natura & ingenio judicium non cenſet rem, locum, tempus, & reliquas circumſtantias inter ſe conferens. fieri enim convenit, quod in Gorgia dicit Plato, *ut experientia artem pariat*, *ars experientiam regat*. Et quemadmodum vis quædam indita eſt terræ ad producendas herbas omnis generis, ita animæ noſtræ velut poteſtate quadam omnium artium ac diſciplinarum ſunt indita 1. ſemina, & ad prima illa ac ſimpliciſſima pronitas quædam, quo *nutu* ſuo fertur: ut ad manifeſtiſſima bona voluntas, ad manifeſtiſſimas veritates mentis acies: quemadmodum acies oculorum ad viride, & auris ad concentus. Quem *nutum* Ariſtoteles vocarit fortaſſe 2. *poteſtatem*, Plato *ſemina*, nihil ſane repugno: alii προλήψεις, quaſi dicat quis *anticipationes* & *monitiones* animis noſtris a natura impreſſas ac infixas. Ea eſt cauſa, cur puer evidentiſſimæ veritati ſtatim conſentit nunquam antea viſæ, non ſecus quam agnus fugit lupum, nondum antea conſpectum: hæc ſemina inertia, & ſocordia opprimit, extinguitque: educit vero in ſtirpem ac fructus exercitatio per uſum rerum: excolit judicium, & temperat, ſicut multæ in natura fruges manibus atque hominum cura meliores redduntur. Quocirca ſi judicium vel nullum eſt, vel aperte fallitur, in fraudes & mendacia degenerant: haud multo diſſimiliter atque acceſſit tota maſſa ex acido frumento vel coagulo. Neque artium aut cognitionis me-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

merentur nomen falſæ quædam impoſturæ, quales ſunt dæmonum, aut divinationum præſtigiæ: earum enim dogmata non judicium moderatur, ſed libido: ut de *pyromantia*, de *necromantia*, de *lineis manuum*, de *viribus ſyderum*, quæ prodita ſunt, ut quibuſdam venit in mentem, diverſa tam ab Ægyptiis, quam Chaldæis: nec eodem modo a Græcis, & Arabibus: utique non magis, quam *inſpectio* dicatur, ſi quis baculum in aqua fractum ajat videre, quum ſit integer: aut multos in Iride colores, ubi nulli ſunt. Ego vero cognitionem eam demum voco, quæ ſenſibus bene affectis & in apto medio accipimus: tum quo nos vel evidens producit ratio, & vel cum natura ingenii noſtri ita conjuncta, ut nemo eam non admittat, vel ſimilis veri experientiis ſive noſtris, ſive alienis deducta, confirmata autem a judicio probabilitate conjecturarum impulſo: quarum illa ſcientia nominatur, firma atque indubitata, poſterior autem perſuaſio quædam & opinio. Sed nec cognitio quæcunque eſt ars, verum ea ſola, quæ effectus cujuſpiam ſit regula: quippe quæ temere & caſu contingunt, arte non fiunt: ut impacta per indignationem a pictore ſpongia expreſſam eſſe equi ſpumam; ars enim certi ac deſtinati finis eſt facultas. Nam unaquæque ars primum omnium finem habet, quo ſpectet, quo ſua omnia qua recte, qua oblique, mittat tamquam in ſcopum jacula. Tum in materia verſatur, ex qua exiſtit finis: nec aliud eſt eam in materia verſari, quam de illa tradere præcepta, quæ exercentem, quoad fieri poſſit, ad finem artis perducant. Finis quidem quemadmodum in unoquoque opere, ſic in artibus primus eſt cogitatione, executione ultimus. Sed non item in inventione cujuſque artis. Nam ſunt artes in quibus propter finem quæſita eſt materia, ut in agricultura, in qua omnia ſunt ad vitam ſuſtentandam comparata. In aliis propter materiam deſideratur finis, ut in contemplatione naturæ, quando pulcherrimum hoc opus in admirationem ſui intuentes rapuit: & intuitus rerum atque intelligentia tanti opificii expetita eſt: ad quod materia homines allicefecit. In aliis caſu quodam ars prodiit, ut quum artis illius opus exiſtit, præter deſtinatum artificis: ſicut in multis pigmentis, in intritis menſarum, & nuper in bombarda.

Co-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Cognitionum finis eſt in aliis ipſa cognitio, quæ *artes inſpectivæ* nominantur : ſicuti naturæ contemplatio, & molium, quæ eſt geometria. Aliarum eſt actio, velut in muſica : quum poſt actionem nihil relinquitur, quæ activæ dicuntur : aliarum opus aliquod & effectio præter actionem, ut ædificatoriæ, & medicinæ, quæ *effectivæ* nuncupantur. Sunt quædam iſtrumenta tantum aliarum, velut grammatica, & dialectica : quæ a Græcis ea de cauſa ὄργανα nominantur. Quæ vero in regulas ac præcepta non coguntur, minime ſunt artes, ſed generali nuncupatione *cognitiones* & *peritiæ* quædam, velut rerum geſtarum notitia, conſideratio divinitatis. Quare diffiniatur nobis *ars* collectio univerſalium præceptorum parata ad cognoſcendum, agendum, vel operandum, in certa aliqua finis latitudine. Quamvis relicta ſunt ſæpenumero quædam in arte parum univerſaliter obſervata : ut in conteplatione naturæ. Ideoque ars interim pro generaliore a nobis ponetur, nempe obſervatione, vel etiam interdum cognitione quapiam, ubi nihil erit pericli. Sed admonendi certi fuimus. Materia vero artium non unius eſt rationis ac notæ. Eſt in aliis una & ſimplex, ut in theologia Deus : in aliis una, ſed miſta eſt ex variis : ut in ſtatuaria quo poteſt fingi ſtatua, metallum, ſaxum, lutum, argilla. Quædam materia eſt prorſum naturalis, ut in agricultura : nonnulla artificialis penitus, ut œconomicæ, ac politicæ : eſt alia materia naturalis quidem, ſed a nobis in uſum concinnata, tanquam pictura & ſtructura, & oratio. Artis exercitatio nihil eſt aliud, ac præceptorum ejus executio : ea vero artificis eſt, eoque & ejuſdem ſunt potius inſtrumenta, quam artis ipſius. Artificis finis præceptorum eſt actio. Artis finis ſemper præſtantiſſimum eſt opus, ſcilicet quod ex illa actione exiſteret, ſi nihil prohiberet : ut medicinæ finis eſt ſanitas, medici vero applicatio pharmacorum juxta documenta artis. Ita quod medium eſt arti, præcepta ſcilicet, finis eſt artifici : qua de cauſa neuter unquam poteſt fraudari fine ſuo. Ars enim ſingula rerum non ſpectat, ſed omnes in commune : quæ ea ratione ſunt devinctæ, de qua ipſa præcipit : nam id quod operatur nempe artifex, circa deductas verſatur res ac ſingulares : ars nihil operatur, tan-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

tantum docet. Quoniam non hujus aut illius ſanitatem curat medicina, ſed in univerſum illam conſiderat, quam neceſſe eſt ex præceptis, atque inſtitutione ſua conſequi, quæ poſtea ab artifice in ſingulos hominum tamquam ex fonte deducitur. Quocirca ſi artis documenta, quum nihil foris impediat, ſanitatem adferre nequeunt, nondum perfecte eſt ars exculpta: ſin ſanitatem evenire eſt neceſſe, profecto plena eſt & ſuis numeris abſoluta: eaque ad certum aliquem finem adjicit oculum, quem numquam non adipiſcitur: quandoquidem appoſitiſſima ad illum via intendit. Itaque non de arte eſt hic nobis ſermo, quæ inter homines verſatur, ſed de illa cujus perfectio & in naturæ rerum ſita eſt poteſtate, & in hominum ingeniis: nam ea quam nos tarditate noſtra invenimus, aſſequimur, exercemus, plerumque non ars eſt, ſed vel artis ſimulacrum, vel tenuis aliqua artis portio. Similiter ſit mihi dictum de artifice, qui dolet quidem in hoc aut illo minime ſuccedere; ſine culpa tamen artis, quæ actionum impedimenta præſtare nec debet, neque poteſt; ſine culpa etiam ſua, qui executionem modo & applicationem præceptorum ad finem habet pro ſcopo, & profitetur; ut rhetoicæ eſt perſuadere, rhetoris accommode ad perſuadendum dicere. Quocirca ut appetitus & viæ omnes ſine ſeparantur, ac inſigniuntur, ita artes omnes ſine diſtinguuntur, non materia: nam ejuſdem materiæ eſſe diverſæ artes poſſunt: tamquam ferri, & faber, & cuſor: ligni, tignarius, rhedarius, ſtatuarius: artifices porro actionis modo, materia, inſtrumentis inter ſe diſcriminantur. Præter artis & artificis finem eſt finis hominis: finis vero omnis boni velamento tegitur: quippe finis tamquam ultimum quiddam expetitur, expeti porro nihil poteſt, niſi quod credatur bonum. Bonum eſſe homines judicant quod proſit, malum quod noceat. Juvari autem ſeſe ducunt in animo, & in corpore: & propter hæc duo externa multa in utilitates ſunt repoſita: unde factum eſt, ut quum judicia hominum ſint diverſa, & ex judiciis appetitus varii, alii alios ſibi artium fines ſtatuerint. In his multum valuit pecuniæ reſpectus; omnia huc referunt. Illi nomen & gloriam malunt, illi dignitatem, alii potentiam. Sunt qui artes quæſierunt ad commoda quædam corporis, ſunt qui

ad

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ad voluptates & delicias. Alii prudentiam venantur, & uſum rerum. Alii pietatis cultum, atque incrementa deſiderant: nonnulli horum ſingula, alii multa, alii pleraque. Sunt qui volunt hæc parare, ſunt qui converſare parta: alii ſibi unis, alii iis, quos habent charos, ut liberis: quemadmodum Zenobia Græce ſtuduit, ut doceret filios: & Ariſtoteles operam dicitur dediſſe arti medicæ, ut amicis opem ferret: ſic reipublicæ quidam laborant, complures poſteris, quos filiorum habent loco. Malum vitandum boni loco ducitur: nam effugere malum inter utilia recipitur: ut nanciſci bonum. Et quemadmodum ſtudent multi, ut iis proſint, quibus bene cupiunt, ita non pauci, ut quos oderunt, in his lædant rebus quibus bonorum nuncupatio imponitur.

Illud quoque in nobis arbitror animadvertendum, a quibus, & quemadmodum diſcimus: tum exitus diſciplinæ. Nam & Deus docet, & quos Deus miſit, prophetæ olim: hinc Apoſtoli, & viri ſancti: deinceps per ſcholas alii, quibus id muneris eſt mandatum: interdum Angeli quoque docent, hæretici docent, viri flagitioſi ac probroſi docent, diaboli docent, patres, matres, ſenes, juvenes, pueri, mulieres, viri periti, imperiti. Docent etiam nos muta animantia: ut clyſterem *Ibis Ægyptia:* ſectionem venæ *Hippopotamus: ædificationem hirundines:* & aliæ quarundam herbarum uſum. Jam alii ita diſcunt, nihil ut relinquant temporis civium rebus, amicorum, propinquorum, familiæ, parentum, liberorum, omnia prolixe impendant ſtudiis. Alii ut etiam de tempore, quod natura exigit, decidant, & de valetudine ac mente veniant in periculum. Non deſunt, quod grande eſt nefas, qui nihil reliqui faciant pietati, aut minus quam oportet, cetera facile exequuntur. Sunt quibus omnia prudenter diſpenſantur, quique ſuum cuique tempus attribuunt. Plerique tamen deſidioſi, tamquam id unum ſolum mandatum habeant negotium, otiari, omnia ſucciſivis obeunt horis, & negligenter. Exitum diſciplinæ voco id, quod ea in diſcipulo ſuo exercet, vel in aliis diſcipulus per eam: nempe ut animo fiat melior, pejor, prudentior, ſtultior: in corpore validior, infirmior, pulchrior, deformior: aliquod denique ex tribus illis commodorum aut incommodorum gene-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

generibus vel ſibi paret, vel aliis.

Nunc illud eſt a nobis demonſtrandum, quæ artes, & quatenus noxiæ ſunt homini, qaæ contra utlies. Homo vero, ut unaquæque res, ex fine eſt cenſendus: vanus eſt enim ac miſerrimus, ſi non aſſequatur finem: perfectiſſimus vero ac proinde feliciſſimus, ſi conſequatur. Finis hominis, quem alium poſſumus ſtatuere, quam Deum ipſum? aut ubi poteſt homo beatius acquieſcere, quam Deo velut abſorptus, & in illum converſus? Eadem via redeundum eſt nobis ad illum, qua egreſſi ſumus. Amor cauſa fuit condendi noſtri: nam ut ſe nobis tanta illa communicaret fœlicitas, nos creavit, quo nullum eſſe evidentius amoris ſignum poteſt. Amore ab illo nos ſejunximus, nempe noſtri ipſorum. Amore revocati ſumus & erecti, nempe Chriſti erga nos. Amore revertendum eſt nobis ad noſtram originem, quæ eſt eadem finis noſter, nempe noſtra in Deum charitate: ſpiritalia enim nulla res alia conglutinare, nulla ex multis unum valet facere, niſi amor. Amorem vero neccſſe eſt cognitio antecedat. Deus nos antequam nobis naſceremur, jam diligebat, quia jam noverat, jam illi geniti eramus: nos nati & cognoſcendi vim atque uſum adepti amamus. Quæ autem amanda ſint, fides monſtrabit, traditis unicuique primis & ſimpliciſſimis elementis pietatis de Deo patre omnium, & filio ejus Jeſu Chriſto, qui ad redemptionem noſtræ carnis peccati carnem eandem noſtram induit, ſed ſine peccato. Deinde hæc eadem explicatius quomodo ſint & cognoſcenda, & amanda, non ulla hominum inventa, ſed divina declarant oracula, quæ ſatis ſunt literis per Spiritum ſanctum prodita, in quibus literis abſoluta eſt intelligentia divini cultus, quæ pietas & eadem religio nuncupatur, licet eius vis magis actione continetur, quam peritia. Prima illa elementa non adeo ſunt ſimplicia, quin ad agendum ſufficiant: *ea neminem prorſus oportet ignorare*. Perfectio vero pietatis illorum eſt, qui altius ſeſe attollunt per charitatem, quæ ut ignea eſt, ita ignis modo ſublimes quos poſſidet rapit. Hæc ſunt ejus, cui commiſſus eſt grex, qui & a domino audivit, *diligis me plus, quam hi?* Hunc convenit eſſe doctrina ſana potentem, & *eis qui contradicant, reſiſtere*; ſicut Paulus Apoſtolus admonet. Hæc intelli-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

telligentia divini cultus per ſe ipſam ſuis viribus nititur, & conſiſtit: nec ullis omnino eget adminiculis, imo in illa una cuncti theſauri clauduntur ſcientiæ ac ſapientiæ: omniaque quæcunque ab aliis ſunt gentibus vel diverſis de rebus prodita, vel quadantenus de eisdem, pueriles ſunt balbuties, ac inſcitiæ meræ, ſi cum illa conferantur ſancta & admirabili ſapientia. Hanc oportet eſſe reliquarum inſtitutionum canonem, ſicut Deum ſpirituum, & hominem animantium: ut tales quæque cenſeantut diſciplinæ, quatenus huic materia, fine ſuo vel noſtro, præceptoribus, diſcendi ratione, & exitu congruunt, aut non congruunt. Pietati nulla eſt ex ſe materies contraria, nulla cognitio. Contrarium appello, quod cum fide & charitate pugnat, nempe quod has virtutes vel tollit funditus, vel certe minuit, importatis in animum ſceleribus, & flagitiis. Materiæ namque ex rebus ſumuntur, quas omnes condidit bonus Deus, ideo bonas. Nec ulli bono adverſatur pietas, quum ipſa boni totius ſit caput: nec ſit quicquam in nobis bonum, ſine illa: nec quicquam poteſt ei eſſe inimicum, cujus author ſit ille idem, cujus ipſa cultum, & religionem profitetur, & patefacit voluntatem. Res vero omnes, quo exactius cognoſcuntur, eo magis fores ad ingreſſum intelligendi numinis aperiunt, nempe cauſam ſupremam ex effectis, quod eſt cognoſcendi genus captui mentis noſtræ accommodatiſſimum. Sic perveniſſe Abrahamum ad inveſtigationem Dei ſcribit Philo Judæus. Nam ex cœlis atque elementis, ex ſempiternis motibus, ex ordine invariabili, ex ſtata ratione annorum & temporum aſſecutus eſt profecto eſſe ſapientiam aliquam, a qua iſta omnia tam certa & conſtantia, regerentur. Ergo illam ipſam quæſivit & coluit abjectis ſpretiſque deorum inſaniis, quos ipſe ſibi homo erat fabricatus, ut opus ſuum adoraret ipſe author. Baſilius magnus Moſen tradit a cognitione Ægyptiarum diſciplinarum ita mentem exercuiſſe, ut perveniret ad contemplationem τῦ ὄντος. Hac de cauſa ſanctus vates canit, *cœlos enarrare gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiare firmamentum*, & Paulus, *inviſibilia Dei per viſibilia intelligi*. Prætereo quæ de naturali magia ſcribit Joannes Picus, quod utilis ſit, ut manifeſto deprehendantur miracula Ser-

va-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

vatoris noſtri naturæ vim & facultatem omnem exceſſiſſe. Equidem inimiciorem cenſeo pietati ſuperbam ignorantiam , quam modeſtam peritiam : idque videmus paſſim uſu evenire, ubi ſit inſcitia, ibi non admodum vigere veram, ſynceramque pietatem . Cognitionem autem veram voco , aut vero quantum liceat confinem , ac ſimilem . *Nam rudes falſæque conjecturæ pro fundamentis cognitionis poſitæ pietatem poſſent lædere :* quod genus ſunt *Epicuri* de *voluptate* placita, quod *hominis ſummum ſit bonum :* tum de anima noſtra, & de diis, quæ ab eodem, & aliis ſunt ut impie , ita etiam dementer affirmata . At hæc impoſturæ dæmonum, quæ omnia ex cognitionum numero paulo antea demovi. Nocet pietati cognitionis ſcopus, ut in artibus , quæ ad lædendos homines ſunt paratæ , de quo genere ſunt *philtra* , incantationes , & diſciplinæ militaris ea pars, quæ ad vim hominibus & cladem inferendam pertinet : & tota confectio machinarum belli , reliquæ etiam artes malæ, quia maleficæ . *Jam fines noſtri impii ſunt* , quum ea gratia diſcimus , ut *lædamus* . Nec virtutem non diminuunt , quæ oſtentationi quærimus : cujuſmodi eſſe quidem poſſunt artes omnes , ſed neceſſario ſophiſticæ , quæ aliorſum quam ad vanam quandam jactationem ac libidinem non poſſunt referri . Curioſa etiam delectatio ſcrutandi nihil ad pietatem facit , quæ quidem nulli eſſe valeat deinceps uſui ad vitam . Magiſter gentium Paulus non patitur nos *curioſis ſcientiis abduci :* & in Actis Apoſtolorum multi eorum, qui *artes erant ſectati* non malas, inquit , aut impias , ſed *curioſas* tantummodo , ejuſdem Apoſtoli doctrina adducti , publice libros ſuos exuſſerunt, quorum pretium ſummam reddebat haud contemnendam. Hujus ſunt generis præſtigiationes , chalchymia , ſive metallificium , divinationes , & aliæ impoſturæ . Quæ vero fœdas corpori voluptates conciliant per ſenſus omnes, quantam pietati plagam infligunt ? ſiquidem univerſam mentis vim immergunt in corpus , coguntque obbruteſcere , ut attollere ſe , ac de Deo cogitare principio ægre poſſint , mox ne ferant quidem .

Periculoſum eſt , ſi quis ab eo diſcat , cujus verba & conſuetudo pejores nos dimittant , quam acceperant , & eo magis quum naturæ noſtræ vitiatio conciliat authoritatem do-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

doctrinæ . A dæmone autem aliquid discere impium, cum quo nullam omnino vult nobis esse Dominus communionem : quippe astus ejus ac vafricies, quæ sunt plurimæ ac multifariæ, ad nos fallendos sunt instructæ omnes, avertendosque a bono illo, cui sumus conditi. Hujuscemodi sunt artes, quarum dæmon & magister & inventor fuit: quasique fœdus habent cum eo vel apertum , vel occultum, non defuturum ipsum exercentibus , ut in μαντείαις plerisque , sortilegiis, vaticiniis, quibus homines facile humano imponunt ingenio, avido se in abstrusa, aut ventura immittere.

In discendi ratione, atque exercendi valde illud improbari debet, deseri propter humanas artes pietatem vel in totum, vel magna ex parte: nec tantum ei impendi, quantum opus est nobis ad iter hoc conficiendum beatæ immortalitatis . Quum vitæ etiam officia deseruntur necessaria vel publice , vel privatim , si in morbum incurrimus, quem instantem jam atque impendentem facile providerimus ; tum enim non solum sunt disciplinarum exercitia seponenda , sed vitæ inexcusabiles quoque domi atque in civitate functiones.

Præter hæc omnia eventus non debet prætermitti. Quippe in multis artes atque eruditio religionem solet deterrere, ac pejoris conditionis facere : velut inquisitio rerum naturæ, rerum reconditarum, quæ vel locis secretis occultantur , vel temporibus venturis involvuntur, quas Dominus sibi uni reservavit , ut nec Apostolis dignatus sit communicare, vetans illos *tempora* , & *articulos temporum* rimari, *quos Pater posuisset in sua potestate* : consueverunt enim hæc a fiducia Dei traducere ad fiduciam rei conditæ. Sunt quæ augent fere vitia , & plurimum de virtutibus detrahunt : tamquam libri altercatorii , rixosi , contentiosi : in quibus contra veritatem se armet ingenium: & impia laudis affectatione malit veritatem obscurari , quam ipsum cedere. Eodem pertinent libri de vitiorum laudibus, nempe crudelitatis, belli, pecuniæ, tyrannidis , fraudum. Sed de rebus potissimum lascivis, quales sunt *Milesiæ fabulæ* , quibus nihil est neque insulsius , neque impurius ; tum multa in poëtis, pleraque omnia in cantiunculis, ac libris vulgaribus linguis conscriptis. Quæ omnia

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

mnia prout cujuſque eſt ingenium, cenſerentur : nam alia aliis ingeniis conveniunt, ut palatis, & ventriculis. Neque eſt enim ulla adeo bona cognitio, quam nos non poſſimus corrumpere : ut nullus tam ſalubris cibus, qui peſtilentia correpto non fiat peſtilens. Sed quamvis nulla eruditio, & peritia pietati non ſerviat ex ſe, non hoc tamen eſt conſiderandum unum, ſed quid nobis conducit : quandoquidem artes ac diſciplinas non propter ipſas diſcimus, ſed propter nos. Quemadmodum omnia ſunt in hoc Mundo a Deo condita, ideo etiam bona & pulchra. Bona vero hæc non omnia ubique ab omnibus ſumenda. Bona quidem illa ſunt in ſe ubique, non tamen nobis. Ita in diſciplinis, & cognitione omni ſtatuendum eſt. At vero ut ſit quiſque affectus, quomodo contemplandus, ut cui rei ſit idoneus, judicetur, a qua illi abſtinendum, ſicut de corporibus dicet peritus medicus poſt uſum cum illis aliquem, ita de animis vir prudens excellentia ingenii, judicii, doctrinæ, ad tantum munus aſcitus : quibus tantis ad arbitrandum facultatibus conſuetudinem adjunget aliquam. Cui nos rei nonnihil adjumenti afferemus explicatione ingeniorum, ſed hoc poſt paulum.

Nunc autem quæ artes Chriſtianis congruant, ſalva pietatis ſuæ cuſtodia, oſtendamus. Nam hæc, quod ſæpe diximus (ſæpe eſt enim dicendum) prima ſemper debet oculos obverſari : nec ab illa mentis intentionem dimovendum. Si cui vel in prima ſui origine, quum a natura fingitur, vel deinde munere aliquo Dei ampliſſimo ac proſperrimo, tanta eſſet tributa mentis præſtantia, ut ad illud ſe faſtigium divinæ ſublimitatis attollens, in eo tanquam in jucundiſſimo & naturali ſibi quodam domicilio conquieſceret, & humanis omnibus deſpectis faſtiditiſque, ceu incola quiſpiam fieret illius inacceſſibilis lucis, quam incolit ſancta illa & præpotens natura : ne iſte majorem humana ſortem nactus, vitam quandam in hoc corpore degeret angelicæ propiorem, quam humanæ : huic nullis eſſet artibus, nulla alia cognitione opus : nulla huic neceſſitas minaretur, nulla terreret altiorem caſibus & neceſſitate omni. Ad hanc vitæ excellentiam quadantenus

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

videntur acceſſiſſe illi, qui in ſolitudine & locis remotiſſimis ætatem tranſegerunt ſeparatam ab humanis commerciis, conditam & condulcoratam angelica conſuetudine, atque colloquiis, Pauli illi, & Antonii, & Hilariones, vel corporis ſui negligentes, nedum externarum rerum, affixi perpetuo & hærentes illi, cum quo beatiſſime erant infinita æternitate victuri. Sed hi perpauci fuerunt, & ex quadam celſiſſima, ac plane divina nota grandi beneficio Dei ſelecti. At reliqui quibus ad tantam aſpirare felicitatem non eſt datum, quum velut oculos a ſublimi illo intuitu demittunt, non debent ſeſe abdere in torporem quendam otii, ut penitus nihil agant. Dominus in Mundi primordio labori addixit filios Adæ: ex qua ſententia illud ſcriptum eſt a Paulo ad eccleſiam Theſſalonicenſium: *Si quis non operatur, nec comedat.* Solomon *formicæ* exemplo *ſegnes* ad opus extimulat: & David *beatum* eſſe ait *illum, qui panem edat labore manuum ſuarum quæſitum.* Dominus noſter in Evangelio ſuo non *laborem* tollit, ſed *anxiam ſolicitudinem* de ſucceſſu, quod eſt *μεριμνᾶν*. Itaque non decet quemquam in Eccleſia otioſum & inertem vivere. Nam etiam ſancti illi eremitæ, quum ſe ardor die contemplationis interdum remiſerat, exercebant ſe variis operibus, pars manuum, quidam ingenii.

Artes vero ac peritiæ quænam erunt? Quænam aliæ, niſi quæ ad finem pertineant vel huic vitæ, vel ſempiternæ neceſſarium? nempe quæ vel pietatem excolant, vel vitæ neceſſitatibus ſuccurrant, vel certe utilitatibus, quæ a neceſſitate non multum diſcedunt. Pietatem porro vel noſtram ipſorum dico, vel alienam: quemadmodum etiam neceſſitates. *Tanta eſt temporis unicuique* aſſignati brevitas, & in *brevitate hac tanta fugacitas vitæ*. Tum ea quibus indigemus ad animi cultum, aut corporis ſuſtentationem noſtri, vel aliorum, adeo multa & varia, ut ad ſuperflua de tanta temporis penuria aliquid ſuccidere, manifeſtæ ſit dementiæ. Ad utilia non ſatis eſt temporis; & vacat alicui redundantia conſectari? Neceſſitatibus corporis ſubvenitur alimentis, medicina, indumentis, habitatione: peritia eſt in his quemadmodum parentur, & conſerventur, quis ſit uſus. Excolitur & purgatur

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

gatur animus iis, quæ illi vel lucem adferunt, ut noſcat, vel ardorem, ut quæ amanda ſunt, proſequatur, fugienda vitet: ad hæc partim aliunde tradita accipienda, partim excogitanda per nos ipſos, atque exercenda. Facultatem unam dedit nobis Deus, mentem in animo: inſtrumentum unum, manum in corpore: queis duobus reliqua omnia animantia longe anteimus. Quantum enim inter animos mens excellit, tantum inter corporum inſtrumenta, humana manus. Sed de iis, quæ hominum manus efficiunt, alibi erit dicendi locus: nunc de ingenii exercitamentis loquamur.

In mente duo inſunt potiſſimum, *vis intuendi*, quæ dicitur *mentis obtutus*, ſeu *acumen*: & eorum, quæ mens aſpexerit, *vis* quædam *judicandi*, ac *ſtatuendi*: quorum illud prius ad ſpectationem ſolum pertinet, poſterius ad ea quæ ſunt homini agenda. Animus humanus vagatur per cœlos, per elementa, per lapides, metalla, ſtirpes, animantes, per hominem: non ſimpliciter: nam & ejus corpus, & animum ſcrutatur, & quæ utriſque accidunt vel perpetuo, vel intermiſſionibus temporum. Hinc tranſit ad humana inventa; quæ contemplatio patet latiſſime: hinc per ſpiritus ad Deum ſummum & præpotentem. Quæ omnia prout vires ferunt, accepta tradit judicio: hoc vero alia aliis confert, & inter ſe, & ſecum ipſa: tum oſtendit, quæ utilia, quæ noxia, quæ neutra ſint corpori in victu, veſtitu, ſanitate, habitatione, ad neceſſitates, ad commoditates, ad copias: quemadmodum hæc paranda, conſervanda, ſumenda in uſum. Similiter proſpicit animo, quæ proſint quæque obſint ad cultum, & lucem mentis; unde is melior evadat, vel deterior, eadem ratione, qua prius diximus; ut parentur, ut conſerventur, ut utamur. Verum enim vero homines nati ad ſocietatem ſumus, nec vivere penitus abſque illa poſſumus. Hoc enim ſapienter eſt curatum a natura, tum ut arrogantia ſuperbiſſimi animalis retundatur, poſtquam ſe tam multorum indigum circumſpexit, tum ad conciliationem amoris mutui, qui uſu & converſatione coaleſcit, tanto & facilius, & tenacius, quanto minus ſe admiſcet arrogantia, diſſolutio totius glutini humanæ concordiæ. Societatis vinculum eſt bonitas, rector judicium, in quo

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſita eſt prudentia, & moderatio vitæ univerſæ. Prudentiam vero auget uſus a memoria conſervatus: parum quippe magnarum & multarum rerum proficeret cognitio atque experimentum, niſi eſſet ubi hæc conſervarentur, ne effluerent, & quum opus eſt, præſto adeſſent. Uſus vel noſter eſt ipſorum, vel alienus ad nos commonefaciendos, nobis relictus exemplis rerum geſtarum, vel tanquam geſtarum; quibus hiſtoria omnis continetur, & fabulæ, & apologi, & parabolæ; denique omnis memoria eorum, quæ dicta eſſe aut facta vel pro certo traditur, vel ad homines inſtituendos apta ſunt, & conficta. Eodem referuntur proverbia, & ſententiæ, omnia denique quæ ex quorundam animadverſione annotata, in populo remanſerunt tanquam publicæ opes in ærario communi.

Ad exercitium ſocietatis ſermo eſt hominibus tributus: quando enim tecti ſunt noſtri animi tam denſo corpore, quænam eſſet ſocietas? quam emortua & torpens, ſi tota eſſet in oculorum aſpectu collocata, ſi tam varios noſtros cogitatus mutis ſolum nutibus promeremus? quod nec eſſet promere, ſed magis accendere cupiditatem cognoſcendi in aliis: ſicut videmus iis contingere, qui inter ſe non intelligunt. Sermonis vicem licere obtinent inter abſentes, ſive locorum intercapedine, ſive temporum ſeparentur, grande ſubſidium memoriæ, & teſtimonium fidele rerum actarum. In ſermone duæ ſunt artes, neceſſitatis altera, ut ſit emendatus, quod non tam ad cultum quendam, & nitorem valet, quam ad intelligentiam: altera commoditatis aut delectationis, in qua eſt omnis elegantia, cultus, ac ſplendor dictionis: huic adjungitur accommodatio ſermonis rebus, locis, temporibus, perſonis; quæ naſcitur ex prudentia, eaque rhetorica nominatur. Sed quia effrenati animi non raro ad alienam injuriam proruebant, leges ſunt natæ, & juris limitatio promulgata, id eſt, carceres objecti libidini, quam non cohibebat ratio tam vicina. Quæſita ſunt quædam ceu ferramenta, queis facilius ac commodius in hiſce verſaremur: ad moles & magnitudines vel explorandas, vel movendas loco, vel conſtituendas ac figendas ubi eſſet opus; ars excogitata, quæ dicitur *geometria*: ad computationem, qua nulla vitæ pars poteſt carere, *arithmetica*.

In

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

In perſcrutanda veritate, quæ nobis ita occultatur, adjuvatur judicium inventione *probabilitatis* : in cenſendis iis, quæ ad conjecturam aſſumpſit, inſtrumento utitur dialectico, quæ *cenſura veri* nuncupatur. Acceſſit his omnibus laxamentum & recreatio animi per harmoniam ſonorum, quæ eſt *muſica* : ſub quam *poëſis* omnis venit, quæ concentu numerorum conſtat : tametſi numeros quoque ſuos habet *oratio* pedeſtris, non tamen lege definita & perpetua, ſicut *poëma*. Hæc quidem excogitavit animus ſua induſtria, accepta munere hujus opificii Dei, quod *Natura* dicitur. Longe omnia ſuperat peculiare illud Dei beneficium, quod unum vice univerſorum, quocumque dignatur accedere. Nobis tamen, quibus propter magnitudinem flagitiorum non dignatur Deus illud ad ſingula præſtare, adhibenda eſt diligentia, ut quæ conducant eruamus, prælucente lucerna, quam ille humano generi reliquit. Ergo hæ ſunt materiæ ac fines cognitionum, earum, quæ cum pietate non diſſident, imo vero & proſunt corpori ; imo vero & proſunt corpori, & earum multæ excolendo animo vehementer pietati deſerviunt. Artes hæ, ſive quis *cognitiones* malit nominare, pluribus rationibus ac modis limitari poſſunt, quam explicari queat, ut cuique fines ac metas viſum erit defigere : nam & conjungi inter ſe ſeparatæ quædam poſſunt, & conjunctæ ſeparari : ut ſi quis de natura unam artem, & cognitionis rationem faciat, quæ in animantium & ſtirpium contemplationem poteſt tribui, & de ſtirpibus in herbas, in frutices, in arbores. Sed nos ad diſcentium, niſi fallimur, commoditatem, hunc in modum partiemur : ut quæ ad cognoſcendum ſeu contemplandum pertinent, ſint primum *aſpectus* quidam faciei naturæ, qui plane eſt ſenſuum : velut intuitus quidam picturæ : non aliter quam quum urbes populi, gentes, nationes, montes, fluvii in tabella proponuntur oculis : hæc nominentur *aſpectus*, ſive *contemplatio* : qui vero hujus eſt peritus, *aſpector*, ſive *contemplator*. Deſcendet altius mentis acies ad intimum Naturæ opificium, quod in penetralibus verſatur cujuſque rei, quo animo eſt magis aditus quam oculo, etſi per oculum tamen : is eſt *primus philoſophus*, ſeu *intimus* : ſcientia autem *prima philoſophia*, vel *intimum Naturæ opificium*. Ex utriſque

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

exteriores cauſas ſcrutatur vir ſapiens, quæ oculis viciniores ſunt & reliquis ſenſuum : quæ peritia *ſcrutatio* nominetur, ſeu *inveſtigatio :* peritus autem *ſcrutator*, vel *inveſtigator*. Poſt quæ ad ea tranſcendet, quæ omnem penitus ſenſum effugiunt : cogitatione ſola inveſtigantur, eas *res ſpiritales* nominare conſuevimus, quarum diſciplina ſit *ſpiritalitas :* profeſſores ipſi *ſpiritales*. Ex quibus omnibus colligitur rerum narratio fuſa jam & copioſa, & quæ non effecta ſolum, verum cauſas quoque complectatur, explicando potius, quam inquirendo, quæ eſt *hiſtoria Naturæ*, & qui in ea verſatur, *hiſtoricus* illius. Accedat ad uſum contemplatio : præſcribet, quænam admittenda in menſas, quæ a Græcis *diæta* dicitur : vocemus illum & nos *diæticum*, aut ſi quis aliis vocabulis delectatur, *veſcum*, *eſualem* : tribuat his quiſque quantum volet, modo res maneant. Tum ad ſalutem vel conſervandam, vel inſtaurandam *medicina*. Cujus partem Hippocrates *eſualem* facit: atque hujus inventionem ad medicos refert. Satis proſpectum eſt corpori, tranſeundum eſt ad animum, & conſuetudinem hominum inter ſe. Sunt præcepta, quemadmodum quiſque compoſitum & conſtitutum debet animum habere : quæ ars de moribus *ethice* nominatur, & qui eam profitetur, *ethicus*, ſeu *moralis*. Sunt præcepta, quæ docent quomodo quis ſeſe geret privatim domi, quomodo publice in civitate : illa ſunt *œconomicæ*, hæc *politicæ*, unde *œconomici* dicuntur, & *politici* : verba Græca ſunt, Latinis auribus non inaudita. In ſermone ſunt regulæ, quæ ad emendatam elocutionem faciunt, quæ eſt *grammatica*. Sunt quæ ad aptationem conſentaneæ orationis rebus, perſonis, locis, temporibus, quæ eſt *rhetorice*. Scrutatio illa & rerum, & verborum, & authorum veteris memoriæ, obſervatio atque annotatio eorum diligens, quæ grammaticæ eſt conjuncta, *philologia* nominatur : & qui eam præſtat, *philologus*. Uſus vitæ, exempla majorum, cognitio præſentium facit eum, qui Græca voce *polyhiſtor* dicitur, quaſi *multiſcius* : nobis ſit ſane honeſtiore nuncupatione *prudens* : & ejus tractatio, *prudentia*. Sequuntur aliarum inſtrumenta, *geometria*, *arithmetica* : quarum callentes ſunt *geometræ*, *& arithmetici*. Tum de inventione probabilitatis, *inventor* : de cenſura inventorum, *cenſor*. *Muſicus* ver-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

verſatur in muſica: in poëſi, *poëta*. In rebus divinis & ſacris vel conſideramus, quantum licet mortali, ſanctam illam naturam, vel ea, quæ nos ad illam adducunt, nempe ejus præcepta, & viam: qui circa priora verſatur, *theologus*, qui circa ſecunda, *theonomus* appelletur. De his duobus alias, nunc de prioribus diſſeramus, quemadmodum tradenda ſingula, atque excipienda exiſtimemus. Cognoſcenda ſunt ex libris omnia, nam ſine libris quis ſperet ſe magnarum rerum ſcientiam conſecuturum? Si quidem Dei afflatus perpaucos docet; & quos docet, iis ſolum ea perhibet, quæ maxime ſunt ad ſempiternam illam felicitatem neceſſaria. Videlicet tanta Numinis indulgentia perquam rari præbent ſe dignos, hoc eſt idoneos: nec fas eſt ut divini magiſtri doctrina ad exhibenda hæc humilia ſeſe demittat. Itaque ſtudioſo homini vel libris eſt utendum, vel qui locum librorum expleant, magiſtris, aut reſtat utique, ut harioletur. Sed ſicut in unaquaque re obſervationes infinitæ ſunt, neque eſt enim res ulla tam expoſita ſenſibus, quæ ſatis non ſit ad multa ingenia diutiſſime exercenda: ita libri ad immenſum numerum excreverunt, ſingulis, quæ vel ipſi animadvertiſſent, annotantibus, vel quæ eſſent ab aliis prodita, compilantibus: ut jam, non dico de multis artibus ac ſcientiis, ſed nec de una aliqua, quæ ſcripta ſunt, monimenta, iis legendis vita ſuffecerit, nedum intelligendis. Seneca auctor eſt, negare Ciceronem, ſi ſibi vita duplicetur, ſuffecturam eam percurrendis lyricorum vatum carminibus. Quod ſi illa omnia, quæ a priſcis illis philoſophis, hiſtoricis, oratoribus, poëtis, medicis, theologis ſunt edita, perveniſſent ad hanc ætatem, nihil eſſet nobis aliud habendum domi, quam libri: in libris fuiſſet ſedendum, libri fuiſſent calcandi, incurrere in aliud non poſſent oculi, quam in libros. Etiam ut nunc quidem eſt, non paucis terror incutiur, & odium ſtudii, quum offeruntur eis in quaque diſciplina inexhauſti laborum volumina. Deſpondent actum animos, qui ea intuentur: & miſeri intra ſe querunt: *quis leget hæc?* Quibus de cauſis in unaquaque arte ac peritia libri debent aſſignari, qui enarrandi ſunt in ſcholis, qui ſecreto ſtudio legendi ac evolvendi: ne ævum adeo breve ac fugax in ſupervacaneis, & non raro noxiis

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

quoque consumeretur: & prius avolaret, quam ad frugifera veniretur. Hoc qui faceret, magna scientiarum notitia & acrimonia judicii fretus, næ is mea sententia ingens in universum hominum genus beneficium conferret. Nec contentus esset libros nota quadam insignisse, sed ex libris loca etiam indicaret unde singula essent petenda. Quod nos quadam ex parte facere aggrediemur: quo successu, non multum laboro, certe optima voluntate, & qua multorum ingenia excitabimus, eorum præsertim qui beneficium hoc prolixius & cumulatius præstare poterunt nationi studiosorum, sive majore mentis vi instincti; sive cognitione rerum uberiore instructi. Equidem neque hoc, neque ullum aliud bonum invidebo generi humano, a quocumque proficiscatur: & me in postremum, aut etiam in nullum rejici locum jucundissimum mihi erit intuenti profectus humanæ sapientiæ: qua sapientia si quo alio tempore, certe hoc isto plus quam credibile est, mortalitas nostra indiget, collapsa in altum flagitiorum ac scelerum. Persecuturum me Scriptores omnes legi dignos non est fiducia, ac ne possem quidem impeditus non tam eorum turba, quam vel ignorantia, vel oblivione mea. Libertatem hanc consuletis boni, memores rem esse studiis maximopere conducibilem, dumtaxat quod non tanti oportet æstimari meam censuram, ut ea satis sit ad movendum ordine Scriptorem ullum infimæ classis, tantum abest ut primæ. Itaque de singulis artium verba faciemus, & quemadmodum videantur nobis tradendæ, & quid in quaque earum bene ac utiliter existimemus a Scriptoribus proditum. Ante omnia quandoquidem necessitates sunt in vita variæ, crebræ, & per momenta singula aliæ ex aliis succrescentes, ut nobis recte expendentibus nullum superfit tempus ad ludendum, referendæ sunt artes non ad inanem aliquam delectatiunculam, sed ad usum. Recte Galenus *artes illas nuncupari* non patitur, *quæ utilitatis nihil adferant vitæ*. Quare tametsi nonnullarum artium finis est, sicut ostendi, *contemplatio*, ea tamen sui ipsius finis esse non debet, sed ulterius in usum aliquem progredi. Quod si arti alius non est propositus scopus, certe alium esse convenit artificis. *Contemplatio Naturæ* immensa, infinita est, cujus alto

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

alto ſi quis ſe credat, nec quo cupit perveniet, & amittet vitæ fructum omnem, niſi quæ ſtudio erit conſecutus, vel ad vitæ commoda, vel ad ſuſpectum atque admirationem authoris traducat. Quin etiam in vita hac *contemplatio Dei*, qua mirabilius dici nihil poteſt, nihil amplius, aut præſtantius, ad uſum eſt tamen aliquem convertenda, ut accendamur, ut rapiamur, ut conjungamur illi. Admonebimus itidem nunc velut in veſtibulo, quoniam quidem conſuetudinem ſcelerum ſupra modum adolevit humana malitia, multum invaluerunt pravæ animi affectiones: ut purius tradantur artes, ſimplicius, minus infectæ, ac imbutæ vafritie, atque impoſturis, ut quoad ejus fieri valeat, veræ illi ac germanæ ſimplicitati Chriſtianus populus reddatur: & pauciores habeant diſciplinæ omnes ſcintillas, quibus ſuccendantur animi, uſque eo ad grandia per ſeipſos & ſæva incendia parati. Elimata eſt nimium malitia, & ad cotem pravitatis judicium exacutum, nihil opus eſt majore acrimonia, ſed potius tamquam retuſione quadam: non quo imprudentes fiant homines, ſed ut ſynceri magis ac ſimplices, atque ea de cauſa prudentiores, non aſtutiores: eo enim futura eſt vita noſtra beatior, quo minus contaminata fraudibus & captionibus, ſimilis priſcorum hominum, quos animorum rectitudo, & ſimplicitas divinis colloquiis dignos reddebat. Adde quod diſciplinæ breviter ac pure oſtenſæ, acumen, judicium, prudentiam, communium rerum uſum adjuvant: longa earum tractatio retundit vim mentis, & moleſtiſſima eſt: de qua in concione viri ſapientiſſimi ſcribitur: *In multa ſapientia multa eſt indignatio; & qui addit ſcientiam, addit & laborem.*

Hoc loco juſtiſſima quæſtio occurrit de libris prophanorum hominum, nempe Gentilium, Agarenorum, Judæorum, legendos eos cenſeam, an-ne rejici in totum oporteat? quippe in quibus eſt multum malitiæ ac fraudum, ad omneſque animi motus inconſultos ac facinoroſos *plurimum veneni*. Gravior quæſtio, & cura dignior, quam quivis facile arbitretur; de qua nihil poſſit ſemel in univerſum dici. Poſitum eſt a nobis paulo antea nullam cognitionem rerum obeſſe pietati. Gentilium opera bene lecta nihil prorſum nocuerunt ex Græcis Origeni, Juſti-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Juſtino, Baſilio, Nanzianzeno, Chryſoſtomo: ex noſtris Tertulliano, Cypriano, Lactantio, Hieronymo, Ambroſio, Hilario, Auguſtino, Gregorio, Iſidoro, Thomæ: quibuſdam etiam vehementer profuerunt, ut Auguſtino Ciceronis Hortenſius. Nocuerunt multis, veluti Luciano, Juliano Cæſari, Pomponio Læto, Domitio Calderino, Codro Urceo. Multi in ſe experiuntur pietatem ſuam ab illiuſmodi literis alias vegetari, alias hebeſcere. Quapropter neceſſe eſt libros illos illos, ceu latum quemdam eſſe agrum, in quo herbæ proveniant partim utiles, partim noxiæ, partim ad delicias paratæ, vel ornamenta, ut floſculi quidam. Habent utilia, contemplationem atque inveſtigationem naturæ rerum ad dapes, ad valetudinem, ad totam vitam: habent mathematicas diſciplinas ad multa conducibiles. Habent antiquitatis & omnis memoriæ cognitionem, exempla tot dictorum, & factorum, acute, graviter, feſtive, ſancte, quibus excolitur prudentia, atque adjuvatur? totam denique illam, quæ encyclopædia dicitur maximæ commoditatis ad vitam, in qua quæ obſervaſſent, atque animadvertiſſent, diligenter conſignata poſteritati reliquerunt. Quo fit ut homines quamlibet ingenioſi non tam in multa vigore mentis poſſint pervadere, ſi ſint indocti, quam qui mediocri ſint ingenio & doctrina præditi: his enim velut ſubſidio ſunt multi: illi vero, ut maximi ſint ingenii, *certe ſinguli ſunt & ſoli*. His accedunt, quæ ad eamdem faciunt prudentiam, veri & inveniendi, & judicandi inſtrumenta. Adferunt inſuper acutas, & magni momenti inſectationes vitiorum, virtutum laudes, quibus uti nobis licet ad rem noſtram, & contra noſtros vitioſos. Habent præterea dogmata & ſententias majore quadam incitatione naturalis boni excuſas, quæ in uſum noſtrum traducta, ingentia præbent nobis ad res multa adjumenta. Habent poſtremo ornatum omnem, cultum, elegantiam, ſplendorem ſermonis. Admiſcent tamen his tam ſalutaribus pernicioſa non pauca, & quaſi venenum melle, aut ſuaviſſimo vino temperant. Scrupulos, & ſuſpiciones de rebus pietatis, quodque eſt præter cetera peſtilentiſſimum, deriſum etiam apertum, & nonnumquam inſectationem quoque: quum luſcioſi, ac infirmi oculi intendere in tantum fulgorem non ſuſtinerent.

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

rent. Tum multorum vitiorum laudes, ut ſuperbiæ, iræ, crudelitatis; admirationem atque adorationem potentiæ, opum, voluptatum: enarrationem eorum vitiorum, quæ commemoratione ſola audientes contaminant: ut libidinis, ultionis, vani decoris. Aperiunt ſcholas verſutiæ, fraudum, impoſturæ. Unde neceſſe eſt animo, velit, nolit, multum doli & captionum adhærere, quas in occaſione exerceat. Nam ut eorum curæ ac cogitatus ad ambitionem referebantur, vel quæſtum, ea ſequebantur modo, per quæ vel pecunia parari, vel honor poſſet. Ei qui ſcit eſſe damnoſa hæc, quique ea cognoſcit, fortaſſis nihil foret periculi per hæc ingredi, & quæ viderentur, decerpere: quin ſapientes viri haud ſecus noxiis utuntur interim contra noxia, ac periti medici venenis contra venena. Sic illi conferunt hæc cum noſtris ad demonſtrandam & illorum impuritatem, & excellentiam noſtrorum: ut collatione tenebrarum illuſtrior appareat noſtra lux. Denique omnibus bene utuntur vel pro ſe, vel contra illos: ut qui noſtrates adverſum Gentes ſcripſerunt jugulantes eos ſuo ipſorum gladio: quorum catalogum *Hieronymus* exponit, Magno oratori reſpondens, quem Calphurnius Lanarius ſubornarat. Idcirco *Julianus apoſtata*, quum maxime perſequeretur Chriſtianos, artes eos liberales vetuit docere: ne ſcilicet de aquila pennas evellerent, quibus aquilam configerent: qua imagine uſum eſſe illum ajunt, quum ſe ſuis artibus imperitum deprehendiſſet. Periculoſa ſunt hæc curioſis, quales illi ſunt, qui non dubitant cicutam guſtare, & experiri cujus ſit ſaporis, id quod hominem extinguit. Item imperitis, incautis, qui dextere uti neſciunt. Eſſet omnino conſultiſſimum propter infirmitatem & tenebras noſtri ingenii, hæc eſſe repurgata, ut nulla occaſio nocumenti foret reliqua, vel ut in iis demum campis verſaremur, in quibus ſolæ herbæ utilitatis cujuſquam, aut honeſtæ voluptatis creſcerent, a probo & prudenti agricola illic ſatæ, ex tutis viridariis ſanctæ religionis deſumptæ, aut quæ convenirent, ex periculoſis agris huc translatæ, tamquam theſauri *Ægyptiorum* ad ornatum templi converſi. Quanto & fructuoſius & jucundius hic in noſtris pratis ſpatiamur, ubi nullas nec ab herbis, nec a ſerpentibus inſidias metuimus, quam in illa Aſia, aut Africa.

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ca inter ſuſpecta & periculoſa. Sanctus Ambroſius ſapienter ac pie opus Ciceronis *de officiis*, quod plenum eſſet bonarum rerum ac vitæ conducentium, ad pietatem noſtram tranſtulit, tutius judicans hauriri illa de Chriſtiano pectore manantia, quam de Gentilitio. Intelligentia ac peritia mali paucis prodeſt, præſertim ſi quemadmodum malo illo uti poſſimus, oſtendatur cum aliqua noſtra vel oblectatione, vel ut vulgo ſolemus loqui, utilitate. Hac de cauſa infirmitatem noſtram reputans Dominus, tum occultas & fraudulentas dæmonis inſidias, vetuit ne quid penitus nobis eſſet cum illo commercii: fortaſſis aliquibus poſſet eſſe citra damnum, *ſed commune periculum in commune prohibetur*. Itaque nemini bono viro arbitror in dubium venturum, quin præſtet vel a Chriſtianis accipi doctrinam Chriſtianam Chriſtiane traditam, vel ex monimentis impiorum, reſecti iis, quæ integritati bonorum morum poſſent officere. Quod perfici ſi non poteſt, ſaltem præeat viam vir aliquis non ſolum eruditione præditus, ſed probitate etiam ac prudentia, cui nos credamus tamquam duci, qui a periculis dimoveat vel tacite extra ſignificationem periculi, ne curioſorum cupiditatem irritet; vel quibus conveniet, aperte demonſtret, quod malum deliteſcat; & percognitis eorum, quos ducit, ingeniis, tantum cuique permittat, quantum cenſebit expedire. Hunc in modum accipietur in connubium Gentilis femina reſectis unguibus & capillis juxta ritum filiorum Iſraëlis, ſicut Divus Hieronymus interpretatur.

Libri Primi De tradendis diſciplinis.

F I N I S.

JOAN-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

JOHANNIS LUDOVICI VIVIS VALENTINI DE TRADENDIS DISCIPLINIS.

LIBER II.

SEquitur jam, ut dicamus, quæ, quo modo, quatenus, a quibus, quo loco ſint tradenda ſingula. In omnibus illud potiſſimum ſpectandum, ut ſincere exibeatur inſtitutio, ne probi mores vel corrumpantur, vel utique retardentur & hebeſcant.

Primum omnium de loco video dicendum, nam is in conſtituenda ſchola primus etiam ſolet proſpici. In quo hæc conſiderari convenit, cœlum ut ſit ſalubre, ne ſubinde profugiendum ſit ſcholaſticis luis metu perculſis. Alexinum philoſophum Elienſem, quod in loco doceret inſalubri, tum in rerum multarum, quæ uſui erant neceſſariæ, penuria, diſcipuli deſeruerunt omnes: & quidem, quum vehementer probaretur, ac placeret. Sed nec minus vernantem, aut amœnum elegerim, qui ſcholaſticos ad prodeundum ſæpe ſolicitet, niſi forte delicioſis diſciplinis ſit danda opera: ut poëticæ, muſicæ, hiſtoriæ. Hanc cœli gravitatem arbitror electam fuiſſe a Platone in Academia, ſuburbano Attico. Nam ſi omnino inſalubritatem eſt ſecutus, parum ipſe conſilium mihi ſuum probarit. Sanos enim neceſſe eſt eos vivere, qui bonam & diligentem operam navaturi ſunt ſtudiis *doctrinarum*. Spectatur dehinc, ut ſuppetat alimentorum & copia, & utilitas: ne felicia ingenia in tenuitate fortunarum cogantur renuntia-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

tiare literis , quibus vacarent magno & ſuo , & multorum bono : præſertim quum diſciplinas ſæpius juvenes ſectentur in re modica quam opulenti , quos vanitas fortunæ ad longe diverſa ſtudia traducit , venationis , equorum, belli , luſionum , libidinis , & voluptatum omnium , ad quas adipiſcendas arbitrantur ſe in divitiis aptiſſimam habere facultatem .

Sit item locus ſeparatus a frequentia , & potiſſimum opificum , qui ſtrepitum & magnos ædunt ſonos in opere : quales ſunt fabri , & lapidicidæ , omnes denique qui malleo utuntur , quique rota & torno , & pectine textorio : nec ſit tamen omnino infrequens , ne teſtibus ac velut ſpectatoribus careant flagitiorum , ſi quibus ſint dediti : idcirco graves eſſe incolas atque incorruptos velim, quos ſcholaſtici revereantur : non caupones , non malignos, qui ad pravas artes impellant : non ſordidos , & exigui lucri captatores : illiberales enim reddunt ſtudioſos ac ſordidos , & quales ſunt qui Græco verbo *μικρολόγοι* nominantur , quo nihil eſt ſapientiæ inimicitius . Procul etiam a comitatu regio , & puellarum vicinia : alteri otio ac malis artibus invitant rudes animos , & pertrahunt facile teneros , ac in quidvis flectiles : alteræ forma alliciunt ætatem blando illi malo obnoxiam . Conſultius eſſet extra urbem conſtitui gymnaſium , præſertim ſi vel ea ſit maritima , vel mercimoniis dediti incolæ : modo ne locus caperetur , quo ex urbe conſueſſent otioſi deambulare animi gratia . Nec publico itineri adjaceat , ne animi ſcholaſticorum novitate commeantium avocentur ab opere inſtituto . Non in regionis limitibus , qui ſolent bello infeſtari : ne is metus non ſinat quietos in ſtudia intendere. Statuatur in unaquaque provincia Academia communis illius . Provinciam definio , non limitibus naturæ , nempe montibus, vel amnibus , vel mari , ſed ditione ac principatu, ne juvenes , ſi limites claudantur vicino bello , vel cum ſuo periculo , & ſuorum cura , atque anxietate , in alieno regno ſtudeant , vel cogantur bene cœpta ſtudia magno cum diſpendio intermittere . Nemo ſit admiratus ea cura locum quæri , ubi naſcatur & adoleſcat ſapientia , quum tam anxie locum provideamus apibus daturis mel , pretii quanto infra ſapientiam ?

Sed

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Sed maxime omnium ad locum faciunt homines : ideo magiſtri non modo ſint ea doctrina , ut poſſint bene inſtituere , ſed habeant tradendi facultatem , ac dexteritatem . Mores ſint in eis puri . Prima eſt ea cura , nihil ut dicant , aut faciant , unde in auditorem malum poſſit exemplum transfundi : neu aliquid , quod tutum non ſit imitari. Si quid vitii habent , vel laborent , omnino ſeponere , ac tollere , vel , quod ſecundum eſt , licet grandi intervallo , præſente auditore diligenter ac ſtrenue abſtineant , nam hunc oportet ſe ad magiſtri exemplum componere . Nec probatis tantum erit moribus , ſed prudens quoque : tum ingenium habeat accommodum ei , quam profitetur , arti : atque ei generi auditorum , quos in diſciplinam recepit , quo melius tum ipſe tradat , tum illi percipiant : ut grammaticus , ne ſit rabioſus : non pertinax medicus , quique melius dicenti nolit cedere : non moralis philoſophus arrogans , & flagitiorum manifeſtus . Prudentia vitæ totius rectrix maximas validiſſimaſque habet vires & ad recte artes tradendas , & ad vitia emendanda , & ad reprehenſionem , & caſtigationem , quum eſt opus , & quatenus : multum enim efficiunt hæc ſuo loco, ſuo tempore , ſuo modo adhibita : *intempeſtiva autem omnia odioſa , atque inefficacia ſunt* . Bonus ſit magiſter , & literarum amans : nam quia ſtudioſus , libenter docebit , ut ſe exerceat : quia bonus , ut aliis proſit . In diſcipulos affectu erit patrio , ut illi ſint ei filiorum loco , nec quantum ab illis aut a profeſſione redeat , ſpectabit . Nunquam bene traditur diſciplina , quæ venditur : quod in primis vitaviſſe Socratem Xenophon eſt author in Commentariis.

Duo ſunt vitia ab omni eruditione , atque eruditis longiſſime pellenda , avaritia , & honoris cupiditas : quæ ſimul artes corrumpunt , ſimul literatos ac literas adducunt in contemptum . Adigunt enim doctos homines ad indigniſſima , nempe ut ſubſcribant ſententiæ abſurde , atque imperite ſentientis : ut in diſciplinam atque ad honores doctrinæ admittant *deboneſtamenta* artium , ut pertinaciter ſtent pro falſo : malintque inverti , ac perire omnia , quam fateri ſeſe victos , aut aliquid ignoraſſe : ut ea denique faciant , dicant , quærant , venentur , non quæ doctrinam adjuvent , ac mores , ſed per quæ pecunia , vel gloria com-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

comparetur. Hinc fraudes, rixæ, perjuria, odia, poſtremo ſectæ impotenter defenſæ. Quomodo diſcipulos reget, qui laudem ab iis, vel pecuniam ſperat? Ergo omnis quæſtus occaſio revellatur ab ſcholis. Accipiant doctores *ſalarium* de publico, quale cupiat vir bonus, faſtidiat malus: ne ſi amplum ſit, imperiti & mali eo ſe inſinuent lucri cupiditate: probi ac eruditi qui ambire vel neſciunt, vel nolunt, excludantur. Nihil a ſcholaſticis accipiant, ne illos captent, neve propter ſpem mollius ac indulgentius habeant. Nec alimenta ſua diſcipuli a magiſtris emant, ſed hebdomadatim eligatur unus ex ſodalibus, qui ſit velut *architriclinus*. Is curet diebus ſingulis emendas epulas: exacta vero hebdomade, ſubducta ratione, conferant ſymbola, addito quod præbeatur miniſtris pro opera. Cibus ſit parabilis, purus, concoctu facilis: præſtant hæc & ſanum corpus, & ingenium vegetum. Omnis item jactantiæ, arrogantiæ, oſtentationis occaſio tollatur. Idcirco raræ ſint diſputationes publicæ, in quibus non eruitur veritas: nam nemo verius dicenti aſſentitur: quæritur modo laus ingenii, vel peritiæ: in qua contentione laudis creſcunt rixæ, & convitia, & ſimultates, quodque ſceleratius eſt, ingenium contra veritatem ſumit arma: & ad eam ſubvertendam cuniculos omnes agit, & machinas, quaſcunque poteſt, admovet, ut velit veritatem ab ſe ſuperari, ac proſterni, non ſe veritati ſummittere: quæ pugna adeo nefaria ac impia bonos viros non decet, minus Chriſtianos, quorum affectus puriſſimos eſſe convenit, & obſequentes veritati, qui eſt Chriſtus ipſe. Poſtremo ex illis diſputationibus cavilloſiores ac pervicaciores diſcedunt multi, doctior utique aut melior nemo.

Gradus honorum in academia an erit ſatius nullos eſſe omnino, juxta verbum Domini: *Nolite vocari rabbi: unus eſt magiſter veſter*: ut ſit potius temporarium quoddam docendi munus, quam perpetua dignitas. An præſtabit eſſe aliquos ad diſcrimen imperitorum hominum, ne hi omnes metiantur eadem vel approbationis vel reprobationis decempeda? Nam illud Chriſti dictum ad cœleſtem pertinet doctrinam, cujus ille eſt magiſter unicus. Ita non, quod in abuſus abiit, videtur prorſum tollendum, ſed corrigendum, ac ſanandum. Nullæ ſunt ſatis bonæ leges,

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ges, ſi eas malitia hominum velit ad obſequium ſuarum cupiditatum detorquere . Sanciendæ nihilominus ſunt quantum quidem fieri poſſit optimæ . At vero ad eos honores pauci admittantur, ne res ampliſſimi pretii vulgando vileſcat : tum quia multorum creſcit arrogantia , qui ſpecie dignitatis turgidi recuſant a doctioribus diſcere. Ideo conſulit divus Jacobus, *ne velint multi magiſtri fieri.* Detineantur omnes in quaque diſciplina certo quodam tempore ac legitimo , ne leviter quis deguſtata eruditione , ſeſe pro abſoluto inſtituto vendidet, quique periodum confecerit, ut ajunt in Græcis certaminibus . Addatur aliquid temporis tardiuſculis , non enim unum eſſe omnium tempus expedit: nihil eſſet æqualitate illa inæqualius . Qui diſcunt, nuncupabuntur *ſtudioſi* vel *diſcentes* . Tum poſt certum tempus capto experimento fient *profeſſores* . Profitebuntur aliquandiu apud auditorium frequens , cui & illi nonnunquam intererunt , qui judicium de eo ferre poſſint quod dicatur. Quod ſi approbentur, deſinent profeſſores eſſe ; fient *doctores*, vel *magiſtri* . Ex his , qui commode poterunt docebunt, quos appellabimus *magiſtros profeſſores*, quibus præcipuus habebitur per univerſam academiam honor. Quod ſi quis vel imperitia , vel flagitioſa vita ac probroſa *doctoratui* erit dedecus , abrogabitur ei publice dignitas, haud aliter quam ſolent magiſtratus civitatis in ordinem redigi . *Qui ad magiſteria evehentur, cenſeantur non ex doctrina modo, ſed etiam moribus*. Doctrina enim, cui non reſpondet vita , res eſt pernicioſa *& turpis*. Vita autem ſine doctrina multum quidem meretur laudis , ſed ad docendum non aſciſcitur. Itaque non eſt hic ei locus; alibi habet maximum & honeſtiſſimum. Qui deſignantur, aut honorem ineunt , nihil ſolvant omnino. Nec cœnam faciant, ne ulla penitus cupidine ſolicitent animos eorum , qui ad honorem admiſſuri ſunt . De ſymbolis conviventur, ſi velint , ad hilaritatis teſtificationem. Sed ita exhilareſcant , ne ſe ſapientiæ ſtudioſos eſſe obliviſcantur.

Faciant eos profeſſores aut magiſtros , qui eruditione , judicio , moribus, & docere alios, & in vulgus approbari poſſint . Non erunt hujuſmodi viri dedecori diſciplinis, non eis perverſe abutentur, nec aliorum interturababunt

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

bunt quietem, nec tanti lucrum ullum æſtimabunt, ut ea gratia publicas utilitates affligant dandis viarum ducibus iis, qui ſequentes in præceps deturbent. Miſereantur generis humani cæci, ac inter tot diſcrimina deſtituti: meminerint dominum ac magiſtrum cœleſtem ad illos clamare: *vos eſtis ſal terræ*; *vos eſtis lux mundi*. Quod ſi obſcuretur lumen, quis contuebitur? Si infatuetur ſal, quid ſalietur? Ergo profeſſores ac magiſtri ipſi inter ſe quæſtu neglecto, oſtentatione ſemota, boni, docti, prudentes concorditer vitam degent, ſcientes ſe Dei negotium gerere, ut mutuo opitulentur. Neque enim qui fratrem pro veritate laborantem juvat, hominem juvat, ſed veritatem: & Dei ſe miniſtrum præbet, a quo omnis veritas, ſed potius qui eſt *veritas* ipſa ſumma, pura, abſoluta. Procul aberunt a ſectis, & rixis, qui ſciant pleraque omnia in diſciplinis obſcura eſſe ac incerta: furioſumque eſſe odiſſe fratrem propter id quod non magis compertum eſt tibi, quam illi: tantum neſcio quæ veriſimilitudinis lux aliis plus paulo, quam aliis affulget.

Profeſſores eligentur non ab ſcholaſticis, in quo permultum valet ambitus vel gratiæ, vel pecuniæ. nec ab illis utiliſſimi præponentur, ſed gratioſiſſimi, & maxime populares, ac blandi, aut qui plurimum vel dederunt, vel promiſerunt: aut a quibus licentiam ſperant. Quanto minus probo, quod in nonnullis fieri academiis intelligo, ut eadem hora duo de codem argumento doceant, quos illi vocant *concurrentes*: quo verbo nullum audivi unquam appoſititius; nam *concurrunt* plane, & congrediuntur, & pugnant convitiis, amarulentia, rabie. Servitur auditorio tanquam ſcenæ, cui non placet vir melior, ſed hiſtrio melior. Neque enim judicare auditores de eo poſſunt, quod ignorant. Hinc conſligitur magno auditorum applauſu, quibus eſt pugna illa ad ſpectandum jucundiſſima. Perit reſpectus omnis & reverentia præceptoris, atque hinc philoſophandi tranquillitas, & ſtudiorum profectus. Aſſueſcunt tam magiſtri, quam diſcipuli invidentiæ, iracundiæ, virulentiæ linguæ, impotentiæ factorum, ac dictorum, & aliis vitiis bono viro vehementer indecoris: unde ad rem publicam, ad rem privatam, ad conſilia, denique ad omnem vitæ functionem & ignari veniunt, &

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

& inepti, ob affectus perpetuo tanquam in fera bestia irritatos. Quapropter deligantur professores, & approbentur non turbæ imperitæ ac inconditæ suffragiis, sed a pauctis ex academia de eruditione ac vita spectatis.

Jam vero quum ad scholam deducetur puer, a patre, ostendatur patri non literas debere quæri velut instrumentum, quo paretur otiosus victus: indignum esse id præmium labore tam præstanti: quam sententiam si ipsi re ac vita expresserint, facile credent alii veram esse. Nam contra, quam tandem habebit pater de prudentia & sanctitate filii sui spem, qui magistrum, id est, exemplar filii vel imprudentem viderit, vel malum? Declaretur ei literarum finem esse, ut sapientior fiat juvenis, ac inde melior. Maneat puer in pædagogio unum aut alterum mensem, ut ingenium illius exploretur. Quater per annos singulos in locum aliquem secretum magistri conveniant, ubi inter se de ingeniis suorum sermocinentur, ac consultent: & ei quenque applicent arti, cui quemque idoneum videbunt. Apollonius Alabadensis dicendi magister, ut scriptum est a Cicerone, *quum mercede doceret, tamen non patiebatur eos, quos judicabat non posse oratores evadere, operam apud se perdere, dimittebatque, & ad quamcumque artem putabat esse aptum, ad eam impellere atque hortari solebat.* Faciant idem gratuiti doctores, quod mercenarius, quod rhetor, philosophi ac theologi, quod Gentilis Christiani, ne sinant illum tempus apud se, ac pecuniam perdere: nihilque aliud quæri literis, quam ignominiam, & seminarium errorum, & tanquam bestiam lacessitam immitti in civitatem. Hæc si fiant, non aliter venerabuntur indocti doctos, quam divos è cœlo delapsos, & eorum academias, ut sancta loca, & sacri horroris plena, quæ numine inhabitentur, ut quondam Heliconas & Pernassos. Quam indignum reputanti videatur, nos propter nostros mores ac nostras ineptias rideri ab imperitis, ac contemni, idque quod gravissimum est, non injuria nobis accidere? Enimvero ferendum non est moderatioribus esse plerumque affectibus agricolas, & sutores, & carpentarios, & homines de ima plebe, quam eruditos complures. Ad ejusmodi scholam non solum deducerentur pueri, sed ipsi etiam senes tamquam ad portum

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſe reciperent fluctuati in magna ignorantiæ ac vitiorum tempeſtate: omnes denique attraherent majeſtate & authoritate quadam: pluſque apud auditores proficerent fide, ac veneratione ſui, quam plagis, ac minis. Acutiſſimus erit ſtimulus ad ſtudia, & ad parendum præceptoribus grave pondus, admiratio ingenii, ac morum. Hæc eſt vera Academia, ſcilicet conventus, & conſenſus hominum doctorum pariter & bonorum congregatorum ad tales reddendos eos, qui illuc diſciplinæ gratia venerint. Neque enim ſatis eſt unum aut alterum in ea eſſe bonum, ſi ſint mali multi: numero, & conſpiratione, & audacia, mali ſuperabunt bonum, quemadmodum videmus paſſim contingere, atque ad eum tranſibunt diſcipuli, quiſquis plurimum indulſerit ſuis.

Quæſitum eſt ubi melius doceantur pueri, domine, an foris? Si qua talis eſſet Academia, qualem depinxi, utique multo eſſet utiliſſimum illic inſtitui, etiam extemplo a lacte, ubi optimos mores ſtatim imbiberet, mali autem mores eſſent ei novi, ac deteſtabiles: ut ille qui apud Platonem educatus, quum iratum videret patrem, admiratus vehementer, ac offenſus, nihil ſe vidiſſe apud Platonem tale affirmavit. Sed ut nunc ſunt Academiæ, major eſt deliberatio, quam quis credat. Poteſt enim conſultari de domo, de patria, & extra patriam.

Ante omnia aſſuefaciendi ſunt pueri bonis rebus delectari, atque eas amare, triſtari malis, ac eas odiſſe: accommodentur tamen opiniones illorum captui; nam non ſtatim ſumma illa & abſoluta apprehendunt. Res eſt conſuetudo dulciſſima, & opiniones illa ætate acceptæ, diutiſſime nos in reliquum vitæ proſequuntur. atque eo magis, ſi procedente ætate rationibus affigantur, & confirmentur. Ad hæc ſunt pueri naturaliter ſimii, imitantur omnia & ſemper, eos præcipue quos propter auctoritatem, & quam illis habent fidem, dignos imitatione judicant, ut parentes, nutritios, magiſtros, & pædagogos. Itaque multorum indolem corruptam ab aliis accepimus, a quibus correptam oportuerat, nempe ab iſtis eiſdem quos modo nominavi.

Magnam eſſe patri curam de filii moribus convenit, tanto majorem, quam de hæreditate, quanto pluris ſunt mo-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

mores. Et ſive hæreditate relicturus eſt aliquam, ſive nullam, prima eſt habenda probitatis ratio, imo nihil eſt hæreditate opus, ſed virtute: *nam fortunas celeriter & parabit bonus, & diſſipabit malus.* Dominum quoque rationem de liberorum educatione a parentibus repoſcere quum natura ipſa per ſe loquitur. tum nos myſticæ literæ exemplis ac præceptis docent, Ergo ſi non alia de cauſa, certe ob hanc quæ eſt maxima, de filio noſcat ſe pater, & domum, ac familiam totam, preſertim quum de filii inſtitutione deliberat, etiamſi omni alio tempore ignoret. Si viderit eſſe, qui pueri cereum ingenium fingant in pejus, amoveat, ſi poteſt commode: ſin ſecus, aut nec ipſi eſt, nec in familia habet, cujus mores poſſit puer cum laude exprimere, foras illum ad eam rem mandet. Sic Romani olim filios ſuos ad ſenem aliquem mittebant principem virum, graviſſimum & ſanctiſſimum diſciplinæ gratia. Quemadmodum Cicero deductus eſt ad Q. Scevolam tanto majorem ac præſtantiorem genere, dignitate, opibus. Nam ſenes non aſpernabantur eam curam, quam videbant utiliſſimas eſſe, ac cum primis neceſſariam ſuæ reipublicæ: quæ reſpublica non alia eſſet poſt ipſos futura, quam quales ipſi pueros illos aut adoleſcentes reliquiſſent. Nunc ut paucos ac prope nullos tangit cogitatio communis boni, ita munus hoc omnes faſtidiunt, minime profecto faſtidiendum, ſed vehementer in primis pro patriæ pietate appetendum, & complectendum: quæ hoc tempore quid ſit apud pleraſque nationes ne intelligitur quidem, adeo ſibi quiſque uni vivit, & valet. Ergo pater ſi poteſt pædagogum aſciſcat filio ſanctum virum, & incorruptum: ab eo doceatur, ſi is ſit, qui docere poſſit, modo ne ſolus: minus enim proficiet, ut Quintilianus oſtendit. Si parare omnino non valet, aut non talem, a quo poſſit bonam inſtitutionem accipere, aut ſi condiſcipulos non habet, mittat ad gymnaſium civitatis publicum: & deligat ſibi propinquum, aut affinem, aut neceſſarium aliquem, ad quem ſubinde puerum mittat: a quo ille ſtudiorum rationem exigat, & mores formet. Sed in gymnaſio eos habitare minime placet: non enim illic adeo aluntur ſalubriter, nec tam inſtituuntur liberaliter ac domi: ſi modo non animo parentes ſint

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

deſpicabiles homines, & ſordidi, ac flagitioſæ vitæ : vel qui filiorum indolem projectiſſima indulgentia corrumpant. Nam qui ob educationem comem, officioſam, ingenuam, pueros ſuos ad pædagogia quædam mittunt, vehementer ſunt animo falſi ; quippe magiſtri fere in illis ſunt avari, ſordidi, ſpurci, tum moroſi, difficiles, iracundi, ſenſu perverſiſſimo, interdum etiam, ſi Deo placet, mulierculæ. Pueri vero inter ſe, quoniam non omnibus quæ agunt, præeſſe poteſt magiſter, alii aliis authores & exemplo ſunt ad obſcænitates, & pravas quaſdam opiniones de rebus. Ergo exeunt illinc adoloſcentes, quales nec intueri quiſquam in convictu poſſit abſque nauſea, nec perferre ſine odio. Mitti vero ad publicam academiam, ut nunc quidem ſunt hominum mores, non paſſim expedit.

Principio explorandum eſt in patria ab amicis, qui noſſe, id queant, ingenium, ſitne eruditioni ſatis idoneum. Ipſe de ſe multa quotidie præbebit judicia. Hinc an eruditione probe uſurus. Nam nihil eſt pejus, quam abuſus bonarum rerum : & eruditio inſtrumentum rerum maximarum converteretur ad ſcelera ingentia in animo pravo poſita. Merito Quintilianus *potiorem ſibi cauſam videri ait vivendi honeſte, quam vel optime diſcendi*. Ex malis atque ineptis rari in bonum vertuntur: contra potius naturæ degeneratione multi ex bonis mali fiunt. Mutantur enim homines a ſodalibus, quos habent chariſſimos affrictu quodam velut contagione, dum nihil ſuſtinent illis refragari. Mutantur guſtu voluptatum, mutantur denique, quod corpus ſemper in animum incumbit, atque eum pondere ſuo deprimit, niſi magnis præceptorum, & rectæ exercitationis tibicinibus fulciatur. Qua de cauſa dictum eſt a Salomone, *incertum eſſe curſum adoloſcentis*. In academiis publicis ipſa ætas ad vitia proclivis impellitur vel a ſodalibus & amicis perditis, vel prava quapiam animi libidine : atque ubi ſemel cœperit ruere, quicquid fit obvium, protrudunt, ac ſecum luctantur devolvere. Si præceptores habeant, aut pædagogos acres, ac in officio ſedulos & vigilantes, obdurant ad verba & verbera ; quæ jam ex conſuetudine ducunt pro nihllo : ad quæ perferenda vel ſtimulantur a ſodalibus, vel a dulcedine voluptatis. Hinc odium pæda-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

dagogi tanquam obicis votorum: & ubi se paulo solutiorem conspicit, *asperum se præbet monitoribus*, ut inquit Horatius. Tenetur non in officio, sed in officii quadam simulatione, in qua manere eum cogit metus pessimus officii custos: qui ubi in animo invaluit, reddit illum manicipium nequam; nam pulchritudine virtutis adductus nihil agit, aut quod secundum est, licet non proximum, spe laudis. Ergo non ponit operam in literis, nec id quod agere videtur, agit: sed præsente corpore animus ad desideria sua peregrinatur: qui etiam corpus secum eodem rapit, si paulum modo metus abscedat. Nec secus quam novus pullus perpetuo conatur excutere & frenum, & stratum, & sessorem. Quod si qua ratione pædagogum aut institutorem queat a se dimovisse, præclaram videtur sibi nactus victoriam, & liberatus gravi servitute. quod gaudium ipsius? quæ gratulationes, & applausus sodalium perditorum? Tum vagatur, tum errat solutus in licentia omnium flagitiorum: & impingit ad omnes scopulos voluptatum, non aliter ac navis in summa fluctuum tempestate fracto clavo & gubernatore summerso. Grandiusculi adolescentes non cohibentur in academiis a præceptoribus, & magistris ludorum: scilicet non audent hi, ne mutent gymnasium, & alio transferant vilem quæstum: quanto minus si sint divites? Prædam enim suam plerique doctorum spectant, non institutionem discipuli. Quibus ex rebus præter corruptum adolescentis animum, & mancipatum flagitiis, quod est grande ac præcipuum malorum, hæc etiam sequuntur non exigua. Jactura rei familiaris pauperis patris, & cui fortasse alii sunt sudore suo liberi nutriendi. In hunc enim de sua tenuitate largus est pater, quem alit blande, ac fovet tanquam senectutis suæ baculum, & familiæ totius columen: & magno olim cum fœnore compensatum iri fratribus ab isto sperat, quod in præsens illis detrahat, ad faciendum huic uni otium studiorum: ita longo post tempore, & consumptis pecuniis, apparet ratio, ac spes omnis senis parentis inanis & cassa. Jacturæ numorum accedit jactura temporis irreparabilis: elabuntur optimi vitæ anni, & institutioni aptissimi sine fructu. Crescit ipse, & cum eo ignorantia, atque odium discendi. Nec qui aliquando fuit scho-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſcholaſticus, id eſt, dominus, & liber, demitti ſe patitur ad artem aliquam ſellulariam, aut quæ manuum opera conſtet. Redit domum agreſtis fera atque incondita, ſtipatus inſcitia, arrogantia, incivilitate, ineducatione, ſordibus, animo ad libidines & flagitia projectiſſimo, interim quoque ex vita illa in obſcœnitatem omnem ſolutiſſima morbis confectus. Excuſſerat prius quam e ſchola egrederetur, pudorem omnem ac verecundiam, præceptorum primum, mox parentum, & neceſſariorum, & patriæ totius, tum propter diutinum uſum peccandi, qui ex pectore ſibi addicto omnem virtutis reſpectum ejicit, tum quod ex patria a ſuis omnibus amantiſſimas ac reverentiſſimas ſæpe literas accepit, quæ ad eum tanquam ad *virum præſtantem eruditione* ſcribebantur. Quod ſi admoneantur meliorum, reluctantur, & ſpernunt alios tanquam rudes atque imperitos, nec ferunt ſe ab his moneri, qui ſe toties ſint faſſi inferiores ipſo rerum peritia, ac prudentia. Et quo ſolutius agant nulli ſubditi, *emunt gradum* aliquem *honoris ſcholaſtici*, id eſt, effrenem ac liberam arrogantiam, ſæpe applaudente & læto patre: qui quid agatur videt, quorſum pertineat, ignarus. Ibi vero ſuis omnibus numeris perficitur inſolentia: fugiunt patriam: & parentes, quos quia ſui dedecoris conſcios metuunt, oderunt quoque. Inimici ſunt doctis, quibus vident ſe adæquatos aut prælatos etiam dignitate, non doctrina: & iſtorum lux illorum tenebras manifeſtat clarius, & quaſi coarguit. *Eſt peſſimum hominum genus, quia indoctum, & ſuperbum.*

Omnia ſunt meliore conditione in patria, ſalubrius nutriuntur tenera corpora, & ad valetudinem, ac naſcentes vires confirmandas utilius. Educantur liberalius, ac purius inter ſenes, & prudentes: præter hæc etiam minoris. Quotidiana cum parentibus conſuetudo non patietur pietatem erga illos exoleſcere: facile enim conſervabit pater, ac tuebitur ſui reverentiam in filio, quem quotidie videt, cui aliquid quotidie pro patria poteſtate imperat. Renovatur ſingulis diebus jus illud velut *uſurpatione poſſeſſionis.* Augetur etiam charitas, ſi vel filius ſit natura bonus vel in parente ſigna aliqua conſpicit probitatis, ac ſapientiæ. Pietas eadem ex parentibus in eos ſe diffundit, qui cum illis juncti

ſunt

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſunt ſanguine. Ergo ſi malum eſt ingenium, metu eſt opus, quis major quam parentum, & propinquorum, hauſtus cum lacte, & ætate confirmatus? Sin generoſum eſt ingenium, amore ducetur. Quis major, quam adverſus parentes & conſanguineos? quid quod plerique non alia de cauſa ad bene agendum adducuntur, quam parentum reſpectu, ut aliquod illis de ſe gaudium præbeant? *ſicut de Martio Coriolano ſcribit Plutarchus*. Et horum recordatio etiam in remotiſſimis regionibus maximum eſt multis incitamentum, ut ſe ex illorum gerant ſententia.

Poterit pueri ingenium a propinquis & neceſſariis explorari, cui ſit rei potiſſimum idoneum: & ipſe quotidie puer multa ſui ædet ſigna. Si literis non ſit aptus, nec ludet in ludo rem, & quod re eſt pretioſius, tempus: transferetur mature ad id, cui judicabitur appoſitus, in quo cum ingenti fructu verſabitur: & erit ex illis, quos quaſi abſolute edoctos παιδομαθεῖς conſueverunt Græci nominare: occurretur pullulantibus ac teneris etiamnum vitiis, tum flectilis animus ad recta formabitur. Reverentiam illorum in præceptores facile in patria parentes, conſanguinei, & paterni amici authoritate ſua conſervant. Æquales minus habent ad corrumpendum virium: nam & ille & ſodales ipſi, ſi quo eant, incident paſſim in eos, quibus ſint curæ: & a quibus retrahantur prius quam ruant. Quod ſi labi cœperint, injiciet eis blandam manum amor ſuorum: hic ſi non ſufficiat, reverentia & metus ſuccurrent, quem de prima infantia imbibitum uſus confirmarit, & a quo ſpes non ſit, ſolvi ut poſſint, ſæpe ne voluntas quidem. Ita enim naturæ impulſu ac lege addictus eſt filius patri, ut amet, & revereatur: nec fas eſſe exiſtimet cupere, non revereri. Quæ ſi fiant, diſciplinæ *virga* perpetuo ante oculos pueri, & circum dorſum verſabitur: quod præcipuum illius ætatis bonum, atque inprimis ſalutare a Salomone ſapiente ponitur. Simul ex vitæ conſuetudine flagrantius in illius corde & parentum & patriæ pietas ardebit, cui ut rei jucundiſſimæ ac chariſſimæ optime cupiet conſultum, eique quacumque dabitur, benefaciet. Quibus de cauſis & rationibus ſic faciendum cenſeo.

Conſtituatur in quaque civitate *ludus literarius*: eo aſci-

ſcan-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſcantur præceptores viri explorata doctrina, probitate, prudentia. Salarium repræſentetur eis de publico. Pueri atque adoloſcentes ab his addiſcant eas artes, quas poterunt pro ætate atque ingenio capere: mores vero patrios, & totam educationem vitæ civilis a prudentibus ſenibus, quemadmodum olim Romæ. *Antiquitas* enim, ut a Plutarcho in problematis traditur, *honorificum exiſtimavit propinquos & amicos erudire*. Qui propter acumen ingenii & bonitatem apti erunt literis: hi poſt flexum ætatis, confirmato jam & rectis opinionibus de rebus parato & munito animo, mittantur bonis avibus ad *Academiam*. Quod ſi quis antea mittitur, quia domi non putatur poſſe commode doceri, eat cum pædagogo, quem ille revereatur ut patrem: pædagogus viciſſim & venerabilem ſeſe præſtet prudentia ac dexteritate, & bonitate amabilem caveatque: imprimis, quantum efficere poterit, ne ſe in odium alumni adducat. Sed jam de inſtitutione ipſa pergamus dicere.

Quum deducetur ad ſcholas puer, ſciat pater, quem tandem exiſtimare debet fructum laboris ſtudioſi: videlicet non honorem, aut pecuniam, ſed animi culturam, rem eximii, atque incomparabilis pretii, ut doctior fiat juvenis, & per ſanam doctrinam virtute melior. Itaque etiam ſi viliorem illam cogitationem ad ſcholam adferebat, ita perſuaſus revertatur, ut altiora jam & ampliora de filio ſuo ſperet. Suſcipietur ea lege puer, ut ejus capiatur experimentum ad aliquot menſes. Quod cum fiat de aſſeclis, & famulis, lances aut ſcutellas menſæ illaturis; quam abſurdum eſt de illo non fieri, qui tanto majore, & ſuo, & aliorum diſpendio, evadere poſſet doctus? In unoquoque ad tradendam ei eruditionem, ſpectandum eſt ingenium: cujus contemplatio ad inquiſitionem pertinet de anima: nos illinc nonnulla præſenti inſtituto delibavimus. Ingenii partes ſunt *acies* ad *intuendum*, capacitas ad *comprehendendum*, collatio ad *judicium*. Ingenio nihil eſt ſimilius quam oculus: hic eſt corporis lux, illud animi. In oculo vis eſt ea contuendi omnia, quæ colore ſunt obducta, eaque *acies* nuncupatur. Sunt tamen qui in ſingulis ſeparatis diductiſque cernendis valent plurimum, multa pariter non capiunt: aut ſi capiunt ad breve quoddam punctum, non tamen continent, Sæpe

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

pe etiam qui intuentur, qui cupiunt, & continent, non conferunt illa inter se: nec quale quicquid sit, ex aliorum comparatione judicant. Eundem in modum res se habet in ingeniis. Nam quidam acuti sunt, & perspicaciter singula intuentur, conjuncta vero vel non capiunt, vel non tenent: quorum captus est angustus, aut memoria brevis, ac fluxa. Alii capiunt, non tamen cogitationem reflectunt ad ea, quæ sunt intuiti, ut cujus rationis ac modi quicque sit, censeant ac dijucident. Et sicut sunt oculi vel cæci, vel vitiis recurrentibus affecti, ita ingenia partim stupescunt dementia & torpore perpetuo, partim intervallis quibusdam male sana sunt: nisi quod cæcitatem & vitium oculorum qui patitur agnoscit, ingenii morbos ægrotus nec intelligit, nec si ostendantur credit: quoniam in morbo corporis mens, quæ de illo judicatura est, non ægrotat: in morbo mentis ipsa eadem male affecta censere de se ipsa non potest. Ingenium non est vel malis rebus, vel parvis ac puerilibus explorandum. Sed & oculus non continuo acute cernit, quod aliqua ad serum vel in tenebris acute cernit. Ita nec ingenium habendum est pro acuto, quod in rebus parvis aut levibus multum pollet: verum quod in luce, & magnis rebus. Neque enim dubitandum est, minus nos nunc valere ingenio. quam ante primum illud scelus. At nunc astutiores sumus in flagitiis, & sicut Dominus inquit, *filii hujus seculi filiis lucis sapientiores in generatione sua sunt*. Itaque egregia ingenia nihil sunt plerumque in nugis, & oculi perspicaces in tenebris, & in lusionibus viri prudentes. In ingenio spectabuntur *actio* & *materia*, tum separatim, tum conjuncta. Hinc affectus, sive mores. In *actione* sunt duo, *intentio*, & *extensio*, id est, quam *magna* aut *parva*, quam *brevis* aut *diuturna*, cita aut lenta. Sunt qui in res intente contuentur, ac sedulo, quique se alligari gaudent operi: sunt qui remisse ac velut aliud agentes, nec astringi volunt soluti ac liberi: ut Ovidius & Lucilius, teste Horatio. Hi sunt aëreæ constitutionis, aut qui calore immodico resolvuntur, quive oppressi carne & gravi farcina corporis laborem attentionis refugiunt, aut non ferunt. Obscurius cernunt alii, alii perspicacius: itaque hi penetrant, unde acumen dicitur: illi in summa rerum fa-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

facie ſubſiſtunt, unde hebetudo, ac retuſitas. Sunt qui primos ingreſſus habent faciles, mox confunduntur: quibus in labore offunditur mentis aſpectui quædam velut caligo, quæ quum recentes & novi ad opus accederent, non erat: alii urgentes ac valentes perſiſtunt feliciſſimi: quidam ea, quæ viderunt, conjuncta ſumunt: nonnulli ſeparant, & diminuunt ad ſcrutationem ſingulorum, quæ nominatur *ſubtilitas*. In tempore ſunt qui intuitu ſuo velut punctim feriunt per multa volitantes, nec uſquam conquieſcunt: alii ſiſtunt, & quaſi figunt veſtigia. Soluti ac liberi ſunt, qui celeriter quæ volunt aſſequuntur: ut homines bonæ contemperationis, quorum aliqui eo vigore ingeniorum ſunt prædiți, ut omnia, quæ opus eſt, uno velut contuitu diſpiciant, & tanquam ad manum habeant parata: de quo genere Vinicius ille fuiſſe memoratur, quem Auguſtus dixit *in numerato habere ingenium*: quique extemporali facultate plurimum præſtant, interdum plus quam ſcribendo, & a cura; ſicut Caſſius Severus, & Sulpitius Galba. Quod contingere hominibus non tam ſtudioſis, quam ingenioſis Cicero & Seneca teſtantur: multa enim ante oculos ſubjicit ingenium calore excitatum, quæ idem ipſum refrigeratum abſcondit. Sunt qui tarde ac lente vadunt, ſed perveniunt tamen quo deſtinarunt: & de his nonnulli lento ſuo gradu pervadunt longius, quam priores illi curſu. Actionis duratio in aliis perbrevis eſt, quibus eſt conquieſcendum ſtatim: ut calidis & exſiccis, quales ſunt Ægyptii & Perſæ: in aliis diuturnior, ac pertinacior, velut in pictore illo, qui neſciebat *manum de tabula*: & in Didymo grammatico, qui cognominatus eſt χαλκέντερος. Sunt quorum vices otii & negotii ſunt breves, ſed crebræ. Sunt quorum longæ, ac vehementes: quemadmodum de Latrone Portio ſcribit Seneca: qui & accenſi ardent pertinaciter, ut ignis in viſcoſa materia, reſtricti autem diu frigent. Recipiunt hæc mutationes vel crebras & quotidianas ex cibo & potione, ex habitu cœli & loci, ex affectionibus corporum. Illum, qui ſui ſemper eſſet ſimilis, vocarunt olim *virum omnium horarum*. Recipiunt etiam ex varietate naturæ uniuſcujuſque, quod ea eſt corporis conſtitutio & temperatura, ut modo magni & acuti ſint, modo ſui diſſimiles. Sunt & aliæ mu-

ta-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

tationes longæ, nempe ex ætatibus. Quidam enim meliores redduntur annis, ut Scipio & Polæmon, & illi quorum Valerius meminit: pejores alii, ut Hermogenes rhetor temporibus Antonini Auguſti, qui ex puero facundiſſimo infantiſſimus factus eſt juvenis. Mutantur in deterius præcocia ingenia, in quorum pueritia fuit moderatus calor, poſtmodum ſi vel crapula vel corpulentia obruitur, obſtupeſcunt: ſin vero acuitur & augetur, præſertim circum cerebrum, inſaniunt. In melius vero, quibus eſt de principio fervor immodicus, iſque ſenſim temperatur, ac tepeſcit: aut quibus corpus nimiis ac noxiis humoribus redundans mox purgatur. Expetit iis, qui tenuiſſimos habent ac lucidiſſimos ſpiritus, incraſſari: ut ingeniis præacutis, ne quo non oportent evolent, nec contineri in præſenti poſſint opere: quam fuiſſe cauſam autumo, cur Plato craſſum Academiæ aërem delegerit ingeniis Atticis ſubtilibus ac levibus conducibilem: ſcilicet injiciendæ illis erant velut compedes. Non mutantur, quibus conſtitutio corporis ſingulis ætatis partibus congruit.

Jam ex materia, quidam in rebus quæ obeuntur manibus, quas Græci χειρουργικὰς nominant, valde probantur: quos videas pueros ſemper pingere, extruere, texere, & hæc omnia decenter, & cum tanta gratia, ut diu ea didiciſſe credas. Alii rebus ſublimioribus judicii, ac rationis ſunt dediti, majore atque altiore mentis impulſu incitati, qui a pueris manuaria illa inepte faciunt, aſſequuntur tamen, quæ dicantur, promptiſſime & acriter rationem colligunt: perpauci in utraque re ſunt boni: quamvis qui ſint ejuſmodi non deſunt. Appoſiti ſunt quidam ad certum aliquod diſciplinæ genus, ut poëtæ ſoluta oratione impeditiſſimi. Vidi qui feſtiviſſime narraret, abſurde ratiocinaretur. Ex rara quadam nota ſunt, qui in omni pariter ingenii materia, non illa quidem *chirurgica*, ſed ea quæ mentis agitatione conſtant ac indagine probari poſſint; quale Plutarchus Ciceronis ingenium fuiſſe perhibet.

Spectantur rurſum ingenia in materia atque actione. Aliqui in nugis & rebus parvis ſunt miri, captioſi, cavillatores, argutuli: in magnis, & ſolidis nihil efficiunt: ut qui in jocis dicaculi ſunt, & promptæ dexteritatis, in ſeriis

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

riis alios jam esse dicas: quod genus sunt poëtæ quidam epigrammatarii, & scurriles homines: de quibus vetus fertur dictum, *facilius scurram futurum divitem. quam bonum patrem familiæ.* De hoc numero sunt, quorum ingenium volat per summa rerum, & minutias quasdam discit, quæ alios effugiunt: ad intima vero & tamquam rei nucleum non penetrat. Sunt acuti quidem, sed illorum acies acui est persimilis, quæ capillum unum latum in quatuor aut quinque fibras discriminet, non ut aciem gladii, quæ solidam rem & duram discindat. Gladii vero sunt similes, qui in jocis & leviculis rebus nihil præstant, in seriis & solidis magni, velut Demosthenes. Cicero in utroque genere fuit admirabilis. Sunt qui pertenuia ferre non queunt res graves, non adeo ex natura, uti e deliciis, sicut Milesii, & Sybaritæ. Sic in artibus ac disciplinis ad alias facti sunt quidam, & appositi, ad alias minime idonei. Sequuntur quidam docentem expedite, ut ingenioſi, & modeste de se sentientes. Alii præcurrunt: & ex his inepte nonnulli, tamquam qui conjecturis ducuntur futilibus, quas ipsi habent pro firmissimis nonnulli dextere ac feliciter, ut conjectores optimi, quales fuisse ferunt Chrysippum, qui a præceptore nihil requirebat aliud, quam *dogmata: inventurum se* ajebat *rationes, quibus illa fulciret.* Alienis inventis bene utuntur quidam, ipsi nihil pariunt: quales sunt dediti imitationi, quæ vitiosa est, quum ibi sistit: quamquam in pueris ingenii signum est, si Quintiliano credamus, utique quum bona exprimunt. Aliqui melius inveniunt sua, quam utuntur alienis: ut acuti quidem homines, cæterum ad intelligendis atque scrutandis alienis nolunt animum adjungere. Non desunt, qui utrumque quum est opus efficiunt, quos in primo bonorum genere Hesiodus poëta collocat. Hi sunt acuti homines, quique aliena studiose animadvertunt. In plerisque horum exempla possumus ad intelligendum ex oculorum intuitu sumere. Nam quemadmodum initio admonui, nihil est quod perinde ingenii rationem ac vim repræsentet nobis, ut oculos.

Mores quoque variant ingenia, multum enim in vitiis mentis constitutiones corporis efficiunt, ex quibus affectus nascuntur. Sed morum duplex est ratio. nam vel a natu-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ra accipiuntur corporis, vel a consuetudine. Affectiones animorum alii habent irritabiles, alii magis sedatas: & in his omnes quasi per vices dominantur, ac sæviunt, in illis aliquæ tantum: in quibusdam ad bonum proclives, in quibusdam ad malum. Sunt, in quibus affectus aliqui universi animi regnum usque eo occupant, ut ad se pertrahant, quicquid in animum subit: sicut stomachus vitiatus; quæcunque ingeras, in noxium humorem convertit: ita isti vel ad superbiam, atque arrogantiam, atque ostentationem detorquent, quos sub arbitris pudet discere. Sapienter Bion *elationem* ajebat *esse impedimentum ad res magnas*: vel reflectunt ad libidines & obscœnam cupidinem, vel ad suspiciones pravas, & sinistras interpretationes. Nonnulli rectum habent ingenium aliquatenus, sed derepente consurgit ex transverso affectus, qui illi velut manum injiciat, & cogat de instituta via flectere. Sunt quidam simplices, integri, recti: sunt vafri, obliqui: sunt qui perpetuo se occulunt: sunt qui objecta materia continuo sese produnt. Apud quædam metus solus proficit, apud alia benevolentia. Sunt sana, sobria, temperata. Sunt insana, furiosa, & hæc vel habitu perpetuo vel intervallis. Sunt mitia, sunt acria & vehementia, nonnulla etiam impotentis naturæ. Aliqua magnis & justis de causis suscipiunt animorum motus, qui nominantur *viriles*: sunt quæ exiguis aut nullis, sed tenui aurula mutantur, *pueriles* homines ac leves. O admirandum authorem tantæ varietatis! Tu qui solus hæc finxisti, solus nosti causas. Sunt quidem aliæ ingeniorum differentiæ. Sed hæc in præsens sufficiunt.

Puero adhibenda est materia, ut se ingenium motu, atque actione proferat. Nihil enim cujusmodi sit naturæ, judicari quiescens potest. *Arithmeticam* objiciebat Pythagoras, quæ acumen exploraret. Nihil æque mentis aciem patefacit, ut expedita computandi ratio: & ingenii tarditas, tarditate computationis arguitur, ut in nostris fatuis videmus: & socordissimam Scytharum gentem supra quatuor numerum reflectere, Aristoteles est author, ut nos supra decem. Idcirco inter Græcos sapientiæ sectatores fuere, qui hominem ea causa vocatum esse λογικὸν ζῶον existimarunt, quod solus sciret computare. Num ut apud La-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Latinos, ſic in Græco ſermone λόγος & *ratio* eſt, & *computatio*.

Memoriam ſignum ingenii Quintilianus ponit: quæ duabus conſtat partibus, *facile percipere*, & *fideliter continere*: prius indubitatum eſt *acuminis* indicium, alterum *capacitatis*: ſequetur poſtea paulatim judicium, itaque jubebitur ediſcere, tum imitari, de quo ſupra dixi. Exercebuntur luſionibus; id etiam acumen retegit, & mores naturæ, potiſſimum inter æquales & ſui ſimiles, ubi nihil finget, ſed omnia exhibent naturalia: quippe concertatio omnis ingenium educit, ac oſtendit, haud ſecus quam excalefatio herbæ, aut radicis, aut fructus odorem, vel vim naturæ. Mandabitur ei per luſum munus regendi, ac imperandi. *Magiſtratus*, ut inquit Bias, *virum oſtendet*. Hiſpani haud abſurde *dignitatem* & *luſum coticulas eſſe animorum* proverbio dicunt. Alternis menſibus, aut tertio quoque congregati magiſtri de ſuorum ingeniis deliberent, ac decernant, paterno affectu, & ſevero judicio & unumquemque eo mittant, ad quod aptus videbitur. Incredibilis per totum hominum genus utilitas ſequetur, ſi id fiat. Nihil tum tractabitur prave ac ſiniſtre a coactis, & repugnantibus, de quibus conſilium eſt prudentis poëtæ:

Tu nihil in vita dices faſcieſve Minerva.

Omnia vero optime, & admirabili felicitate exequuntur ii, qui ad ea nati ſunt, ac appoſiti. Nam quia ad opera minime congruentia invita ingenia detrudimus, ſiniſtra, ac detorta videmus exire pleraque omnia. Non oportet oculum ad frequentiam ſcholarum adiicere: quanto præſtat parum habere ſalis ſapidi, quam multum inſulſi? Quot philoſophi contenti fuerunt exiguo auditorio? & apud hoc de magnis & præclariſſimis rebus acutiſſime ac ſapientiſſime differebant. Dominus noſter quum Dei ſapientiam & ſalutem Mundo traderet, *duodecim virorum* cohorti acquievit. Sed nimirum tolle ſuperbiam & quæſtum, quantumcumque auditorium ſufficiet doctori. Non nego quin ad dicendum frequentia incitetur animus, ſed aliud eſt dicere, quam docere: & in dicendo neſcio quibus nos a gloria video ſtimulis pungi. Verum de ingenio dubio, aut etiam malo non eſt illico deſperandum, nec

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

nec nimis tamen fidendum bono. Mutationis ingeniorum ac morum multa ſunt exempla & in civitate, & in ſchola: ſed vitio voluntatis noſtræ crebriores ſunt in deterius. Nec idem eſt, ingenium non eſſe ſatis aptum, & eſſe deploratum. Sunt etiam nonnulla ingenia, quæ rejecta, ad frugem aliquanto poſt ſe recipiunt. Principio ex multis filiis deſtinet literis pater non unumquemlibet, ut ovum captum de cumulo ad aſſandum, aut frigendum: ſed ſua & amicorum ſententia maxime factum ad literas & eruditionem. Quidam quo nihil eſt magis ridiculum, ineptos mercaturæ, aut militiæ, aut aliis civilibus muniis ad ſcholas mittunt, atque initiari jubent: quodque eſt grande nefas, Deo ſacrant fœtum deſpicatiſſimum atque inutiliſſimum, & putant ad res tantas ſatis habiturum judicii ac mentis, qui ad minimas & leviſſimas non habet. Deſtinato jam literis puero, ut *pater de filio ſpem debet optimam concipere*, ita præceptor de diſcipulo. Sed hoc erit diſcrimen, quod patris amor plerumque eſt luſcioſus, atque etiam cæcus: præceptoris charitatem acutiſſimos habere oculos convenit. Deductus ubi fuerit ad ſcholam, nullus erit deploratus adeo, ut è veſtigio expelli oporteat, quo minus conentur illum refingere in melius, ſi non ad *literas*, ſaltem ad *mores*.

Omnibus initio ſtatim fundamenta ſunt tradenda pietatis noſtræ, ut noſcat ſe, quam eſt infirmus, & probitate naturæ malus: ut nihil nec ſit, nec poteſt, nec valet niſi ope Dei: illum implorandum crebro, & bona fide: nec ſperet ſe quicquam omnino aſſecuturum abſque ejus auxilio. Quanta ſit cæcitas & fraus in animis vulgi judicantis de bonis, ac rerum æſtimatione. Integræ opiniones in vacuum pectus inſtillandæ. Nos inimicos Dei reconciliatos illi eſſe per Crucem Filii ejus. Deum ut potentem metuat, ut conſcium vereatur, ut datorem, ac beneficum amet. Nos ad hæc exponenda libellum conſcripſimus, cui titulum fecimus *De introductione ad ſapientiam*: & præceptori facile erit ejuſmodi floſculos ex philoſophis & ſacris authoribus tanquam e pratis vernantiſſimis in uſum diſcipuli decerpere. Faciat ut ſæpenumero recordetur bellum eſſe hanc vitam perpetuum, ſævum, irreconciliabile, affectus animi contra rationem ac-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

cinctos semper ac paratos in acie stare, qui si vincant, acerbissima sequetur in homine pernicies: itaque multa sunt subinde adversus eos dicenda, multa facienda, ne cogant vires. Dici non potest, quot pravas affectiones pueri imprudentes hauriant, nihil existimantes inesse flagitii: at eas quum notiores jam conantur depellere, difficile admodum suscipiunt negotium: egerunt enim radices, & crebro suppullulant. Et quandoquidem assueta omnia sunt jucunda, quæ vecordia est, & quam perdita dementia non assuescere optimis? præsertim pari in bonis & malis labore, sæpe etiam minore in rebus bonis: qui etsi sit major, certe tanti est honestatis pretium, quæ petitur: & per assuefactionem benefacere ex usu in naturam vertit. Sciant pueri, Deum esse præmium omnium recte factorum, eique mentes & cogitatus nostros esse perspicuos: ut quantum per ætatem dabitur, consuescant nihil propter humanam mercedem agere, sed propter divinam illam sempiternam.

Post hæc videatur, qui apti sint eruditioni, qui secus. Inepta sunt ingenia, hebetissima, absurda, præposteta. Mira dictu res, atque adeo etiam misera: ingenia humana in vilioribus artibus, & abjectis facilius ad frugem bonam evadere, quam in liberalibus & præclaris. Nam in mercatura, in fabrili exercitio, vel textorio, denique in chirurgicis & sellulariis artibus pauciores videmus operam ludere, quam in studiis doctrinæ. Quid dicemus esse causæ? An quod in humilioribus curis ingenium non tantopere infestatur ab affectu, qui grandibus, & pulchris demum studiis repugnat? an quod non perinde in levibus & expositis laborat mens, atque in reconditis ac excelsis: ut in illis per declive videatur devolvi, in his ardua scandere? Quod si percipiendæ eruditionis curam excusserit, tanquam soluta & vaga continuo degenerat in voluptates, & alios animi motus indecoros. Nec idonei sunt, qui vitiis naturæ tentantur: ut furiosus, aut demens. Hi sui experimentum haud ægre dabunt, mittendi ubi coërceantur metu & plagis. Corruptæ indolis puer, aut corruptor corrigendus ante quam admisceatur puerorum consortio. Ingenia vel acie nimis delicata & tenui, sed non solida, vel captus angusti, meliora sunt fatigata

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

& obruta literis : ſicut non eſt adhibendum ſcalpellum ſcindendo ligno, nec debilis oculus intento aſpectu fatigandus . Sunt qui uno tempore literis non ſunt apti , alio ſunt, & vice verſa. Vafro, atque impoſtori, aut omnia ad ſuſpicionem pravitatis invertenti , ſatius eſt non commendari peritiam , quæ in illo foret inſtrumentum multorum ſcelerum. Quem natura pudet diſcere , non ſemper eſt ineptus, ſed parum diſcet : hic ſæpe eſt de ignorantia convincendus, & pudefaciendus, ut velit doceri. Si ne ſic quidem retundatur arrogantia, mittendus eſt ad artes, quarum ignorantiam non queat occultare , & ſit ei neceſſum volenti nolenti diſcere : hoc audiente ſuperbia eſt crebro velut res ſtultiſſima confutanda , & caſtiganda . Contemptores magiſtrorum procaciſſimi ſunt , aptiores aratro, quam libris, & agro ac ſylvis, quam cœtui hominum. Quem tandem reverebitur, qui magiſtrum non veretur, animi velut alterum parentem ? Ludibundus puer revocandus, non expellendus . Ex cæteris ingeniorum modis & quaſi formis alia aliis ſunt diſciplinis congruentia, uti poſt demonſtrabimus : nullum certe erit, quod inutile ſit, ſaltem linguis diſcendis . Hucuſque velut parabatur puer ſacris atque initiationi literarum. Jam admittitur ad myſteria.

Magiſtri erga diſcipulum affectus erit patris , amabit vere atque ex animo tanquam ſuam fœturam . An vero plus in homine gignit, qui corpus , quam qui animum gignit ? tanto ſcilicet præceptor eſt parens verior, quanto verius ex homine eſt animus, quam corpus : non enim ex corpore homines ſumus, quod cum brutis habemus commune, ſed ex mente angelis & Deo ſimillima . Ea de cauſa Alexander Macedo plus ſe Ariſtoteli debere profitebatur, quam Philippo : ab hoc ſe habere corpus, ab illo mentem. Apoſtolus Paulus quos ad pietatem adduxiſſet, *genuiſſe ſe* ait *in Domino* . Sed erit paternus hic amor non cæcus, verum videns , & quidem acute : ut omnia quæ ſunt in diſcipulo vel confirmanda, vel mutanda, atque emendanda circumſpiciat .

Pueri perſuaſum habeant, quæ ſunt in ſcholis accepturi, cultum eſſe animi, id eſt, partis noſtri melioris ac immortalis : eum cultum a Deo eſſe humano generi ma-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ximo munere ac patria indulgentia traditum, nec ab alio dari potuiſſe, nempe rationem ac viam, qua Deo placeant, & ad illum perveniant, in quo eſt extrema beatitudo. Sic fiet ut ejuſmodi cultum, & ut ſibi neceſſarium ament, & ut ſacrum ac cælitus miſſum revereantur ac adorent, tum in ſcholas tanquam in templa venerabundi introeant. Quocirca, qnantum præſtari poterit, dabunt magiſtri operam, ne gymnaſia ſua vel vileſcere ſinant luſibus, vel contaminari flagitiis. Magiſtros non aliter amabunt, colent, ſuſpicient, ac miniſtros munerum Dei, & genitores animorum. Amorem facile magiſtri conciliabunt commoditate morum, reverentiam vero utilitate præceptorum, & vita incorrupta. Credibile non eſt quantopere affectus hi inſtitutoris ac diſcipuli ad recte tum tradendam, tum percipiendam eruditionem valeant.

In præceptione artium multa experimenta colligemus, multorum uſum obſervabimus, ut ex illis univerſales fiant regulæ. De quibus experimentis ſi ſint quæ cum norma non congruant, ſignanda eſt cauſa, cur id fiat: ſin ea neſciatur, & pauca ſint quæ non quadrent, annotanda ſunt: ſin plura ſint, quam quæ congruant, aut pari numero, non ſtatuendum de eo dogma, ſed id tranſmittendum admirationi poſterorum, ut ex admiratione, ſicut fieri conſuevit, philoſophia naſcatur. Artes omnes, quæ ad aliquid vel agendum vel faciendum pertinent, optime ex illorum actionibus atque operibus colliguntur, qui natura, ſtudio, uſu fuerunt inſtructiſſimi, ex quibus natas eſſe artes declaravimus: qui egerunt quidem ſine arte, ſed majore quadam naturæ vi inſtructi, aut diligentia & uſu adjuti. Sic ex Manci Ciceronis uſu, ac Demoſthenis, præcepta rhetorices petuntur, ex Homero, & Virgilio poëſis. Sed ei qui de quaque arte commentatur, & præcepta formet, ſubinde eſt oculus ab experimentis & uſu ad naturam ipſam revocandus, ut exactiſſima tradat magis, quam conſueta: quod idem Cicero in optimo oratore inſtruendo facturum ſe præfatur. Exemplar enim abſolutum eſt in natura, quod tantum quiſque exprimit, quantum valet ingenio, aut diligentia: alii plus aliis, nemo plene ac perfecte.

In præceptis artium *ordo* eſt res ad docendum efficaciſſima,

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſima, ut facilius auditores tum percipiant, tum retineant: ducuntur ſcilicet rebus ita diſpoſitis, & dum poſteriora quaſi ex prioribus videntur naſci, accipiuntur omnia pro certiſſimis. Sed quis ſit ordo, & qua utendum in artibus oratione, in libris *de dicendo* expoſuimus. At quando pietas eſt quo referuntur omnia, meminerit magiſter, quicquid exhibeat, Chriſtianum ſe eſſe, ut quod bonæ menti ſit contrarium, avertat, tegat, & ſubinde aliquid dicat moribus conducibile. Poëtæ medio opere fabulantur, etiam quum de ſeriis agunt, ſicut Virgilius & Lucanus: ne lectori excidat poëtas eſſe illos; nobis vero num non ſubinde ſuccurret nos eſſe CHRISTO adjuratos?

Authoritas ſanctarum literarum magna cum majeſtate in auditorum pectora imprimatur, ut quum ex eis aliquid audient, Deum ipſum præpotentem audire ſeſe arbitrentur: illinc nonnulla delibabit magiſter tanquam ad morbos remedia, quantum quidem videbitur ſufficere: in quo opus eſt judicio, ne parum adhibeat convenientia, neve illa, quæ intelligentiam illius ætatis excedant. Quod ſi Plato, Ariſtoteles, Xenophon, Cicero, & alii Philoſophi ad confirmationem ſuæ ſententiæ ex Homero, & cæteris vatibus teſtimonia deſumunt, quanto congruentius eſt nos ab oraculis Dei non teſtimonium ſolum, ſed *ſupremam authoritatem* repetere, in qua falli non poterimus, quum ab infallibili ſint ſapientia profecta? Sed quamvis in tradenda arte perfectiſſima ſemper atque abſolutiſſima ſint proponenda, in docendo tamen ea ſunt ex arte præbenda auditoribus, quæ illorum ingeniis competant: artifex enim ſumma contemplari debet, & ea in canones deducere; contendat unuſquiſque aſſequi. Præceptor vero in ſchola auditorium ſuum debet ſpectare, non ut ab arte deflectat, aut falſa tradat pro veris, ſed ut congruentiſſima captui ſuorum. Utrumque divinum illum artificem ac magiſtrum præſtitiſſe, ſacra Evangelii hiſtoria declarat.

Libri ſecundi de Tradendis diſciplinis

FINIS.

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

JOHANNIS LUDOVICI VIVIS VALETINI DE TRADENDIS DISCIPLINIS

LIBER III.

PRima in homine peritia eſt loquendi : quæ ſtatim ex ratione ac mente tanquam ex fonte profluit. Idcirco beſtiæ omnes ſicut mente, ita & ſermone carent. Eſt etiam ſermo ſocietatis humanæ inſtrumentum. neque enim aliter retegi poſſet animus, tot involucris, & tanta denſitate corporis occultus. Ac quemadmodum mentem munere habemus Dei, ſic etiam loqui naturale eſt nobis, hanc vero linguam, aut illam, artis. Itaque & domi a parentibus, & in ſchola a præceptore danda eſt opera, ut patriam linguam pueri bene ſonent, quantumque ætas illa patitur, ſint facundi. In quo magno erunt parentes adjumento, ſi ipſi vel in filiorum gratiam curent, ut ſenſa animi ſui caſtis verbis, & integra atque apta oratione expromant; hinc ut idem nutrices, & nutritii faciant, & ii inter quos agunt, ne perplexe, abſurde, barbare loquantur: ne vitia oris habeant, quæ facile teneræ ætati adhæreſcunt. Chryſippus ea de cauſa etiam doctas volebat nutrices eligi. Magni intereſſe ait Cicero, *quos quiſque audiat quotidie domi, quibuſcum loquatur a puero, quemadmodum patres, pædagogi, matres loquantur*. Non leve eſt hoc momentum ad eas linguas diſcendas, quæ parantur arte: tum ad facile cogitatus animorum, & percipiendos alienos, & exponendos noſtros. Sa-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Sacrarium eſt eruditionis lingua , & ſive quid recondendum eſt , ſive promendum , velut proma quædam conda. Et quando ærarium eſt eruditionis , ac inſtrumentum ſocietatis hominum , e re eſſet generis humani unam eſſe linguam , qua omnes nationes communiter uterentur : ſi perfici hoc non poſſet , ſaltem qua gentes ac nationes plurimæ , certe qua nos Chriſtiani initiati eiſdem ſacris , & ad commercia , & ad peritiam rerum propagandam . Peccati enim pœna eſt tot eſſe linguas . Eam vero ipſam linguam oporteret eſſe quum ſuavem , tum etiam doctam, & facundam . Suavitas eſt in ſono ſive ſimplicium verborum , ac ſeparatorum , ſive conjunctorum . Doctrina eſt in apta proprietate appellandarum rerum . Facundia in verborum & formularum varietate ac copia : quæ omnia efficerent ut libenter ea loquerentur homines , & aptiſſime poſſent explicare , quæ ſentirent : multumque per eam accreſceret judicii . Talis videtur mihi Latina lingua ex iis certe quas homines uſurpant , quæque nobis ſunt cognitæ . Nam illa perfectiſſima eſſet omnium , quorum verba rerum naturas explanarent : qualem credibile eſt fuiſſe illam , qua Adam ſingulis rerum nomina impoſuit. Hæc enim veræ ſunt rerum appellationes , de quibus in ſacro carmine legitur : *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus illis nomina vocat , magnus dominus , & magnæ virtus ejus , & ſapientiæ ejus non eſt finis* . Ad hanc ſententiam pertinet Cratylus Platonis , quem Ariſtoteles tamen aliorſum detorquet in libro de *interpretatione* : & hoc demum inventum Pythagoras præter cætera eximie admiratur . Sed ad *Latinam linguam* revertamur . *Ea* quoniam diffuſa eſt jam per complures nationes hominum , tum artes pene omnes illius ſunt literis mandatæ , eſt etiam copioſa , quia exculta , & aucta multis ſcriptorum ingeniis , ſono inſuper ſuavi , tum gravitatis cujuſdam . non ferinæ & agreſtis , ut in aliis nonnullis , ſed fortis & prudentis viri in civitate bene inſtituta nati ac educati ; nefas eſſet non coli eam , & conſervari . Quæ ſi amitteretur , & magna confuſio ſequeretur diſciplinarum omnium , & magnum inter homines diſſidium atque averſio propter linguarum ignorantiam . Quoniam quidem , ut Divus Auguſtinus inquit , *mallet quiſque cum cane ſuo*

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

verſari, *quam cum homine ignotæ linguæ*. Ad dilatandam etiam pietatem utiliſſimum eſt homines mutuo intelligere. Utinam Agareni & nos communem aliquam haberemus linguam: ſperarem futurum brevi, ut multi ſeſe illorum ad nos reciperent. Hæc eadem fuit cauſa, cur Dominus Apoſtolis ſuis *donum linguarum* contulerit. *Fides* enim, ut dicit Paulus, *per auditum*, cui lingua inſervit. Quocirca vehementer cuperem ut in pleriſque noſtris civitatibus gymnaſia inſtituerentur linguarum, non ſolum illarum trium, ſed Arabicæ, ſed earum etiam, quæ eſſent Agarenis populis vernaculæ, quas addiſcerent non otioſi homines, ad gloriam inde captandam, & plauſum, ſed ardentiſſimi zelo pietatis, parati vitam pro Chriſto impendere: ut eis inſtructi Chriſtum illis gentibus annuntiarent, quæ pauciſſima, ac nihil pene de illo audiverunt.

Expedit præterea linguam eſſe aliquam doctorum ſacram, qua res arcanæ conſignentur, quas a quibuſvis non convenit contrectari, ac pollui: & haud ſcio an conduceret ſecretiorem eſſe hanc ab illa communi. Quamquam in communi illa receſſus ſunt quidam per *metaphoras*, *alluſiones*, *ænigmata*; & ejuſmodi confirmationes dicendi, imperitis, aut tardis hominibus inacceſſi. Quibus de cauſis & rationibus addiſcendus eſt Latinus ſermo: & quidem exacte, ne corrumpatur. Nam corruptus continuo deſinet unus eſſe, ſingulæ regiones habebunt ſuum: quo fiet ut homines nec mutuo intelligant, neque artes illas, quæ Latino ſermone continentur, quod contigiſſe ipſi vidimus. Huic linguæ dabit operam puer, dum aliis percipiendis rerum diſciplinis non eſt per infirmitatem ingenii ſatis idoneus: nempe ab anno ſeptimo ad quintum decimum. Sed id præceptor ex cujuſque ingenio, & progreſſibus melius ſtatuet.

Si quis Latinæ linguæ Græcam adjunxerit, ex ambabus multa reliquarum artium ſemina accipiet, ut jam a linguis illis ad nullam artium rudis prorſum, & novus veniat, quippe ab iis authoribus ſermonem hauriet, in quibus non ſola erunt verba, ſed nec eſſe poſſunt: multa enim ineſſe ex aliis diſciplinis conſperſa eſt neceſſum: & eadem opera Græcam, Latinamque linguam cognoſcet. Adde quod Græca

eſt

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

eſt erudita admodum, & locuples. Et quemadmodum Latina lingua alias poteſt copia ſua inſtruere, ac juvare, ſic Græca tum Latinam ipſam, tum alias quoque auget, & adornat; eſtque perfectioni Latinitatis neceſſaria, non ſecus quam Latina Italicæ aut Hiſpanæ: nec ullus abſolute fuit Latini ſermonis peritus, niſi & Græco imbutus. Ex ſermone enim Græco Latinus, ex Latino Italus, Hiſpanus, Gallus manarunt: quibus olim nationibus Latina lingua erat vernacula. Itaque uſu deprehendimus Latinam linguam fœcundiorem, ac facundiorem ex Græca fieri, ex Latina reliquas Europæ, ſed potiſſimum tres illas, quas modo nominavi: quas maxime expediret Latino ſermoni aſſueſcere, tum ut eum ipſum, & per eum artes omnes probe intelligerent, tum ut ſermonem ſuum patrium ex illo, velut aqua copioſius ex fonte derivata, puriorem atque opulentiorem redderent. Quid, quod multa ſunt Græcis literis memoriæ mandata, in hiſtoria, natura rerum, moribus privatis, & publicis, medicina, pietate, quæ de ipſis fontibus & facilius hauriuntur & purius?

Si quis propter verus teſtamentum Hebræam velit cum his conjungere, nihil impedio, his legibus, ſi ſatis putat fore temporis ad omnia, ſi ſe incorrupte eam accepturum confidit: nam audio multa eſſe a Judæis in ſuis codicibus depravata, partim conſulto Chriſti odio; partim inertia, dum toties mutant ſedes, nec vacat juſtam operam in literis ponere. Certe ſi duos Hebræos de eodem loco conſulas, raro conſentient. Et Latinam linguam exacte velim pernoſci, hoc enim ad convictum, & ad artes omnes expedit. In Græca magni ſunt labyrinthi, & vaſtiſſimi receſſus, non ſolum in *dialectis* variis, ſed in unaquaque illarum. *Attica*, & *Atticæ* proxima *communis*, màxime ſunt neceſſariæ, propterea quod & ſunt facundiſſimæ, atque excultiſſimæ, & quicquid Græci habent legi ac cognoſci dignum, iſtis *dialectis* eſt conſignatum. Reliquis utuntur authores carminum, quos non tanti eſt intelligi, præſertim quum non in *dialectis* modo, ſed in appellandis rebus, & colore loquendi tantum ſit inter orationem numeris ſolutam, & aſtrictam, diſcriminis, ut non videatur eſſe eadem lingua. Nec immerito Antonius Ciceronianus poëtas ait non auſum ſe attingere tanquam aliena locu-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

locutos lingua ; tametſi ex poëtis quoque optimi , & quos operæ pretium ſit legere , Attici ſunt Euripides , Sophocles, Ariſtophanes , & quod Menandri eſt reliquum . Si quis tamen ingenio ac memoria ſit præditus, adjutus ætate ac otio , inſtructus diligentia ac ſtudio , huic nihil velim negatum : imo hunc tam feliciter paratum ad capeſſendum linguarum & artium omnium laborem impendio exhortor. Si ad literas aliquis vel ſerior venerit , vel occupatior , vel ingenio aut memoria defectus , huic Latinus ſermo ſuffecerit . Nihil eſt enim oſtentationi dandum , quæ præclaros virtutis fructus tanquam peſtilenti afflatu corrumpit , ſed uſui ac neceſſitati . Nec mihi exemplum quis adduxerit M. Catonis Cenſorii , quem ad Græcas literas natu jam grandem veniſſe tradunt : utique non ad elementa , & prima exordia ſermonis , ſed ad lectionem authorum . Declarant hoc ea , quibus Cicero facit illum loquentem in dialogo de ſenectute . Nam quum ex præcipuis Græciæ ſcriptoribus ſententias quaſdam deſumptas attuliſſet , quas intelligere non poterat , niſi ſermonis illius bene gnarus , ſubjungit : *Græce ſtudeo , ut his utar , quibus videtis me nunc uti .*

In ſermone qui ore totius populi teritur , nihil neceſſum eſt artem , aut regulas formari ; ex populo ipſo promptius ac melius diſcetur , quanquam ſunt nonnulla a doctioribus ex analogia obſervata , ut in Populo Romano , etiam tum quum illi rerum domino ſermo hic Latinus vulgaris eſſet , ac patrius . Sed in quocunque alio aſcititio qui jam nullius eſt gentis , omnino formulæ ſunt opus, ne fallaris , neu loquaris vitioſe . Nam quum ſermo in hoc ſit paratus a natura , ut intelligare , & viciſſim intelligas , grammatica hoc præſtabit , ut ea devites vitia per quæ efficitur , ut nec te alii intelligant , nec tu alios . Qui enim probe loquuntur Latine aut Græce , probe inter ſe intelligunt , contra autem qui perperam : ut *barbariſſans* Hiſpanus barbarus eſt *barbariſſanti* Germano , & hic viciſſim illi .

Ars grammatica ex notioribus , ut aliæ omnes , tradenda . Principio oſtendenda vocalium ſimplicitas , tum compoſitio conſonantium , quæ ex vocali ſit , & ſono quodam incondito ac imperfecto , hinc ſyllabæ , poſtea conſuefaciendus

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

dus eſt puer expedite ac ſuaviter appellare literas, atque eas conjungere. Jam ruditer ex analogia ſignificationum monſtrabis, quæ dicantur *nomina propria*, *communia*, *ſubſtantiæ*, *adjacentis*: hinc *verba*, *participia*, *pronomina*. His addetur confuſa aliqua *adverbiorum ratio*, itidem aliarum partium orationis ex ſignificationibus ut prius. Hic *inflectat* nomina, poſt verbum unum, deinde alia verba. Tum incipiet *ſubſtantivum*, & *adjectivum* compingere, *nomen* & *verbum*. Succedent *inflexionum regulæ*, poſtea *generis*, inde *conjugationum verborum*. His omnibus rite perceptis, dabitur ei in manus libellus aliquis Latinus ſolutæ orationis, jucundus, facilis, ſermonis terſi. Condiſcet initio illius ordinare voces, ut *vocativus* ſit primus, tum *nominativus*, hinc *verbum*, & alia, qui ordo nominatur: eſt enim is maxime naturalis, & ſimplex, quique præſtat, ut confuſe ac permiſte enunciata, facilius poſſint capi ad eum ordinem redacta: quod etſi minus pueriliter quam magiſtri ludorum trivialium, faciunt tamen Donatus, Servius, & alii Græcorum ac Latinorum expoſitores. Poſt hæc quaſi delineamenta, a capite rurſus danda exactius omnia, & accuratius: in quo multum artis expreſſit Theodorus Gaza, Ariſtotelicam quandam præcipiendi rationem ſecutus. Itaque plenius de *octo orationis partibus* dicetur: hinc exponetur *ſyntaxis*, adjungetur Latinus aliquis author paulo difficilior, & ſolidior, qui linguam uberiorem poſſit, atque excultiorem reddere, non in ſingulis modo verbis, ſed in conjunctione, & compoſitione: poſtrema ſuccedet tractatio de *proſodia*, cui adjungetur enarratio poëtæ alicujus. Cognitionem hanc artis doctam volo eſſe magis, quam anxiam, & moleſtam, nocet enim ut regulas negligere, ita illis nimium inhærere, atque affigi, tametſi tolerabilius eſt malum *nimiæ diligentiæ*. Studium Græcitatis Quintilianus jubet Latinis literis præponi, ſed in pueris, quorum ſermo naturalis eſſet Latinus. At quando is jam nobis paratur doctrina, e contrario eſt agendum, ut cum Græcitatis rudimentis exactior Latinæ linguæ diſciplina procedat: ut ſi quis attentius inſpiciat, ſimiles prorſum comperiat eſſe meam, & Quintiliani inſtituendi rationes. Nam pueris olim quum primum ad ſcholam venirent, multa erant jam in ſermone Latino domi cognita.

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ta . Poſt hæc graviores Latinæ linguæ authores annotatis *tropis* , ac *ſchematis* exponantur , & majora jam pueri exercitia loquendo , atque ſcribendo obeant . Quibus incipiat aperiri philologia , id eſt , cognitio aliqua rerum, nempe temporum , locorum , hiſtoriæ , fabulæ , proverbiorum , ſententiarum , apophthegmatum , rei domeſticæ , rei ruſticæ , guſtus etiam quidam civilis ac publicæ , quæ omnia maximam illorum ingeniis lucem inferent . Latina volui prius imbibi , ut magis hæreant , quorum magis indigemus : & ſonus ac ſermo univerſus , plane Latinus ſit, non Græciſſans . Quod ſi hoc de lingua Græca dico Latinæ tantopere vicina , imo verius matre , apparet profecto, quid exiſtimari velim de Hebræa , quæ horrore illo ſoni , tum phraſi tota tam diſſona eſt ab harum utraque . Circa hæc , quæ grammatici munus eſſe dixi , diligentiam velim adhiberi : deſidia enim artes omnes perdidit : dum modo ne ſtudium ſit immodicum , ut ingenia nugis obruat , melius aliis rebus & cum majore fructu vacatura : quod video etiam Fabio Quintiliano probari .

Sed habeatur in ſtudio delectus , ut prima cura ſit circa verborum ſignificatus , & loquendi formulas : proxima circa intelligentiam authorum non tam in rebus , quam in ſententia dicti : ut aſſueſcat puer illorum ſenſa eruere , quæ obſcure dicuntur , ac perplexe , in quo exacuitur judicium : tertia circa ſententias ſumptas de vita , quæ *γνῶμαι* dicuntur Græce : tum dicta præclara & proverbia : quarta circa hiſtorias : poſtrema & leviſſima circa fabulas.

Ludi literarii magiſter ab iis vitiis erit alienus , quæ adferre ſecum ſolet artis grammaticæ longum exercitium. Nam quod in ludo inter pueros deſident , ad ineptias & puerilitates tanquam contagio pertrahuntur , gravitatem ac moderationem omnem amittunt , & dum in vitia puerorum coguntur animadvertere , quæ ſunt innumera , & ſubinde renaſcentia , nec ea ſtomachus virilis poteſt concoquere , coguntur prope fævire atque efferari : & in illud ceu piſtrinum detruſi communi ſenſu multum minuuntur . unde magna in illorum vita & conſuetudine exiſtit difficultas morum , atque incommoditas . Feſtive quidam dixit mirandum non eſſe Grammaticos iis eſſe moribus , quos a primo ſtatim Homeri verſu trahant , *μῆνιν ἄειδε θεά.*

Jam

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Jam ut nemo in ſchola contradicit præceptori , induunt ſupercilium atque arrogantiam , & iniquiſſime ferunt repugnare ſibi quenquam : itaque in ſententia pertinaciſſime perſeverant , ne quid decedat authoritati , ſi ceſſerint : nam corona , quæ fere conſtat ex pueris , non pro bona cauſa pronuntiat , ſed pro invicto . Quid quod ſe magnos ſperant fore laceſſendo , atque mordendo omne hominum genus : videlicet agitur res puerorum judicio aut certe virorum puerilium , quibus ſatisfacere magiſter laborat , ut retineat frequentiam . At qui puerili ſunt ingenio , *antiſophiſtam* maledictis obrutum derident , & contemnunt & inſequuntur ut *canem fugientem* reliqui : quaſi ea in illum cadant convitia , in quemcunque effunduntur . Ad hæc ex regno illo & ſævitia puerili minas illas & terricula , & maledicta ſcurrilia in colloquia & ſcripta transferunt : *nebulo* , *tenebrio* , *ſceleroſus* , *error fuſte eluendus* , *monſtrum majoribus hoſtiis expiandum* , *cerebrum in Anticyram mittendum* , qui tanti & tam atroces tumultus de *ſyllabula* prave ſcripta excitantur , aut de hiſtoriola aut fabella non uſquequaque narrata exacte , ut non immerito Auſonius dicat *felicem grammaticum nec eſſe ullum* , *nec unquam fuiſſe* . A quibus omnibus magno & accurato ſtudio prudens magiſter abſtinebit : aſſueſcet comitati , atque humanitati : intererit colloquiis & congreſſibus hominum moderate , ac commode , & quantum poterit a pædore illo ſeſe vindicabit , non diſceſſu corporis , ſed morum cultura diligenti . Præſtabit ſe incorruptum & ſanctum , affabilem diſcipulis , ut patrem , non diſſolutum ut ſodalem . Eruditio ejus erit ampla , accurata , diligens , puta in iis , quæ diximus : modo eodem ordine , ut primas partes obtineant ſermonis vocabula , ſecundas intelligentia authorum , & ita deinceps : memoria verborum ac rerum fœcunda & felix , quam vegetabit cura , & aſſiduitate ediſcendi . Magnam brevi tempore in animos audientium eruditionem inſtillat præceptor , qui in illa vaſtitate Scriptorum tanquam domi ſuæ verſatur , non ut perigrinus ſingula magno labore ſcrutans , quo aliquid unum inveniat , ſed ut dominus , qui quo quidque loco ſit repoſitum novit , paratumque & ad manum habet , quum res poſcit : qua potiſſimum facultate Rhemnius Palæmon princeps grammaticorum eſt habitus

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

tus, & vehementiſſime ætati ſuæ placuit, quum alioqui multis eſſet flagitiis intolerabilis.

Non tam nefas eſſe ducet aliquid ignorare in fabulis ac nugis, quod non modo in rerum naturam peccatum non eſt, ſed nec in artem: cujus generis ſunt, quænam fuerit Æneæ mater vera? quæ Anchiſæ nutrix? quænam Penelope, ex qua Mercurius Panem procreavit? quod Achilli inter puellas nomen? & alia quibus Tyberius Cæſar grammaticos exercere erat ſolitus: de quibus otioſus ille Didymus in immenſo illo voluminum ſuorum acervo diſputavit. Imo vero ſicut in civitate, aut domo bene conſtituta, flagitium admittit magiſtratus vel paterfamilias, qui locum malo & inutili homini relinquit, quem poſſet occupare bonus: ſic delictum eſt, ſi in ingenio ineptiis illis locus tribuatur, in quo reponi poſſent alia profutura. Male agitur cum literis, & peracerba crux ſtudioſo labori figitur, ſi hæc quoque ex eruditione eſſe exiſtimentur. Profecto miſeri ſunt grammatici, qui hæc exquirunt. Urbane Virgilius, qui quum rogaretur, quid ſibi vellent illa ex tertia ecloga:

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Treis pateat cœli ſpatium non amplius ulnas,

crucem ſe eo loci grammaticis defixiſſe reſpondit.

Vernaculam puerorum linguam exacte cognoſcet, ut commodius per hanc & facilius eruditas illas tradat. Quod niſi lingua patria aptis & propriis ad eam rem de qua loquitur, utatur verbis, fallet ſubinde pueros: iſque error adultos jam & grandes pertinaciter comitabitur. Quid quod pueri nec ſuam ipſorum linguam ſatis intelligunt, niſi explicatiſſime ſingula dicantur. Teneat memoriam omnem vetuſtatis linguæ patriæ: & cognitionem non verborum modo recentium, ſed priſcorum quoque, & quæ jam exoleverunt: ſitque velut præfectus quidam ærarii linguæ ſuæ: nam ni ita fiat, quum unaquæque lingua mutationes crebras recipiat, libri ante centum annos ſcripti non intelligerentur a poſteris. Qua de cauſa multa in duodecim tabulis Marcum Ciceronem, & magnos juriſconſultos fugiebant: multa etiam quotidie in linguis vulgaribus fiunt ignota. Habebit amplam & copioſam verborum Latinorum ſupellectilem, ſed vere Latinorum, ut ab

eo

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

eo possint pueri tanquam ex fonte incorrupto haurire: ne cogat eos per ambages quæ velint eloqui, aut quod est turpius atque incommodius, digito indicare. Hæc quidem earum rerum, quæ sub sensus veniunt, appellatio necessaria est inter ponendum prima rudimenta: illud tamen provectioribus utilius, ut assuescant abstrusos animi cogitatus scite expromere, in quo uno sita est universa eloquentiæ vis.

Enarratio habeat multum facilitatis & lucis. Initio verbis vulgaribus, hinc paulatim Latinis, distincta pronuntiatione, & gestu intelligentiam adjuvante, dummodo ne ad histrionicum deveniat. Quæ loca ex authoribus vel ad exemplum vel ad dicti sui corroborationem adducet, curabit quantum fieri poterit, ne sola habeant verba, sed & sententiolam quoque, aut rem aliquam ingenio, vel vitæ conducibilem. Verborum quum significatus exponet, adferit de probatis authoribus dictum: in quo potissimum spectabit, ut vim vocis apertissime auditoribus declaret, tum si licuerit, ut aliquid habeat cognitione dignum: quæ si non inveniat, utetur quibus dabitur: ipse nonnunquam, ut melius ob oculos rem subjiciat, exemplum de suo finget, quod deformatum erit in speciem vel sententiolæ, vel fabellæ, aut historiæ, aut proverbii succincte comprehensi. Historiam aut fabulam inter prælegendum non ordietur a capite, sed quantum auditoribus ad præsentis loci intelligentiam erit satis: quod si prius illam audierint, paucis submonere suffecerit. Quæruntur tamen interdum amœna & dicenti, & audienti diverticula, ut historia, vel fabula levandi tædii gratia fusius explicetur: quam in partem malim grammaticum peccare, quam jejunitate quadam: dum Stoico quodam more punctim res indicasse satis esse putat. Nomen viri, si quod incidit, ex illis quos fama celebravit, nempe vel bellicis laudibus, vel sapientia, & cognitione rerum clari, vel etiam nobilitati fœdis facinoribus, ostendetur unde is natus, quibus parentibus, & aliqua ex ejus laudibus attingentur præcipua, vel ea certe, quæ maxime ad propositum faciant: eodem modo de probro atque ignominia. Tempora exhibuerit jam insignibus notis distincta, ut mox dicam: tum facile cui notæ vicinior fuerit, de quo loquitur, indicabit: urbs, mons,

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

mons, fluvius, fons, quo loco ſitus, quantum a notabili loco diſtet: nempe ab Alpibus, a Pyrenæis, ab urbe Roma, Athenis, Rhodo, Hieroſolymis, Nilo, Rheno, Euripo, ſupero mari, aut infero: quem virum inſignem ediderit, quid potiſſimum pariat, tum ſi quid ad memoriam notabile in eo contigerit. Animans, aut planta, aut lapis breviter deſcribendus: & aliquid de illius natura & viribus ſummum & ad cognoſcendum pulcherrimum, annotandum; ſi rarum ſit, aut regioni noſtræ ignotum, docendum ubi proveniat. *Sententia* quæ *γνώμη* dicitur exemplo aliquo adjuvanda, aut alia ſententia, vel clariore illuſtranda, vel majoris authoritatis fulcienda. Si quid ſit in ea pravum, ad normam pietatis noſtræ corrigendum. *Proverbii origo*, & ſenſus germanus, quantum fieri poterit, eruendus: tum quis uſus, ſimul dictum alicujus allegandum: qui appoſitiſſime videatur attuliſſe, & maxime in loco. De re altioris diſciplinæ facilia quædam delibabit, & captui ſuorum adoleſcentium conſentanea, tantum ut authori ſuo quomodocunque ſatisfaciat: reliqua difficiliora, aut altiore repetenda principio, ad ipſarum diſciplinarum traditionem remittet. Conſilium authoris exponet: quod Donatus facit, licet in eo nimius: tum obſcura Scriptoris dicta per alia ejuſdem ſimilia, ſed paulo lucidiora, declarabit: quod ſi ejuſdem non habet, certe alterius ejuſdem ætatis, aut proximæ: ut oſtendat eam fuiſſe vel authoris ſui, vel illius ſeculi rationem loquendi, aut ſentiendi. Ad quæ omnia exemplum meo quidem judicio ex Servio Honorato poteſt ſumi. Non diſputo de veritate dictorum ejus, exponendi artem & viam in primis probo: eamque pro lege inſtituendi propoſitam velim eſſe ludimagiſtro: tametſi copioſiorem hunc eſſe, & prolixiorem in enarrando convenit, quam fuit in ſcribendo Servius: minutiora quoque in auditorio conſectanda, quam in libro componendo. Meminerit aptiſſimæ imaginis, quam de puerili ingenio Quintilianus expreſſit, *eſſe ea velut vaſcula anguſti oris, quæ ſuperfuſam humoris copiam reſpuant, ſenſim inſtillatam recipiant*. Itaque initio pauca & facilia objiciet, mox conſuefaciet pluribus, majoribus, ſolidis. Inter exordia ſubinde interroget, & eorum quæ audierit rationem repoſcat. Nam magnopere expedit ea memoriæ affigi.

Au-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Audiet puer attentus, & intueatur in præceptorem, niſi quum inſpiciendus erit liber, aut ſcribendum. Norit ſenſum diſciplinæ eſſe auditum; quæ animantes eo careant, diſciplinæ capaces non eſſe: nihil eſſe vel promptius quam multa audire, vel fructuoſius. Quæcunque a doctore acceperit, credat eſſe mera oracula: & quia omnibus ſuis numeris exiſtimabit eſſe conſummata, & plena, velit ſe multo hujuſmodi artificis eſſe ſimillimum. Platonis diſcipuli curvum ejus dorſum referebant, Ariſtotelis balbutiem, quod ea etiam pulchra & imitanda ducerent, quia magiſtrorum. Equidem imitationem vitiorum non probo, ſed malo ut vel vitia exprimant, modo cum virtutibus, quam ut ne virtutes quidem. Diſcet recte ſcribere, & celeriter. Rectæ ſcriptionis jaciuntur fundamenta, quum docentur legere: ut quæ literæ, quæ ſyllabæ, quas voces ſive ſeparatæ, ſive conjunctæ reddant, probe atque ad manum teneant: & perſuadeant ſibi, quod revera eſt nihil ad ampliſſimam eruditionem perinde conferre, ut & multa multum ſcribere, multum atramenti, & chartæ perdere. Itaque unuſquiſque puerorum habebit librum chartæ vacuum in partes aliquot diviſum ad ea accipienda, quæ ex ore præceptoris cadent, utique non viliora, quam gemmæ. In parte una reponet verba ſeparata, & ſingula. In altera proprietates loquendi, atque idiomata ſermonis, vel uſus quotidiani, vel rara, vel non omnibus nota, atque expoſita. In alia parte hiſtorias. In alia fabulas. In alia dicta, & ſententias graves. In alia falſas & argutas. In alia proverbia. In alia viros famoſos, ac nobiles. In alia urbes inſignes. In alia animantes, ſtirpes, gemmas peregrinas. In alia locos authorum difficiles explicatos. In alia, dubia non dum ſoluta. Hæc initio ſimplicia ac velut nuda, aliquanto poſt conveſtiet ac ornabit. Habebit majorem codicem, eodem referet tum quæ a præceptore acceperit copioſius dicta & fuſius; tum quæ ipſe ſua opera apud magnos ſcriptores legerit, vel ex aliis dicta obſervarit: & quemadmodum in hoc ſuo veluti calendario ſedes & nidos habet quosdam, ita ſi velit ſingulorum nidorum notas pinget ſibi, quibus ea diſtinguet inſcriptionibus, quæ in quenque eſt locum relaturus.

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Prima ætate exerceatur *memoria*, quæ excolendo augetur: multa ei commendentur cum cura, & ſæpe. Nam illa ætas laborem non ſentit, quia non expendit: ita extra laborem omnem ac negotium dilatatur memoria, & fit capaciſſima: tum rudimentis imbuuntur tenera ingenia, quæ rudimenta quum ſint faſtidii pleniſſima, retineri tamen e re eſt, & imprimi animis. Ergo quod viris operæ cenſoribus eſſet ſubacerbum, puerili ætati eſt etiam ſæpenumero ſuave: quare tunc ſunt tradenda, a quibus viri abhorrerent. Memoria duabus conſtat partibus, *celeriter comprehendere*, & *fideliter continere*: celeriter comprehendimus, quæ intelligimus: continemus, quæ attente & crebro memoriæ mandavimus. Utrunque ordine adjuvatur, etiam ad ea, quæ elapſa jam ſunt, revocanda: in quo eſt illa recordatio, qua belluæ dicuntur carere. Quæ fuerint memoriæ credenda, in ſilentio *alieno* mandentur, *noſtro* nihil eſt neceſſe: nam non raro tenacius infiguntur, quæ altius legimus: quemadmodum *audita* de aliis melius retinemus, quam a nobiſmetipſis *lecta*: & in altiore *lectione* duobus ſenſibus patefacimus ingreſſum ad animum, *intuitu* & *auditu*. Quod ſi cogitatio incipit digredi parvo murmure, & revocanda eſt prior, & quæ interpellat, excludenda. Ac quemadmodum cibus paulo ante ſumptus magis gravat ſtomachum, quam auget vires, donec concoctus in venas & corpus digeritur: ita lectio continuo poſtquam eſt *audita* parum prodeſt, quoad incipiat quaſi in ventriculo confici. Quæ ſub ſomnum ediſces, ea tibi de mane repræſentabuntur a memoria longe promptius, quam alio tempore: dum ne cubitum concedas vel crapula obrutus, & nimio cibo gravis, vel inedia abſumptus & exhauſtus. Utiliſſimum eſt quæ memoria contineri cupimus, ea ſcribere; neque enim aliter infiguntur ſtylo in pectus, quam in chartam: videlicet attentio in eo quod ipſi ſcribimus, diutius immoratur. Itaque magis ſuppetit tempus, ut illud adhæreſcat. Quæ pueri de præceptore audiverint, reddent primum vel condiſcipulorum alicui provectiori, vel *hypodidaſcalo*, poſtmodum præceptori ipſi: ne magiſtri verecundia rudes ac infirmos confundat. Et a primo ſatis erit *ad verbum* reddere: aliquando poſt conferent ſimilia nominibus & verbis, quæ didicerint. Jubebuntur proferre, quid pu-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

putent ſe ex præceptoris dictis annotaſſe, quod in uſum ſuum vertant. Tum idem aliis verbis mutabunt, & adferre paria tentabant. Doctiores condiſcipuli eadem, quæ a præceptore ſint audita, indoctioribus repetent, ac familiarius explanabunt, ut & exerceantur doctiores, & indoctiores excitentur: facilius videlicet attollunt ſe pueri ad intelligentiam *æqualium*, quam *magiſtri*: quippe parva & tenera citius apprehendunt quo invitantur, proxima, quam excelſa: quod in arboribus videmus contingere. Loquentur primum ſua lingua, quæ illis domi eſt nata, in qua ſi quid peccent, emendabit præceptor: dehinc paulatim Latine: admiſcebunt ea quæ de præceptore hauſerint, vel ipſi legerint: ut inter primordia miſtus ſit ſermo in ſchola ex patrio & Latino: foris patrium loquentur, ne omnino conſueſcant linguas commiſcere, ac perturbare. Curabit inſtitutor, quantum præſtare poterit, ut pura ſint verba, & ſermonis Latini propria. In hoc ut omni alio exercitio admonendi ſunt tirones, ut fidant magis *canonibus*, quam *uſui*, vel judicio ſuo, quæ duo rudibus ſunt infirma, & facile imponunt. Senſim accreſcet eruditio, tum erunt prorſum Latini. Conabuntur ſenſa animi Latinis verbis exprimere: nihil eſt enim quod æque ad percipiendam linguam valet, ut *uſus*. Quod ſi quis loqui erubeſcat, huic linguæ eſt facundia deſperanda. Qui poſt annum quam inceperit inſtitui, Latine recuſabit loqui, multetur pro ætatis ac conditionis ratione. Lapſus in re difficili corrigatur, data venia, modo proficiat emendatio; in re autem facili puniatur. Navabit operam, ut effingat verbis ac ſermone tum præceptorem ipſum, tum authores eruditos, quos ei præceptor indicabit; Viros quoque doctos ejuſdem magiſtri approbatione: nam cum iis qui corrupte loquuntur, conſultius eſt ea lingua ſermocinari, ad quam non poſſit tranſire contagium. Et quandoquidem ſermo eſt hominibus ut mutuo inter ſeſe intelligant, tributus, facilem eſſe eum, ac dilucidum convenit, ne interprete ſit opus. Claritas vero ex ſermone ipſo conſiderabitur, non ex audiente: qui ſi ſit linguæ ignarus, neque nos dicentes aſſequatur, non protinus obſcure erimus locuti: imo vero aperte ac facile, ſi & verba uſurpemus uſu bene loquentium trita, & compoſitio ſit dilucida, id eſt, naturali quo-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

dam ordine disposita. Quocirca vitanda penitus verba vetustate desueta, dure translata, & longe, noviter conficta, poëtica, potissimum in Græcis, transposita, & tracta quo non oportet, seriem in longum dilatam. In sermone *Græco*, quandoquidem eum sumimus tantum ad cognoscendos authores, non perinde erimus de *loquendo* soliciti, ut de *intelligendo*. Si cui vero tantum vacat, & per ingenium licet, assuescat *eloquendi* etiam *facultati*.

Animadvertenda sunt in pueris oris vitia, ut corrigantur: velut quum vox est nimium gracilis, & tenuis literæ explicatio: quo vitio qui sunt affecti, ἰσχνοθέπαι nominantur, contrarium huic πλαπασμός, quum pinguis est sonus, & appellatio literarum crassior: quod in Sulpitio, & Cotta, Lucius Crassus apud Ciceronem notavit. Si verba ex gutture tanquam recondita depromant, ut Arabes & Hebræi, dicuntur λαρογγίζειν, quum in recessu oris vox auditur, est *cœlostomia*. Aristoteles tria facit vitiose loquentium genera: ἰσχεφώνους, qui literam aliquam certam exprimere non valent, quos Latinus sermo *blæsos* nominat: ψελλούς, qui in pronuntiando literam prætereunt, seu syllabam, quos *balbos*; quibus Cicero *disertos* opponit ad *Papyrium Pœtum*: τραυλούς, qui *hæsitantes* appellantur. Ὀρθοέπεια est recta oratio, & vitiis carens pronuntiatio. Lamdacismus fit & Jotacismus, quum literæ illæ ultra justum decorem exprimuntur. Sunt literæ quibusdam nationibus peculiares, ut per literam Erethrienses crebro inculcabant, & Germani sibilum sigmatis. Quæ vitia sunt ex consuetudine, tolli queunt: quæ ex natura corrigi possunt, tolli non possunt. Sed certe licet usque eo caute occultare, ne fœde existant.

Videndum ne pueri spiritum per raritatem dentium non recipiant, sed resorbeant, neu præcipitanter consuescant loqui, neque institutor ipse exemplo illis sit ad celeritatem sermonis rapidam, ac volubilem. Sunt enim ludimagistri quidam qui se pro absolutis grammaticis habitum iri sperent, si cursu quodam citatissimo, verba non proferant, sed effundant: quæ res magnam imprudentiam parit in vita, & plerumque summum dedecus: non enim potest mens volanti linguæ sensorum copiam necessariam

sug-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

rere magis, ſtultiſſimi exiſtimantur etiam ab iis ipſis, a quibus & juris callentiſſimi? Videlicet facile eſt homini quamlibet tardo, & ignaro rerum omnium, memoriter leges illas complecti, & tanquam indicem, ubi quicquam habeatur, oſtendere. Nam ego hos homines, qui leges alias ſuper alias accumulant nulla addita ratione æquitatis, quæ ex ingenio, & multarum rerum experimentis ac ſcientia excuditur, non juriſconſultos ſoleo nuncupare, ſed elenchos, aut indices legum. Miſelli quid facient, ubi nullus eſt legum Romanarum uſus, ut apud Turcas, apud Chriſtianos etiam fere omnes: in quibus unaquæque gens, alia mores ſibi obſervavit ſecundum quos viveret: alia leges invenit commodiores ſibi, quam eſſent Romanæ ille? Nec injuria: quippe quæ Romanis olim congruebant, non omnibus jam congruunt: mutata eſt ratio vivendi, ſtatus reram mutatus. Dialecticus ubique eſt dialecticus. Medicus ubique eſt medicus. Philoſophus ubique eſt philoſophus. Peritus æquitatis ubique eſt peritus æquitatis, multum omni loco apud omne hominum genus pollet, ac poteſt. Iſti juriſconſulti non ubique ſunt juriſconſulti, imo jam pene nuſquam. Triplex, quadruplex eſt eis diſcendum jus civile, prout mutant locum: pro quibus omnibus una æquitatis ſcientia ſufficeret, addita levi cognitione conſuetudinum & morum ejus populi, in quo viverent. Acutius tum reſponderent de jure, & melius, atque incorruptius. Jam quomodo citant has leges? non aliter utique quam indices. Veteres illi antiſtites æquitatis adducebant quidem interdum placitum aliquod majorum ſuorum, qui ſcientia juris valuiſſent: ſed raro, ſed leviter: & ratione magis acquieſcebant, quam alterius ſententia atque opinione. Leges vero multo rarius: nam de illis conſtabat, de interpretatione erat quæſtio. Iſti nullum faciunt finem legesalias ſuper alias congerendi, quod eſt plures leges tenere, non plures intelligere. Et ſubinde occinunt nobis illud: *Erubeſcimus ſine lege loqui*. Quid eſt *ſine lege?* Si abſque citatione capitis alicujus legis. Quid poteſt dici imperitius, quid ineptius, quam non eſſe ſine ejuſmodi loquendum lege? Sin vero, quod magis puto, *ſine lege* eſt, *ſine ratione* ac modo, erubeſcant, qui ſine ratione ac modo ſemper loquuntur, & *ſine lege* ſuas leges profundunt: quod

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſuggerere: ita cogitur vel tacere turpiter, vel abſurda & ſtulta effutire: quod ſi hæreat, nihil eſt deformius, quam in curſu illo mora, & difficultas ei cui omnia videbantur eſſe plana, ſeu prona potius. Satius eſt ut tarditate, quam celeritate in loquendo peccetur: in tarditate licet ſæpe, quæ dicturus es, præmeditari, in celeritate vix raro. Eſt tamen quiddam inter ea medium, quod conſultiſſimum fuerit tenere: & expeditam quidem volubilemque loquendi rationem, etiam interim inconſideratam, ut non improbarim in puero tamquam virorem ætatis, ita quum incipiet adoleſcere, mitigabo, & reprimam, ne incogitata verba, & *in labris naſcentia* conſueſcat fundi-tare.

Scribendi exercitatio plurimum confert. *Stylus* (inquit Cicero) *magiſter & effector dicendi optimus*. Ergo poſtquam ſyntaxin didicerint, reddent vulgares orationes in Latinum, & has viciſſim in vulgarem ſermonem: ſed eas perbreves, quibus addetur aliquid quotidie. Idem fiet in Græco: quamquam in his malim ut ex Græcis ad nos diſcant, quam a nobis illuc traducere.

Advertendum probe, vim linguæ utriuſque neceſſe eſt ut interpres teneat: exercitatiorem tamen eſſe in ea oportet, ad quam transfundit. Sed nec integre verba poſſunt transferri, quorum omnino ignoretur ſenſus. Parum convenienter Ariſtotelis volumina, qui philoſophus non ſit, interpretabitur, nec Galeni, qui non medicus. Exercebuntur itidem ſententiis magnorum authorum difficilibus explanandis. Intentione ad eam rem vehementer eſt opus, ideoque excitatur, atque acuitur ingenium, & judicium fit vegetius. Mira dictu res, eſſe nonnullos, qui quod loqui ſciant, idem ipſum ſcriptum ſi legant, non intelligent: quod accidit, uti ego quidem autumo, quia vagus animus ac ſparſus ſatis habet ad loquendum intentionis, non ſatis ad intelligendum ſcripta: ſeipſum enim recolligere, & quaſi cogere non ſuſtinet. Accedet exercitamentis collatio ſcriptorum cum formulis in quibus congruant, in quibus diſſideant: nam vaſtus uſus non potuit in regularum alveum cunctos corrivare. Scribent epiſtolam facilem, aut fabellam, dilatabunt exemplum, apophthegma, ſententiolam, proverbium ſolvent, & diffun-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

dent carmen muneris aſtrictum, atque eadem efferent abſque numeris: qua in re exercitaviſſe nonnunquam ſeipſum Craſſus apud Ciceronem teſtatur: idque Laurentius Valla, & Raphaël Volaterranus fecerunt Homerum vertendo. Quod tamquam puerile tirocinium probo, tanquam interpretationem juſtam tanti authoris non probo: præſertim quod eo traductionis genere, maxima gratiæ pars præclariſſimo operi detrahitur. Scribet in principiis pauca, accurate tamen, deinceps plura: compoſitio enim ab anxio labore non venit, ſed uſu potius, atque exercitatione attenta & diligenti, ne initio ſubtilia non effugiant, quæque ad rem maxime faciant, quum non credamus. Conſervabunt quæ prioribus menſibus ſcripſerint, ut ſequentibus comparent, & profectum deprehendant, eaque inſiſtant, qua ſe profeciſſe intelligent.

Non eſt ſtatim puero ad ſcholam deducto diſputandum: nam quid tandem dicet rudis omnium? ſed tacitus rationem ſcholæ conſideret, ſeduloque contempletur ſingula: poſtmodum incipiet aliquid ab aliis condiſcipulis ſciſcitari magis, quam altercari, aut inquirere. Hoc Pythagoras Samius reputans, annos aliquot jubebat puerum ſuum tacere, ne levibus ſe quæſtiunculis jactare conſueſceret. Concertatiunculæ poſtquam fuerint conceſſæ, erunt initio crebriores, & de iis quæ audierint. Æmulatio enim illa commovet pueriles animos, nec ſinit otio obtorpeſcere. Idcirco Dominus tanquam pueros Judæos provocat, ut de regno cœleſti cum gentibus contendant, ſicut eſt in Epiſtola Pauli ad Romanos. Ergo pueri laude & præmiolis, quæ illa ætas capit, tum reprehenſione, & objectu æqualis melius dicentis, ſunt extimulandi. Providebitur tamen ne res longe in odia, & rixas abeat. Certabunt contente, ſed citra acerbitatem. Paulatim hi conflictus in ſtudiorum collationem vertentur, & motus illi puerilium animorum ſenſim ponent. Quandoquidem conſultius eſt adoleſcentes nihil ſcire, quam ambitionis, & ſuperbiæ mancipia fieri. Nemo niſi expertus, credat facile, qui, & quam fævi, ac importuni affectus ab adoleſcentibus alantur inſciis, tamquam vipera in ſinu. Et puerili quidem ætati præmiola, laudeſque tamquam luſus permittuntur, quæ adoleſcentibus nugas eſſe pueriles demon-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

monſtrentur, haud ſecus quam nuces, aut equos arundineos, vel ligneos, ut erubeſcant ipſi eadem expetere, qui jam pueritiæ nomen exuerunt. Præceptoris ſententia atque uſus multum proficient, ut illa velint contemnere: nam quum ipſe in ea invehetur ſæpe dictis gravibus, & oſtendet eſſe ridicula, tum vero vita ſua, quæ dixerit, confirmabit.

Quæ porro inter ſe conferent grandiuſculi, hæc erunt fere. Quam conveniat canonibus cum uſu; de authorum obſcure ac intricate dictis; de explanatione ſententiæ, proverbii, apophthegmatis, fabulæ, hiſtoriæ, parabolæ: quæ origo illorum, quæ mens, quæ accommodatio: de nomine, viri, urbis montis, fluvii, fontis, provinciæ, animantis, ſtirpis, lapidis, metalli: de vi vocabuli, & ejus *originatione*, de proſodia ejus, & orthographia, de loquendi formula, de ſtructura, de lege carminis: omnia hæc quantum ætas illa feret, & ſtudiorum ratio. Et quando homo a natura nihil eſt edoctus, omnia ei ſunt doctrina, labore, uſu, diligentia excudenda: fallitur ſæpe, & in diverſum abit, quam oportet: itaque correctio eſt omni tempore, omni ætate neceſſaria: nec debemus ſinere, ut aliquid adhæreat vitii, atque invaleſcat. Sunt tamen nonnulla, quæ nondum capiet, ea in aliud tempus magiſter differat, præmonitis tamen diſcipulis, non ideo approbari, quæ faciant, quod non reprehendantur, id enim condonari illorum infirmitati, venturum tempus, quo opportunius patefaciat, cur diſpliceant. Nec deſunt quæ ad præſens in pueris probemus, in viris jam & confirmatis reprobanda. Sed in percipienda eruditione aliquid forte expediat diſſimulari, nec cenſeat culpam eis omnem præſtandam, mores certe omni vitio immunes eſſe convenit: non ut in ætate illa omnibus ſuis numeris abſoluti ſint, ſed ne pravi certe, atque ſtatim initio corrupti. Meminerit prudens inſtitutor, quantum inter exordientem, procedentem, & abſolutum interſit: non id eſſe a puero incipiente requirendum, quod a juvene longe in diſciplinis & formatione morum progreſſo: nihil adeo eſſe præpoſterum, ut fructum jam tum maturum exigere, quum arbores germinare primo vere incipiunt: ne iraſcatur, & ſuccenſeat pueris, ſi non eadem præſtent, quæ juvenes

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

diu inſtituti, atque etiam interdum, ſi Deo placet, idem ipſe. Quo quum nihil ſit aliud dementius, non deſunt tamen præceptores, qui id atrocibus minis, qui plagis, & verberibus a puerulis efflagitent, ipſi verberari digniores. Servet in cenſura modum ne vel ſe demittat, vel illos efferat: non franget acerbitate verborum animos, nec ſeveritate confundet. Inter operis alicujus exordia, puta quum aliquid incipient Latine effari, aut ſtylum movere, connivendum eſt ad errata quædam, quæ ſpes ſit paulatim poſſe emendari: etiam laudibus atque approbatione tamquam ſubdito calcari excitandi ad curſum, ne ſi novi ſtatim ac teneri irriſione præceptoris, aut ſodalium pudefiant, deſpondeant animos priuſquam periclitentur vires: nihil enim audebunt aggredi retardati eo mutu, ne aliis riſum de ſe præbeant. Provectiores nonnunquam de eo laudandi, quod inſtitutor præfertur; fore ut quandoque diſpliceat. Atque id temperamentum in emendando, ac corrigendo ſervabit, ut etiam ſi nonnulla parum exacta traſmittat tacitus, nihil tamen affirmet, ita eſſe quæ a diſcipulis ipſis ſecus habere poſſit deprehendi: magnopere id authoritatis pondus elevat.

At vero quoniam hominis ingenium ab incitatis animi morbis ad pejora deprimitur, coërcendus eſt inconſultus ille motus, & compeſcendus reprehendendo, caſtigando verbis, & quum opus eſt, verberibus: ut belluarum more revocet eum dolor, cui ratio non eſt ſatis: tametſi liberalem hanc caſtigationem, quantum fieri poſſit, eſſe malim, non aſperam, aut ſervilem: niſi ejuſmodi ſit ingenium, ut officii ſui plagis ſit tanquam mancipium admonendum. Pueris, & iis qui puerili ſunt natura, non admodum ſeſe magiſter familiarem præbebit: de quibus illud eſt in comœdia. *Nimia familiaritas contemptum parit*. Erit ergo gravis ſive acerbitate, & mitis ſine diſſolutione: non minabitur, niſi quum res flagitabit: nec convitia ingeret in pueros, unde illis prompta ad maledicendum facultas atque exercitatio. Poſt minas niſi puer obtemperarit, vapulet, ſic tamen ut tenerum adhuc corpuſculum acriter in præſens doleat, nihil deinceps ſentiat incommodi. Nullo modo ita ſe gerat, ut aſſuefaciat pueros minas aut reprehenſiones ſuas contemnere: quas velim

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

lim ne extra tempus consumat, reservet semper opportunitati, quæ rebus omnibus gratiam & pretium conciliat. Tum ne velut callum obducant verberibus. Grandiusculi coërcendi quidem rarius plagis, interdum tamen. Plerumque vero metu ac reverentia præceptoris, & gravium virorum de academia, qui velut testes adsunt, atque spectatores virtutis, aut vitiorum uniuscujusque. Hinc respectu patris & propinquorum. Indicandum quanta sit in studiis dulcedo, quæ voluptates, quam solidæ, quam perpetuæ, quam diuturnæ, quibus nullæ omnino valeant comparari: præterfluere reliquas omneis, & esse dilutissimas præ his: quod sit etiam viaticum senectutis rerum peritia: quantum ad universam vitam præsidium, sive ornamentum quæratur rebus lætis sive solatium afflictis: contra quæ tenebræ, & quæ mala tam pernicioſa ex ignorantia nascuntur: quas omnes ad res non poterit cuilibet non ampliſſima suppetere exemplorum copia. Subinde admonendi, ut quæ de moribus audiunt, ne ita accipiant, ut historiolam quampiam, quam satis est audivisse: hunc esse animorum pastum saluberrimum, concoqui & digeri oportere, & in animi substantiam converti: quod ni fiat, ut cibum in corpore, ita res morales animo officere. Veniat illis crebro in mentem præsidentis mundo Dei, nos omnes venturos per mortem ad ejus tribunal, cui nemo excipitur: mortem ex æquo instare omnibus, minari omnibus, ubique præsto esse, ac impendere: eodem momento adolescentes & senes efferri. Habebit præceptor communes aliquot locos breves, & maxime efficaces adversus singula vitia, queis illa ætas infestatur, quam instituendam ac formandam recepit, ut adducat vitium vel in odium, vel in contemptum.

Sed quatenus & animorum & corporum nostrorum vires non solum finitæ sunt, verum imbecillæ admodum, ac tenues, concedendæ sunt illis quædam refectiones, ac reparationes, ut diutius labori sufficiant: alioqui exiguo tempore exhaustæ, nihil deinceps valerent. Exercitamenta corporum crebra sint in pueris, nam ætas illa incrementis indiget; ac confirmatione roboris. idcirco nec premendi sunt nimium, nec ad opus urgendi, sed permittenda laxamenta intentionis, *ne studia odisse incipiat*

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

piat priuſquam amare: ſic tamen ut ne ad ſpurcas voluptates delabatur. Miræ libertatis eſt humanum ingenium, exerceri ſe patitur, cogi non patitur: multa ab eo facile impetres, pauca & infeliciter extorqueas.

Luſus ſint, qui honeſtatem habeant cum jucunditate conjuncta, quales ſunt pila, globus, curſus. Si Cicero civi ſuo honeſtos ac moderatos luſus præſcribit, quanto magis philoſopho a nobis præſcribi par eſt? Omnia fiant ſub oculis ſeniorum aliquot, qui illis ſint venerabiles. His luſionibus hoc fini dabitur opera, ut corpus vegetetur, non ut ferociat. Valetudinis ratio univerſa eo pertineat, ut valeat mens, & ſit quod ille potiſſimum, a diis precabatur, *mens ſana in corpore ſano*, tum ut reficiatur, & recreetur animus, quo ferendo ſit oneri quotidiani negotii. Latine inter ludendum loquentur, ſtatuta illi pœna ex ratione ludi, qui patrio ſermone erit uſus. Latine facile loquentur, ac proinde libentius, ſi omnino quæ ludendo ſint dicenda, explicata habeant a præceptore bonis, & propriis verbis: inviti enim eloquimur, quæ nos improprie aut inepte dicturos metuimus. Ac quum tempus exercere corpus non ſinet, aut quibus vel non licebit, vel non libebit, magno oblectamento erunt ſermocinationes feſtivæ & ſuaves: cujuſmodi ſint fabellæ, aut hiſtoriolæ, aut ejuſmodi narrationes jucundæ, lepidæ, argutæ, facetæ, eodem referuntur dicta vel fuſe urbana, vel breviter ſalſa & ridicula. Permittendus interdum quoque luſus ſoliorum longiuſculus, qui ingenium & judicium, & memoriam exerceat, quemadmodum etiam latrunculorum, & acierum; habebunt porticus vel laxa atria, quibus ſe reficiant pluvio tempore. Prima ratio erit ingenii ac memoriæ; quæ nimia curatione corporis opprimitur. Sapienter quiſquis dixit, *magna cura corporis, magna eſt animi incuria*. Sic tamen ne corpus neglectum; ſquallore obducatur, ac ſordibus, quo nihil ſit valetudini, atque ingenio inimicitius.

Victus ratio & ad mentis acumen, & vigorem memoriæ plurimum in omnem partem confert, ut moderata ſit, ut idoneis temporibus, ut congruens temperandæ cujuſque inſtitutioni, ne noxius aliquis humor radices agat in corpore. Exucci humectantibus utantur, pituitoſi cali-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

calidis & arefacientibus : melancholici contrariis naturæ illi, quæ extenuent ſpiritus, ac hilariores reddant, quibus vinum paulo concedatur largius, quemadmodum Sapiens Hebræus conſulit, *dandum vinum mœſtis*: bilioſi refrigerabuntur : & tenuiſſimis ſpiritibus erunt craſſiuſcula tum ad valetudinem ſalutaria, tum etiam ad cohibendam judicii vim, ne ſubito in præceps feratur : quo vitio multum infeſtantur ſubtilia nimium ingenia. Adoloſcentes ne ſubducant ſe; nam vel potabunt, vel magnas ſponſiones ludent, vel ſcortabuntur, ut cujuſque erit ingenii proclivitas. Hactenus linguarum inſtitutio.

Arbitror jam a me expectari, ut quibus ex fontibus hauriendam eruditionem hanc exiſtimem, aperiam : faciam equidem pro virili portione mea. Sed de authoribus tamen in univerſum quædam ſunt mihi præfanda. Scriptores non ſunt omnes eadem metiendi regula. Sunt qui in tradendis ſuis ordinem quemdam ſunt ſecuti, & methodum brevem ac dilucidam, atque ad percipiendum facilem : hi ſunt non modo relegendi, ſed ediſcendi quoque ad verbum. Alii exacte quidem perſecuti ſunt ſuſceptum argumentum, ſed vel fuſius tamen, vel perplexius, quam expediat addiſcenti : hic relegendus eſt quidem, non tamen perinde ut prior verſandus, & terendus manibus. Alios ſuffecerit legiſſe. Sunt quos nihil neceſſe ſit legi, ſed in bibliotheca tantum ſervari ad conſilium quum uſus poſcat.

Ante omnia arcendus puer ab authore, qui vitium poteſt fovere ac nutrire, quo is laboret : ut libidinoſus ab Ovidio ſcurrilis a Martiale, maledicus & ſubſanator a Luciano, pronus ad impietatem a Lucretio, & pleriſque philoſophorum, Epicureis potiſſimum. Glorioſulo non multum conferet Cicero, niſi oſtendas, vel quo pacto poſſit quis ſemetipſum citra odium laudare, vel quemadmodum ne in maximis quidem viris, & omni pene laude majoribus gloriationem feramus. Veniat jam ad lectionem gentilium, tamquam in agros venenis infames præmunitus antidoto, per pietatem homines jungi Deo : eam eſſe a Deo traditam : quæ homines excogitarint, plena eſſe erroribus : quæ contra pietatem ſint, ex vanitate hominum orta eſſe, & impoſturis diaboli hoſtis va-

ferri-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ferrimi : hoc ſufficiet in genere abſque explicatione. Meminerit ſe per gentiles iter facere, id eſt, inter ſpinas, inter toxica, aconita, & peſtes præſentiſſimas, ut ex eis ſola ſumat utilia, rejiciat cætera, quæ nec ipſe anxie ſcrutetur, nec præceptor laboret explanando. Bene Laurentius Valla de verbo quodam obſcœno, *ignorari malo, quam me docente ſciri* : Itaque avertat potius, quantum poterit longiſſime, & ad ſenſum magis ſincerum traducat. Hæc præfati ad authores accedamus linguæ utriuſque. In quibus ſunt qui oratione ſcribunt numeris *aſtricta*, alii *ſoluta*, quam *proſam* vocant, & *pedeſtrem*: priores *poëtæ* nominantur, quorum concentus artis eſt muſicæ : materiam nullam habent certam, ſicut nec reliqua, quæ a Græcis ὄργανα nuncupantur, ut grammatica, dialectica, & ars dicendi. Magnum eſt in ea levamentum animorum ex harmonia & concentu. Sed propter ea, quæ ſibi priſci poëtæ deſumpſerunt canenda, multis in ſuſpicionem ars venit corruptelæ, quibusdam in odium quoque apertum ac profeſſum : de qua quæſtione tametſi longa diſputatio eſt, & varia, tamen ſententiam noſtram aperiemus paucis. Equidem quod ad verſum attinet, dulces illos eſſe cenſeo propter eam congruentiam, quæ eſt melodiæ cum animo humano, de qua dicebam modo. Sunt in verbis ſive propriis, ſive translatis grandes, ſublimes, ſplendidi ; habent ingentium virium argumenta, habent affectuum admirabilem expoſitionem, quæ energia dicitur : afflant magno quodam & excelſo ſpiritu, ſicut & afflantur ipſi, ut vel ſupra ingenii, ac naturæ ſuæ captum videantur aſſurgere. Sed his tantis, & tam ſuſpiciendis virtutibus admiſta ſunt vitia non parum exitialia, partim picta atque expreſſa, partim etiam commendata. Quæ ſunt hujus generis, vehementer poſſunt nocere, ſi quis habeat fidem dicenti, & neſcio quo pacto impetrant fidem ſuavitate verſus in pectore audientium blande illapſi. Picta vero alia ſunt animi, alia corporis. Animi non perinde nocent, niſi ſi addatur facientis authoritas, ac exemplum, quam ob cauſam pulſus fuit Homerus e Platonis republica, & Pythagoras vidiſſe ſe apud inferos illius animam retulit de arbore ſuſpenſam, & circundatam columbris, ob ea, quæ de Diis finxiſſet, multo ſane incommodius

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

dius acceptam, quam Silius Italicus, conſpectam a Scipione Africano fabulatur. Et ſi potuit hoc quidem olim nocere, nunc non adeo poteſt, quum ſciamus ſceleroſos ac facinoroſos homines deos illos fuiſſe, calamitatem meritos, non cœlum: poſſunt tamen lædere ſi addatur operæ pretium, quod illo ex flagitio conſecutus eſt quis, verlut imperium per fraudem, aut hominum cædem. Corporis vitia vel commemoratione ipſa mentes corrumpunt. Quærat aliquis, Quomodo igitur legendum? Quomodo colligendæ ſalutares herbæ inter tot noxias? Qua cautione inter ſpinas incedendum? An potius ſpernendi atque abjiciendi in totum? Plutarchus Cheronæus librum ſcripſit de *lectione poëtarum*, in quo nihil agit aliud, quam concinnare ac condire venenum, quo minus ſit ſumentibus peſtilens, ut quum periculoſum boletum antitodo emendatur. Quid opus eſt? An non eſt conſultius venenum nullo modo attingi? Et fortaſſis hoc in illis poëtis præſtiterit, atque eo magis, quod exiguum certe adferunt adjumentum ſive ad artes, ſive ad vitam, nec ad linguam quidem magnum. Docte quidem præcipit Plutarchus, adde etiam prudenter, ut ſolet, quo, ſi quis attigerit, minus lædatur: quanquam ſunt non pauca, quæ antidotum afferunt infirmum, ut quum jubet admoneri pueros *poëſin eſſe picturam*. Quid tum? Et illa ipſa pictura, quam cernimus, ſi ſit obſcœna, præſertim ſubtiliter, & artificioſe expreſſa, num non animos contaminat? Nec immerito ejuſcemodi & pictores, & picturas, ſapientes homines de civitate volebant ejici. Tum addit, poëtas ipſos in rebus turpibus ſubſignificare, neutiquam probare ſe illa. At non omnes, imo quidam aperte comprobant, ut Ovidius, Tibullus, Catullus, Propertius, Martialis, & ejus notæ: alii obſcuriſſime carpunt, ac improbant, & per nutus, quos intelligant perpauci. Jam vero ſententiis turpibus opponendas præcipit honeſtas aliorum ſententias, tum alios aliis derogare ait fidem. Quid porro facias, ſi bonæ ſententiæ non ſint ad manum? Quid quod malæ ſententiæ proclivitatem pro ſe habent naturæ noſtræ ad malitiam, ut efficaciores ſint, quam bonæ? Eo denique deducit rem, ut confiteatur nocere lectionem poëtarum, niſi cautiſſime utaris. Id ſi ita eſt, non videtur attingenda

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

da puero, quem illic Plutarchus inſtituit, ſed jam grandiori natu, & ſanis opinionibus imbuto. Quibus de cauſis ac rationibus ſic videri poſſet faciendum. Quoniam quidem in eis & dulcia, & pulchra, & magna, atque admirabilia inſunt multa, non tolli oportere, ſed repurgari: non amputari affectum membrum, ſed medicamento adhibito curari. Obſcœna in totum reſcindantur, tanquam emortua, & pertractura in contagiem quæ tetigerint. Scilicet intolerabilem faciet humanum genus jacturam, ſi ex ſpurco poëta partem abſcindas noxiam, & id facias in libello, quod in tuo ipſius corpore facere non dubites, ſi res exigat? Detruncavit Juſtinianus Cæſar tot juriſconſultos, & nefas erit ex Ovidio detrahi eos verſus, queis adoleſcens fit nequior? Imo vero amiſſa ſunt tot philoſophorum & ſacrorum authorum monimenta, & grave erit, ac non ferendum facinus ſi Tibullus pereat, aut *ars amandi* Naſonis! Utique non de præſentibus modo, ac poſteris præclare merebitur, ſed de poëtica artem, ac de poëtis ipſis, quiſquis eam repurgationem erit aggreſſus: haud aliter quam de hortis, qui venenis illinc eruncatis, ſolas reliquerit herbas ſalutares. Ita & ignominia erit poëtis detracta, & malum virus legentibus. Cætera autem quum pingent, ſciant, qui legunt, picturas eſſe & hominum ſæpenumero peſſimorum. Quum deos audient, cogitent hos eſſe reges: quum heroas, proceres: quum homines, plebem. Interdum deos putent accipi pro illa vi, quæ illis attribuitur, ut Jupiter, Regni ſit majeſtas: Minerva, ſapientia, & conſilium: Mars, belli impetus: Mercurius, interpretatio, Apollo, dulcis quædam peritia, & lux mentis. Ipſis quoque poëtis fides elevanda, multum quidem valuiſſe eos natura, ac ſpiritu, ſed homines tamen fuiſſe mediocri judicio, doctrina vero & uſu rerum ſæpe nullo, aut certe perquam exiguo: tum animi perturbationibus obnoxios ac ſervientes, vitiis inquinatos. Succurret fortaſſe alicui demirari, unde igitur tanta illorum authoritas non in vulgum ſolum, ſed ad ſcholas etiam ſectatorum ſapientiæ? Cujus rei hæ ſunt cauſæ. Fuerunt primi & antiquiſſimi ſcriptores, ideoque poëtæ dicti: multum vero ab omnibus defertur vetuſtati. Suavitas dictionis conciliavit fidem, quandoquidem facilius credimus, quæ libenter audimus.

Quum-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Quumque homines viderent ſemina diſciplinarum omnium in illorum libris eſſe ſparſa, crediderunt abſolutos eos eſſe in illis omnibus. Nullum eſt enim humanum ingenium quamlibet ſocors, & ab inſtitutione humanitatis remotum, quod non ſemina artium omnium quædam a natura acceperit: ſive reipſa illinc ſint ea, ſive *poteſtate*, de quo non diſputo. Id vero ſi imperitis & tardis hominibus contingit, quanto illis magis, qui ingeniorum eſſent præditi acumine, atque acrimonia? Idque in noſtris poëtis experimur, qui carmina vernaculis linguis componunt, quos quum ſciamus eſſe homines imperitiſſimos, tamen ea ſuis carminibus videmus illos inſerere, quæ etiam ipſi admiremur, qui illos novimus: & quibus indoctis aut ignotis facile perſuadeant ſe in omnium artium genere magnam & diuturnam operam collocaſſe. Aratum accepimus aſtrologiæ imperitum, & Nicandrum Colophonium hominem ab agro remotiſſimum, carmina illis de rebus ornatiſſima conſcripſiſſe. Accedebat afflatus divini numinis, quo credebantur inſtigari: ideo illorum dicta non accipiebantur aliter, quam Dei per hominem ceu per fiſtulam loquentis. Philoſophi vero recepta authoritate abuſi ſunt, ad perſuadendum populo, quod vellent. Et quia inflammabatur illorum animus, longeque ardore illo exerebat ſeſe natura, quæ ex illis deprompſiſſent, putabant ſe tanquam naturæ doctrina comprobare.

Sed dicamus jam de ſingulis nominatim. Ad formulas primorum rudimentorum habet inſtitutor ex veteribus Donarum, novos autem Nicolaum Perottum, Sulpitium Verulanum, Antonium Nebriſſenſem, Aldum Manutium, Philippum Melanchthonem, ſumet quem volet; pares eſſe in tradendo video. De conſtructura indigemus exactiore aliquo opere, & devincto numeris, quo melius commendaretur puerorum memoriæ. Nam quæ nunc quidem extant certe, vel exempla ſunt ſolum abſque canonibus, vel canones a quibus excipiuntur plura, quam ipſi comprehendant: opus eſſet ei, qui id vellet præſtare, lectione atque obſervatione longa, & diligenti, authorum Latinæ linguæ: ſed plurimum arbitror adjuvari poſſe ſex libris Thomæ Linacri *de emendata ſtructura*, item Mancinelli theſauro, & libris de non vulgari literatura Lanciloti

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

loti Paſſii. Interea tamen utentur pueri præceptis Antonii Nebriſſenſis, vel Philippi Melanchthonis: adjungent libellum de conſtructione octo partium, qui nomine Eraſmi circunfertur, quem Gulielmus Lilius peperit, Eraſmus concinnavit. Latina lingua, ut alia quæcunque, ex populi uſu ſolebat olim diſci; ea poſtquam in civitate eſt corrupta, ex authoribus peti eſt cœpta, iis ſcilicet, qui a Catone Cenſorio ad tempora Adriani Cæſaris ſcripſerunt: ut primus ejus author ſit is ipſe M. Cato, poſtremus Suetonius Tranquillus. Hic eſt illius tanquam vitæ curſus. Pueritia fuit ſub Catone, ſenectus ſub Trajano, & Adriano, ætas optima, & vis, vigorque illius, circiter ſæculum M. Tullii, non quin & cæteri qui ſecuti deinceps ſunt ſcriptores multa habeant apta, ſpecioſa, exculta, atque exornata, quum propriis in verbis, tum in translatis, & quibuſdam ceu formulis dicendi. Sed neſcio quo pacto maxime videntur propria & naturalia quæ ſunt ævi Ciceronis, in eo ipſo, in M. Varrone, C. Cæſare, Salluſtio, T. Livio, Vitruvio: poſt quos Latinus ſermo ad luxum eſt & delicias cum moribus civitatis converſus, ut fucata ſint magis & adumbrata, quam priora illa: & delectare potius voluiſſe eos appareat, quam dicere, aut animi ſenſa loquendo exprimere. Itaque quantum fieri poterit dabitur opera ut illius ſint ſæculi verba, & phraſes: non tamen in hac egeſtate & difficultatibus Latinæ linguæ repudianda ſunt, quæ poſteriores attulerunt, Seneca, Quintilianus, Plinius, Tacitus, & eorum æquales: niſi forte ſtet ſententia obmuteſcere in tanta multitudine ac varietate rerum: de quibus eſt ſingulis horis loquendum in artibus & tota vita. Qui authores ſunt Latinæ linguæ probi, hi non omnes idonei ſunt grammatico: quippe qui de omni rerum ac diſciplinarum genere differunt, quo grammaticæ vel ſtudioſus, vel eſſe profeſſor non aſpirat: neque enim cognitione artium omnium profeſſor unius obruendus eſt. Qui vero in contemplatione ejuſcemodi rerum verſantur, ii grammatici illinc annotent, & excerpant, quæ ad illius inquiſitionem pertineant. Ex quibus univerſis confletur dictionarium Latinæ linguæ, quod nullum eſt plenum fatis & juſtum. Iſtudque ſit duplex, alterum enumeratione tantum vocabulo-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

bulorum, brevi interpretatione adjecta, alterum copioſius dictis authorum intermiſtis : quod faciet, non ſolum ut ſecurus ſit lector, & expoſitione acquieſcat, verum ut ſciat quoque quemadmodum uſurus ſit, quod forte eum ſine exemplo lateret. Expediet in quaque etiam vulgari lingua geminum pueris tradi, unum quo Latina verba reddantur vulgaribus, alterum quo vice verſa vulgaria Latinis : quod in noſtro ſermone Antonius Nebriſſenſis fecit : opus non ſatis exactum, tironibus magis, quam provectioribus utile. Ex dictionario abſoluto, & tanquam ſuis omnibus partibus confecto jam & pleno decerpet magiſter, quæ quotidiano ſint uſui neceſſaria : ut appoſitas voces iis, quæ pueri velint eloqui, colligat, quorum primordia erunt a levibus, quæque ætas illa facile ſuſtineat, utpote a luſionibus. ſenſim ad majora procedetur : de domo, & tota ſupellectili, de veſtimentis, de cibis, de tempore, de equo, & navi, de templis, de cœlis, animantibus, ſtirpibus, de civitate, & republica. Condient hæc jocis ſalſis, fabellis ſcitis, ac lepidis, exemplis atque hiſtoriolis jucundis, paræmiis, parabolis, apophthegmatis, ſententiolis acutis, argutis nonnunquam & gravibus : ut ſic libentius hauriantur, & magno cum fructu non linguæ tantum, ſed etiam prudentiæ, atque uſus vitæ. Sunt tamen quædam artium propria, ea non curabit attingere : ut de cauſis rerum Naturæ, de medicamentis, de legibus, & jure civili, de quantitatibus mathematicis : relinquet hæc, atque ejuſmodi ſuis quæque artificibus : magis verſabitur in iis, quæ ſunt vitæ communia, quibus nulla ætas, nulla conditio, nulla profeſſio eximitur : qualia ſunt fere, quæ modo connumerabam. Interea vero dum dictionarium ejus generis non habemus, inſtitutor ipſe ex ſua lectione hæc, ut poterit, ad utilitatem diſcipulorum annotabit. Tum exhibebit faciles authores captui ſuorum aptos, ut apologos, quibus delectatur ætas illa, & rebus ſolidioribus paratur. Verſiculos caſtos & ſimplices, ut Catonis, qui ſunt elegantes, & cordatiſſimi, Michaëlis etiam Varini, philoſophorum item ſententiolas, quæ omnia ediſcent. Sequentur epiſtolæ Plinii Cæcilii, quæ floſculos, modoſque dicendi habent, & conveniunt illi comitati ſcholaſticæ, iiſque omnino rebus de quibus ſtudioſi homines &

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

colloquii inter ſe conſueverunt, & ſcribere : ita ut ſint qui ea gratia multas earum ad verbum ediſcant, quidam etiam ejuſmodi dulcedine ac verborum deliciis capti Ciceronianis prætulerint, quod pene eſt nefas. Sunt & epiſtolæ quædam Ægidii Calentii mire feſtivæ, quibus pueri valde oblectarentur. Ad varietatem & copiam verborum exponet librum *Eraſmi de copia* priorem. Tum de *recta pronuntiatione in genere*, traditis ſumma quadam *univerſalibus normis*. Hinc de figuris ex Quintiliano, aut Diomede, aut Mancinello, aut Joanne Deſpauterio : quem in uſum tabulam quandam Petrus Moſellanus confecit, quæ parieti affigi poſſit, ut deambulanti ſtudioſo occurrant, & quaſi ingerant ſe oculis. Incipiet his ſtylum morari, ita ut alienus ſit prorſum, & magnam habeat livere, & quaſi ingerant ſe oculis. Incipiet his ſtylum morentiam ex alienis non verba tantum, ſed longas quoque ſententias, & periodos excerpendi : in quo ſpectabitur quam apte ſuis interſerat. Sequitur alter liber *de copia rerum* Eraſmi. Tradetur hic ſummatim cognitio rerum geſtarum, temporibus per notas quaſdam diſtinctis ; & conſignatis, ſicut in viis ſolet fieri : ut ab Adam ad Eluvionem, ab hac ad Abraam, unde ad Moſen. Tum ad bellum Trojanum, ab hoc bello ad Romam conditam, hinc ad expulſos reges, inde ad Romam a Gallis captam. Tum ad Alexandrum Macedonem, deinde ad primum bellum Punicum, ad ſecundum, ad tertium. Jam ad Syllam & Marium, poſtea ad Chriſtum natum. A Domino noſtro ad Conſtantinum, ad Gothos deinde, tum ad Hunnos, ad Carolum Magnum, ad electionem Imperatorum, ad Gotifridum Bullonium, ad tranſitum Turcarum in Europam, ad captum Byzantium, ad recuperatam Granatam, poſtremo ad imperium Caroli quinti ſub quo agimus. Generatim in ſingulis ſpatiis exponet, quæ bella inſignia ſint geſta, quæ memorabiles ſint urbes conſtructæ, qui homines clari vixerunt. Addet his etiam brevem deſcriptionem Orbis primum univerſi, & maximarum partium, tum provinciarum, & quid in quaque commendatum famæ. Utilis ad hoc Pomponius Mela.

Jam hic accedet ad puriores illos Scriptores, & imitatione digniſſimos : diu enim ſequendi ſunt ii, qui ſequentem non fallant, donec aſſuefacti horum ductui, ſine pericu-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

riculo poſſimus & alios audire. Cæſar quotidiano ſermoni egregie utiliſſimus, cui Cicero laudem tribuit puri & incorrupti ſermonis Latini, & Quintilianus *elegantiæ*, cui proprie ſtuduiſſe illum teſtatur. Tum Cæſari adjunctæ Ciceronis ipſius epiſtolæ familiares: ſimpliciores ſunt tamen, & uſui magis congruentes, quas ad T. Atticum ſcripſit, niſi quod ſunt in ei quædam obſcuriſſima, partim ſic ſcripta ab ipſo Cicerone de induſtria, partim vitio atque ignorantia temporum ita depravata, ut reſtitui jam non queant. Terentii fabellæ propter elegantiam ſermonis ſcribi putabantur vel a Scipione Æmiliano, vel ab ejus amico C. Lælio, is qui ſapiens uſurpatur. C. Cæſar Terentium puri ſermonis amatorem vocat. Minus multo eſt puritatis in Plauto: antiquarius eſt enim, & licentioſe indulget ſibi perſonis ſervorum, quum riſus, & exhilarationem theatri, atque hinc multitudinis applauſum perverſitate etiam loquendi captat, ſed neque in ſenſis eſt ſyncerior. Ex utroque cuperem reſecta, quæ pueriles animos iis vitiis poſſent polluere, ad quæ naturæ quaſi nutu quodam vergimus.

Poëtarum lectio magis ad vegetandum ingenium pertinet, & ad ſtellas illinc quaſdam, & velut inſignia orationis petenda, quam ad alendum corpus ſermonis. Comici vero propinquiores ſunt pedeſtri orationi, quam verſui. Tragici inter eos ſunt medii, multa habent grandia, turgidiora etiam quam expediat communi ſermocinationi: plurima tamen, quæ apte ad uſum queant applicari. Latinæ linguæ ſolus remanſit Seneca tragicus: credo priſcos non conſervatos, quod rudes eos atque impolitos eſſe exiſtimarent, nec tanti eſſe illos deſcribere. Simul cum poëtis diſcet totam rationem proſodiæ, & quantitatis ſyllabarum exactius jam, & ſubtilius. Audiet Virgilii Bucolica: in quo opere eſt illud animadvertendum, quod in omnibus *dramaticis*, id eſt, in quibus loquentes perſonæ inducuntur; eſſe quædam verba, & dicendi formas potius ex decoro perſonæ, quam ex ſinceritate linguæ, ut authores aliter dicerent, ſi ſua non aliena perſona uterentur. Quod magis uſu evenit comicis, & iis, qui delectationi ſerviunt lectoris, quam ſeriis authoribus: idque videmus quotidie in linguis vulgaribus fieri. Quocirca non ſemper

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ex Plauto argumenta ſumenda ſunt ad comprobationem Latinitatis, ſed neque ex Terentio, quamvis hic eſt in eo parcior, neve ex Theocrito ad Doricam dialecton, aut ex Virgilio in Eclogis, de quibus jactatum eſt a quibuſdam, qui urbani videri affectabant:

Dic mihi Dameta, cujus pecus? an ne Latinum?
Non, verum Ægonis: noſtri ſic rure loquuntur.

Ignari vel diſſimulantes captaſſe Virgilium gratiam ruſticitatis, quod & Theocritus fecerat indulgentius. Hinc ocdas Horatii explicabit aliquot. Adjunget poëtas Chriſtianos, antiquum Prudentium, & qui ætate hac ſcripſit Baptiſtam Mantuanum, magis copioſum & facilem, quam terſum, aut ſublimitati argumentorum reſpondentem: etſi in Prudentii carmine ſunt etiam quæ deſideres. Poſt hæc ſequentur Georgica Virgilii, & Politiani Ruſticus. Hic incipiet ipſe carmen pangere. Enarrabit inſtitutor ad cognitionem fabularum Metamorphoſin Ovidii, & ſex libros Faſtorum, non enim venerunt ad nos plures. Selegentur Epigrammata Martialis nonnulla. Addet Perſium, quem digniſſimum legi antiquitas cenſuit, ut Quintilianus, Martialis, & D. Hieronymus teſtantur. His ſuccedet Æneis Virgilii grande opus, & plenum gravitatis, ac rerum bonarum, & quod Iliadi non concedat. Lucani carmen plurimum habet virium, ut etiam bellicis ſint prope pares, nec prælia videatur canere, ſed committere, & intonare claſſicum, eodemque ardore arma ſcribere quo Cæſar tractavit: ita ut illum quorundam aures, tanquam ſonum vaſtum, ac immodicum non ferant. Illud tamen non ignorandum, poëſi operis ſucciſivis ſtudendum, ſumendamque eam non ut alimentum, ſed ut condimentum. Ingenium vero poëticæ appoſitum illud cenſemus, quod ingentes habet impetus, quibus interim ſupra ſolitum & ordinarium naturæ ſuæ modum aſſurgit, celſoſque ac pene cœleſtes ſpiritus elatione illa concipit: ut non grandes tantummodo, vividaſque ſententias, mentis acies intueatur & colligat, ſed in numerum conſtringat, harmoniam ex animo ſuo hauriens ſupra corpus concitato.

Ex hiſtoria libros aliquot deguſtabit Livii: prælegetur item ei Valerius Maximus; qui ad orationis picturam multa ornamenta adferre verborum ac ſententiarum poterit,

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

rit, quas habet initio & fine cujuſque capitis, fortaſſis concinniores quam interdum deceret gravitatem exemplorum.

Poſtremum locum obtinebunt Orationes Ciceronis; in quibus ſunt ornamenta, lumina, & virtutes omnes dicendi: e quibus deliget magiſter, quas velit ſuis enarrare; neque enim perſequi omnes convenit.

Ex his, quæ poſui, ediſcet ea diſcipulus, quæ inſtitutor præſcripſerit: ſed quicunque authores enarrabuntur, ſemel atque iterum per hebdomadas ſingulas de moribus audient nonnulla, quæ vitiis auditorum medeantur, vel ut pellantur, vel ut ne invadant atque invaleſcant.

Hæc quidem magiſter enarrabit: ipſe per ſe diſcipulus poſt prima illa rudimenta, ubi clarius aliquid cœperit in literis cernere, privato ſuo ſtudio hos leget. In arte grammatica Thomam Linacrum, a quo multa ſunt Latinæ linguæ myſteria oſtenſa, ac ſine impietate prodita. Tum duos Antonios, Nebriſſenſem, & Mancinellum. Ad elegantiam vocabulorum primum omnium Laurentium Vallam. Superſtitioſus eſt ille quidem certe in quibuſdam; ſed diſcentibus perutilis. Quum aliquid negat in authoribus haberi, ſuſtinendum judicium in præſentia; nec utendum eo, quoad apud Scriptorem indubitatæ fidei legeris. Addet huic aliquos ex iis, qui authores illos interpretantur; quos magiſter enarrabit: ut Servium Honoratum, aut ſimiles. Hadrianus Cardinalis collectione illa exemplorum non parum proderit: etſi eſt in docendo parcior quam oportebat. ſatisfeciſſe ſe dictis authorum congerendis ratus, ab enarratione difficilium caute manum continuit. Gulielmus Budæus utroque Opere in Pandectas, & quinque libris De aſſe, plurimum opitulatus eſt rei Latinæ, elaborata illa ſcrutatione rerum ac verborum linguæ utriuſque.

Authores Romani ſermonis diligenter evolvendi; nam ſi id fieri jubebant priſci illi, quibus ſermo hic, quem nos arte conſectamur, hauſtus erat cum lacte, ut ex illorum lectione excoleretur lingua, & copia atque ubertas proveniret; quid nobis cenſes faciendum, quibus eſt aſcititius, quique illum guttatim colligimus? In hiſtoria leget Livium, eum certe, qui reſiduus eſt, integrum; cujus Patavinitatem, quam guſtabat Pollio Aſinius, nos non

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

guſtamus : ſcilicet non habemus jam palatum uſque adeo eruditum, ut certe moroſum. Hinc Cornelium Tacitum, qui habet quædam duriuſcula & imitatu periculoſa ; ſed eſt grandis, audax, multumque ineſt in eo ſpiritus. Hinc Salluſtium, qui multa eſt ab antiquis mutuatus ; quemadmodum vulgato epigrammate inceſſitur. & Attejus Philologus admonebat Pollionem, ut obſcuritatem vitaret Salluſtii ; quo magis miror, illum a quibuſdam tradi pueris ; eſt tamen iis, qui intelligunt, jucundiſſimus, & cujus lectio minime exatiet.

Ad poëtarum fabularumque cognitionem, etſi plurima ex Ovidio, atque iis authoribus, quos recenſui, deſumpſerit, habet tamen Joannem Boccatium, qui deorum genealogias in corpus unum redegit, felicius quam illo erat ſeculo ſperandum, tametſi in interpretandis fabulis ſæpe eſt nimius, & frigidus.

In Latinis verbis, quos ſequatur velut duces, deliget Catonem, Varronem, Columellam, Palladium, de rebus ruſticis ; Vitruvium de architectura : in quibus per magna eſt ad res plurimas appellandas nominum puriſſimorum atque aptiſſimorum copia. Antiquarius eſt Cato ; ſed ea in illo reperias, quæ nuſquam alibi. Durus Varro, & opificibus accommodatus. Columella elegantior, & terſior ; item Palladius ; niſi quod interdum habet vocabula & idiomata Latina utique, verum ſui temporis ; ſcripſit enim ſub Hadriano. Vitruvius græciſſat ſæpe : & eſt ad intelligendum cumprimis difficilis, ne cum picturis quidem Jucundi Veronenſis ; propterea quod ædificandi vetus illa ratio ex uſu abiit ; ut non injuria de illo Budæus dicat : Non cujuſvis eſſe hominis Corinthum adire. His adjunget Grapaldum de domo, non ad phraſin, ſed ad explicationem vocabulorum, qui plus habet conatus, quam rei, huic omnia fere ex illis ſunt ; & Plinio deſumpta : in quibuſdam incertus ipſe incertum dimittit lectorem. Tum orationes omnes Ciceronis ; declamationes Quintiliani. Sunt inter recentes nonnulli, qui momenti aliquid adferre ad ſermonem poſſunt. Longolius ſimiolus eſt Ciceronis, & Jovianus Pontanus : hic tamen minus obtinet Tullianæ vetuſtatis quam Longolius. Angelus Politianus magnas habet argutias. Eraſmus admirabilem

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

bilem facilitatem ac lucem: & eſt, quum juvat, potius recentioribus applicari, tanquam ſimilioribus, ac magis paribus, quam priſcis illis tam a nobis & moribus & ratione quadam intelligentiæ ſemotis.

Quos vero in bibliotheca ad conſulendum collocabit, hi erunt: Varronis de lingua Latina libri tres, intricati, ex illo dicendi more ipſi peculiari, atque ea de cauſſa mendis a librariis inductis maculoſi, ac deformes. Feſti Pompeji decurtatio. Nonius Marcellus. Ex recentioribus, Nicolai Perotti Cornucopiæ: quod ſi vacet legere, non pœnitebit collocatæ in eo operæ. Neſtor, haud ſatis eruditus. Tortellius, ad orthographiam diligens. Ex quibus dictionarium ſuum Ambroſius Calepinus congeſſit: homo congerendis quidem illis idoneus; explendis vero, quæ deerant, non idoneus.

Hic quidem Latinitatis curſus. Cui aliquando poſt, initium æquari debet etiam Græcitatis, ſicut dixi; ut ambo conficiantur pariter.

Ad prima rudimenta adhibebit tabellas aliquas Græcas: Aleandri puta, aut ejuſmodi, quo ſonos & vires literarum ſyllabarumque pernoſcat. Hinc, ad declinanda nomina & verba, primum librum Theodori Gazæ; quem Eraſmus vertit. Tum interpretabitur Æſopi fabellas; propterea quod & verbis ſunt faciles, & ſenſu ad ætatem illam apto. Græcorum quoque proverbium de rudibus ſatis indicat, ſolitos illos ab Æſopo auſpicari. His addetur liber ſecundus Gazæ; in quo illuſtrat coloribus, quæ primo libro adumbrarat ſolum, ac declinaverat, Ariſtotelem ſecutus, & naturam rerum. Tum oratio aliqua puri Scriptoris, & facilis, in manus dabitur; Iſocratis ſcilicet, aut Luciani, quod quidem ſit certe ſine corruptela; aut etiam Joannis Chryſoſtomi, qui eſt terſus, & eximie dilucidiſſimus. Sintaxis parum eſt accurate a Græcis conſcripta; quod populum habuerunt diutius bene loquentem quam Latini; ut minus fuerit opus obſervatione ac regulis; & alioqui Græca ſtructura fuſiſſima eſt, ut ægre in alveum poſſit cogi. Theodorus aliquid attigit in quarto volumine. Joannes Laſcaris canones ad imitationem Latinorum eſt commentus: parum hic vere: Gaza autem parum ad docendum appoſite. Illud eſſet potiſſimum an-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

notandum, quibus in rebus Græca & Latina inter se ſtructura diſſiderent. Jam hic transferre ad nos aliqua puer incipiet, propter noſcendam linguæ utriuſque proprietatem, & copiam verborum parandam, tum ut ornamenta illa & cultum Græci ſermonis in Latinum eliciat. Diſcet proſodiam & orthographiam; quæ apud Græcos ut in quibuſdam ſunt apertiſſimæ atque indubitatæ, ſic in multis uſum modo ſequuntur vel quod uni alicui placuit, eas ad res facit tertius Gazæ. Græca lingua diutius eſt ſincera & purius conſervata quam noſtra, quod illa barbararum nationum incurſus minus ſenſit quam Occidens. Sed vigor tamen ejus, & quaſi inventa tum fuit, quum maxime Athenienſium opes, immo Græciæ totius florerent; nempe a tyrannide Piſiſtrati ad exitum Demoſthenis. Ante Piſiſtratum, atque etiam Periclem nihil ſcriptum eſt legi dignum. Poſt Demoſthenem plurima quidem, cæterum integritate ſermonis cum ætate illa minime comparanda. Itaque enarrabit præceptor epiſtolas aliquas Demoſthenis, Platonis, Ariſtotelis; orationem aliquam Demoſthenis, & cujuſquam ex illis decem rhetoribus, quos eodem ſæculo Athenæ tulerunt. Lexicon Græcæ linguæ componendum, quale de Latina diximus, copioſum, & plenum. Antequam attingat poëtas, præcipiendum nonnihil de dialectis, qua de re extat Opuſculum Joannis Philoponi, & alterum Corinthi. Tum audiet rhapſodias aliquot parentis poëtarum omnium Homeri. Hinc Ariſtophanis primam & alteram fabulam; Euripidis aliquot. qui autores elegantes ſane ſunt, & inter paucos Attici. Ariſtophanes feſtivus; Euripides gravitate ſententiarum etiam maximis philoſophis par, ut Quintilianus ait. Ad ſententias boni ſunt Theognis Doricus, nempe Siculus; & Phocilydes Jonicus.

Poſt hos reliquus Homerus conſequetur, qui attente ac diligenter eſt a diſcipulo & audiendus de præceptore, & ſeparatim relegendus; multis in locis ediſcendus quoque. Magnæ ſunt hujus viri virtutes, quas perſequi longum ſane, atque operoſum eſſet. Primum quæ ſcripſit, non dicere videtur, ſed ante oculos ſiſtere: ea eſt quaſi depingendi vis & efficacia: qua virtute poſteros omnes adhuc ſine controverſia ſuperat: nec corpora expreſſit modo, ſed ani-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

animorum reconditos illos motus, qui ſub ſenſus non veniunt: ut nihil videatur eſſe aliud ejus poëma, quam imago vitæ humanæ. Communis ſenſus adeo eſt callens, & ita ſunt rerum naturæ conformia, quæ dicit, ut poſt tot ſecula mutatis uſque eo moribus, inſtitutis, tota vivendi ratione, tamen ætati etiamnum noſtræ, & cuicunque alii verba, ſententiæ, collocutiones, orationes illius conſentaneæ ſint: quibus de rebus facile tam longam diuturnitatem ſuſtinuit, & per tot ſecula non ſolum authoritatem vetuſtatis, ſed novitatis gratiam conſervavit, quum recens in unoquoque videretur. Sunt tamen ſua & illi vitia, quæ nos, ut vitentur, indicabimus, ſicut de virtutibus fecimus ad imitandum, ſi cui modo tantum eſt facultatis ac roboris. Hieronymus Vidas tanquam ſupervacaneum & redundantem Homerum inceſſit, luxuriantem in narrando, & admiſcentem ſuperflua: nec dubitat Virgilium illi, & cæteros Latinorum anteferre, velut aſtrictiores & ſanctiores; quum Græci omnes vitio illi ſint obnoxii, ut Homerum ſecuti, nimii ſint, atque etiam nonnunquam ſubputidi. Nec placent ei deſcriptiones medio prælio curruum, & in jurgio Therſitæ: quanquam hoc poſterius ad vim poteſt referri, & exemplum, ut videat lector, cujuſmodi vir heroibus tacentibus, regi maledixerit. Damnat etiam humiles ſimilitudines, ac ſordidas interdum: ut milites muſcis aſſimilari in mulctra, Ajacem aſino, qui neſcit e paſtu diſcedere abactus ſuſtibus. Virgilius decentius, qui formicis & apibus exercitus facit ſimiles tanto honeſtioribus, quam muſcæ ſint, rebus. Ad hæc parum convenit tam otioſe Diomedem & Glaucum media pugna eſſe collocutos. Repetitiones poſſunt videri illius ævi, ſicut in ſacris literis. Sed epitheta non decet eſſe ubique eadem: tam nominat Paris Menelaum ἀρείφιλον quam Græci: & εὐκνήμιδας ἀχαιὸς perſona Trojanorum: & in media monomachia perſona Menelai δῖον ἀλέξανδρον, quum eum dicat maleficum, & violatorem hoſpitii bene meriti: ut ſolum videantur epitheta ad commiſſuram numeri quæſita, non ad vim, aut gratiam. A quibus vitiis excuſare eum poſſit editio operis: non enim integrum illud dedit in apertum, ut omnia exacto judicio perpenderet atque elimaret: ſed ſeparatim ſinguias rha-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

rhapſodias ad cantatur & delectationem popularem : quæ omnia longo poſt tempore collecta ſunt , & digeſta per grammaticos juſſu & procuratione Piſiſtrati Athenienſis : quæ etiam fuit cauſa cur nec patris, ac ne patriæ quidem uſquam meminerit . Jam vero illius duo ſunt opera , alterum *calidum* , alterum *callidum :* multa non ſatis probi exempli continent : & quæ de natura rerum , & humanis attingit moribus , torquentur , quocunque eſt viſum iis , qui vati favent immodice . Cæterum de Homero ſatis .

Addentur huic reliqua , ſi videbitur , Ariſtophanis , & Euripidis tum ἔργα καὶ ἡμέραι Heſiodi, & Græca aliquot epigrammata , quæ argutias & ſalem habeant non ſpurcum . Poſtremo Pindarum obſcurum in primis, & reconditorum vocabulorum uſurpatorem : quem tamen Academicus Archeſilas idoneum in primis dicebat *vocem implere* , & *verborum magnam præbere copiam* . *Theocriti paſtoricia* multum habent Venerum in illa *dialecto Dorica* : ſed quo intelligantur melius , explicandæ ſunt allegoriæ , ſicut in *Bucolicis* Virgilii , alioqui frigent pleraque omnia.

Ad hiſtoriam præleget *Herodianum* , ut cum verſione conferat Angeli Politiani . Eſt author ille candidus ex ſe, ac facilis , ſed ea gratia Politianus tranſtulit , ut non ab homine Græco videatur genitus , ſed a Latino . Tum *Xenophontis* ἑλληνικὰ , quo nihil eſt purius , & inaffectatius . *Thucydidis* libros aliquot imperabimus , difficilis licet Scriptoris , duri ac plane ferrei .

Ipſe vero ſtudio per ſe ſuo hos leget : In arte grammatica *Oecolampadii dragmata* . Ad inflexiones verborum & nominum Adrianum Amerotium . Ad poëtarum & linguarum cognitionem Urbanum. Interpretes eorum poëtarum, quos modo nominavi , multa ex linguæ arcanis patefacient: quorum poëtarum nullus eſt, qui non aliquem habeat ἄδελον. Homerus principem omnium eſt nactus Euſthatium Conſtantinopolitanum . Addet Thomam Magiſtrum de *atticiſmis*. Ad res civiles commentarios Græcæ linguæ Gulielmus Budæus nuper conſcripſit , paris diligentiæ , cujus ſunt Latina ejuſdem . Multa eruit abſtruſa , compluribus tenebricoſis locis atque obſcuriſſimis lucem invexit . Authores linguæ evolvet *Iſocratem* , quo ſimplicius ac purius cogitari nihil po-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

poteſt, *Xenophontem & decem Rhetores. Luciani* verba ſatis ſunt terſa, & phraſis dilucida, Aſianus eſt, verborum apparatu inſtructus, ac tumens, rerum inanis prorſum. Adjunget his *Thucydidem* Atticum, & faciliorem hoc *Herodotum:* licet Jonicum. Ad varietatem rerum habet *libros Ariſtotelis de animalibus*, & *Theophraſti de plantis*, quos ita Latinos fecit Gaza, ut utriſque legendis magnæ poſſint in linguis illis opes comparari. Sic porro leget ut magis de verbis ac ſermone ſit, quam de ſenſis ſolicitus. In *Demoſthene*, quem crebro habebit in manibus, abſoluta eſt linguæ illius vis ac gratia, non aliter quam de Ciceronis orationibus diximus.

In bibliotheca tanquam ad conſulendum reponet hos. Lexicon Græcolatinum geminum, ex Græco in Latinum, & ex hoc in Græcum. *Heſychium* ad intelligentiam poëtarum, Homeri potiſſimum. *Julius Pollux* varietatem & copiam verborum ſuggeret: lectore tamen indiget doctiſſimo: nam innuit magis peritis, quam docet imperitos. Sunt in his duabus linguis authores quidam miſti, qui ſimul & hiſtorias, & fabulas, & vocum ſignificatus, & oratoria, & philoſophica attingunt: quorum appellatio vera eſt, & maxime propria *philologi*. Hujuſmodi ſunt in Græca *Suidas*, & *Athenæus*: in ambabus *Aulus Gellius*, homo rhapſodus plane, *congeſtor* potius, quam *digeſtor*, & *oſtentator*, quam *peritus*: *loquaculus* ſine *eruditione*: in verbis ac ſententiis *putidulus*. Quæ de ſignificatu vocum differit, ſunt frivola & plerunque imperita, ac falſa. Legendus eſt quidem, ſed ita, ut te rem levem ſcias inſpicere. Sanior eſt æmulus ejus *Petrus Crinitus*. Ad philologiam etiam pertinet opus *Auguſtini de Civitate Dei*, *Eraſmi adagia*: quod opus aſſuefacere poteſt lectioni magnorum authorum, ut ad eos adoleſcens non omnino veniat rudis ac novus. Hujus fere notæ ſunt Budæi Annotationes, & Aſſis, de quibus ſum locutus; *Cælii lectiones antiquæ*, quæ interdum vetuſtate horrent non tam rerum, quam verborum. *Macrobii Saturnalia* multum habent bonarum, ac variarum rerum: *Petrus Textor* levidenſam texuit: licebit tamen *officinam* ejus nonnunquam conſulere, quamvis perturbatam, nec ſemper certam: ut erat author literarum Græcarum prorſum ignarus, nec in Latinis magnæ de-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

dexteritatis : meruit tamen laudem diligentiæ aliquam ; *Raphaël Volateranus* variæ vir eruditionis ac late patentis, inter alios eſt mihi reddendus . In hunc numerum neſcio an patientur grammatici *Iſidorum Hiſpalenſem* interfarciri. Adfert nonnulla ex antiquis hauſta haud prorſum aſpernanda , præſertim quod fontes illi non pervenerunt ad hanc ætatem . Reſtant Scriptores alii linguæ utriuſque , quos partim in aliis diſciplinis propter rei argumentum neceſſe erit cognoſcere , partim leget alio tempore , vel in hac ipſa profeſſione remanens , vel quum in altioribus animi reficiendi gratia ad hæc vacabit reſpicere . Hic eſt curſus octo aut novem annorum a ſeptimo ad quintumdecimum annum , vel etiam ſextumdecimum , ut cujuſque ingenium & progreſſus fuerint . Sentio me diu eſſe in hac de linguis præceptione immoratum , quod eo feci , quia multi prave ſunt a pueritia inſtituti , quum tanti referat , quemadmodum in exordio hæc tradantur , unde reliquæ deinceps artes omnes ac diſciplinæ dimanant . Hactenus linguarum inſtitutio vel iis , qui ad diſciplinas alias parantur, & quaſi formantur , vel quibus ea ſola per ingenium , aut delectationem ſufficit , ut in earum rerum ſola cognitione velint ſubſiſtere . Qui ingenio erunt vel tardo admodum, abſurdoque , & inepte conjectante , vel ſuſpicaci inique , & in pejorem partem rejiciente , quæ audiat , his Latinam linguam utcunque didiciſſe ſuffecerit , & portiunculam Græcæ aliquam , arcebitur lectione authorum . Sermonem vero ad commercium humani generis didicerit , niſi forte furioſus omnino ſit & væcors , quem præſtabit a lingua doctorum ſumminovere : ne quæ ſub illa ſunt abdita & concluſa , magno tum ſuo , tum alieno malo intelligat. Qui ſaniore ingenio ac judicio , nolet tamen , aut non commode poterit altius conſcendere , hic erit linguarum & authorum cognitione contentus . Hujus porro ad vitam uſus fuerit , ut ſit *ſcriba civitatis publicus* , capeſſat minores magiſtratus , fungatur *legationibus* . Habebunt & hi , & ſuperiores illi ſermonum peritiam , qua ſenectutis grave tædium authorum lectione levent , quum jam alteris licebit , alteros ætas meliora docuerit , quodque in eis adhuc erat acerbum *mitificarit* . Hi ſunt *philologi* , & eorum exercitatio *philologia* . Ex his deligentur , qui alios inſtituant.

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

tuant. quos nolumus iis tantum limitibus, quos deſcripſimus, circumſepiri, ſed alia etiam omnia ſcrutari & pernoſſe, quæ ad *philologiam* pertineant, abſtineant modo ab anxia atque inutili Græcorum ſubtilitate, quam in omni tractatione de ſermone ſunt perſecuti, ſeu commenti verius, velut in carminibus, & tota poëtica in contextu orationis, in *ſchematis*, ac *figuris*. Credat M. Fabii graviſſimi præceptoris ſententiæ, ac conſilio, inter virtutes grammatici poni illam, *aliquid neſcire*. Quos vero Scriptores ceu conſiliarios aliis reliquimus, huic tradimus legendos, ut pro ratione ſuſcepti officii unus ille multorum laborem ſuſtineat. Itaque in arte Grammatica reſtant huic Priſcianus, Diomedes, Aſper, Phocas, Caper, Capella, parum quidem ad docendum idonei, ſed qui moneant multa, quæ præceptor in ſuum & diſcipulorum uſum facile depromet. Terentianus item de proſodia & carminibus. Ex vicinioribus huic ætati Perotus, Sulpitius Verulanus, Curius Lancilotus, Aldus, Joannes Deſpauterius, qui ſunt multo quam illi commodiores. In Græcis vero Herodianus, Tryphonius, & qui patrum memoria Græcas literas in Italiam invexit Chryſoloras & Joannes Laſcaris. Authores Latini & Græci ſermonis, ſi qui habent argumentum ex reconditis quæſtionibus altioris diſciplinæ, videlicet primæ philoſophiæ, aut ſcrutationis cauſarum naturæ, medicinæ, juris civilis, theologiæ, ii relinquendi ſunt penitus ſuis profeſſoribus. Sin de facilioribus differunt nempe aſtronomia, coſmographia, philoſophia morum, prudentia, deſcriptione naturæ, aut in illis quidem prioribus, ſed expoſite tamen ac dilucide, non video, quo minus ſint *philologo* attingendi. Quod ſi quis in illis locus altius ſe aperit, contentus, quæ ſui ſunt muneris, inſpexiſſe, ad alia tranſibit, examinationem illius modeſte iis concedens, qui in ejuſmodi artibus operam ex profeſſo ponunt: ut ſuus cuique profeſſioni honor, ac dignitas conſtet, ne termini confundantur, & aliæ in aliarum jus ac poſſeſſionem temere invadant. Itaque Senecam licebit evolvere, a quo multum adjuvabitur verborum & propriorum, & translatorum vi, tum copia & varietate: ut rem eandem crebro, ac ſine faſtidio poſſit expromere, multumque alere poteſt facundiam Latinam metaphoris potiſſi-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

tiſſimum præ cæteris Scriptoribus dextere accommodatis. De Marco Tullio quantum proderit, ſupervacaneum eſt dicere, *parente copiæ Romani ſermonis*, ut eum Cajus Cæſar appellavit. Ciceroni *Quintilianum* adjunxit Laurentius Valla, tamquam comitem, aut verius ſocium, paremque, non omnino injuria, quum verborum munditie, tum translationum, & totius dictionis acumine. Quintus *Curtius* candidus eſt, ſed Criticorum quidam ejuſdem illum eſſe coloris cauſificantur: non perinde eſt nitidus Juſtinus. Poſt hinc periculoſa ſunt omnia. *Gellius* duriſſimarum elegantiarum affectator. *Apulejus* in aſino plane rudit. In aliis ſonat hominem, niſi quod *Florida* ſunt ridicula, ſex excuſat ea inſcriptio. *Macrobius* melior eſt his, atque explanatior, habet quæ non tam vulgari ſermoni ſint utilia, quam philoſophiæ explicandæ. *Tertullianus* perturbatiſſime loquitur, ut Afer. *Cyprianus* & *Arnobius* ejuſdem gentis clarius, ſed & ipſi nonnunquam afre. *Auguſtinus* multum habet *Africitatis* in contextu dictionis, non perinde in verbis, præſertim in libris *de Civitate Dei*, quod unum ex ejus operibus legendum cenſeo *philologo*: id enim bona ex parte in media *philologia* verſatur, quemadmodum ſuperius admonui. *Ambroſius* non adeo Latinus eſt, ut ſuavis: Latinior *Hieronymus*, niſi quod nonnunquam ſacrum ſe authorem eſſe meminit, de re ſolicitus magis, quam de verbis. Chriſtianorum omnium facundiſſimus eſt *Lactantius*: ſonum habet plane *Ciceronianum*, præterquam in paucis: imitandus cætera. Poſtremus *Boëthus* cuilibet noſtrorum ſuperiorum comparandus. In *Symmacho*, *Sydonio Apollinare*, *Paulino* parcam *philologo*, & eam illi operam remittam.

Hinc longo intervallo eſt deſcendendum ad proximæ noſtræ ætatis. *Franciſcus Petrarcha* abhinc annos paulo plures ducentis bibliothecas clauſas reſeravit primus, & pulverem, ſitumque è monimentis maximorum authorum excuſſit: quo nomine plurimum ei Latinus ſermo debet. Non eſt omnino impurus, ſed ſquallorem ſui ſeculi non valuit prorſum detergere. *Joannes Boccatius* ejus diſcipulus nulla ex parte eſt cum magiſtro conferendus. Rurſum linguarum ſilentium uſque ad memoriam avorum

in

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

in qua *Leonardus Brunus* ab *Aretio* ſatis fuit emendatus, ſimplex, naturalis, & nonnunquam in hiſtoria ſcribenda, neſcio quem ex Livio colorem ducit. *Laurentius Valla* egregiam præ ſe fert indolem, & verbis cum puris, tum etiam propriis utitur: qui ante *Elegantias* ſcripſit, ut *de voluptate*, minus ſunt accurata, quam quæ poſt eas. Itaque meliora ſunt, quæ de Græco vertit jam ſenex, Thucydides, ac Herodotus. In *Franciſci Phidelphi* verbis plane nihil deſideres: ejus tamen lectio eſt moleſta, quod motu omni, & quaſi vita caret: & fortaſſe is eſt genius, quem in quoque libro victuro Martialis requirit. *Theodorus Gaza* plurimum locupletare poteſt noſtram linguam vertendis ad nos Græcis. Minus eſt felix *Georgius Trapezuntius*, & verboſior, minore etiam verborum delectu. *Joviniani Pontani* verba ex Cicerone ſunt deſumpta, & phraſis tota. *Pomponius Lætus* exiguæ eruditionis, tota illa ejus celebris diligentia circa verba, & hiſtorias aliquot, tum ſaxa eruta, & monimenta diruta conſumpta eſt. *Campanus* feſtivus, & facilis, a rebus eſt inops. *Hermolaus* durus, ſtyli genus quoddam affectavit ſubmoroſum ex vetuſtiſſimis & nuperrime inventis vocabulis conflatum, ut Ennium, & Plautum Apulejo, Capellaque videatur miſcuiſſe. *Politianus* elaboratus: verba ejus bona, & uſui communi apta, officioſis duntaxat: nam gravitatis minus habet, quam vellem: & dum ſelectas quaſdam vel voculas, vel dicendi formulas, quaſi gemmas avet oſtentare, longius circunducit lectorem, pluribus tum verbis, tam ſenſis orationem onerans, quam erat opus. Gravior *Joannes Picus*, & ſatis caſtigatus, niſi quo loco altercatur cum theologis. *Antonius Sabellicus* fluit quidem plenus, ſed *lutulentus*, quandoque, ſimilis ei authori, ex quo res deſumit: ut colorem videatur mutare cum ſolo, per quod omnino tanquam fluvius decurrit: quod non raro uſu venit ſolicitis de re magis, quam de verbis. Memoriæ noſtræ ſunt Eraſmus, Budæus, Melanchton, Sadoletus, Bembus, Franciſcus Picus, Andreas Alciatus, ut alii multi vel jam magni vel aliquando futuri, de quibus quoniam vivunt, nihil dicam: dicent ſequentes quum erit judicare liberius.

In Græcis authoribus leget *Platonis* pleraque omnia, quem

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

quem *Jovis ſermonem* Græci ajunt ſonare : *Ariſtotelis* Ethica, & Politica, in quo eſt admirabilis loquendi proprietas : *Plutarchi moralia*, & Vitas illuſtrium virorum: *Galeni* quædam, ut de tuenda valetudine, verſione *Linacri* addita. Fuſus eſt *Galenus*, & plenus verborum, nempe Aſianus, ſed bonorum, atque elegantium. *Philoſtratus* floridus ac picturatus : dilucidus magis & ſimplex *Libanius*. Ex noſtris *Syneſius* elaboratus & translationibus paulo obſcurioribus frequens, *Baſilius*, & *Gregorius* culti, *Chryſoſtomus* apertior & redundantior, in præfationibus *Iſocrati* ſimilis, in elocutione *Luciano* & *Galeno*. Et hi quidem proſæ orationis authores : queis omnibus, ſi *Plinium Secundum* voluerit adjungere, non jam author unus aliquis acceſſerit, ſed bibliotheca integra ac plane juſta, tantis rerum, ac verborum divitiis. Quis ſe illo præterito *Philologum* audebit profiteri?

Poëtæ reſtant, ad quos tanquam antidotum librum adhibebit Plutarchi de *poëtarum lectione*, & alterum Baſilii Magni *de legendis ethnicis*, breviorem quidem illum ſed pietatis refertum. *Ars* Ariſtotelis *poëtica* non multum habet bonæ frugis, tota in obſervatione antiquorum poëmatum occupata, & in iis ſubtilitatibus, in quibus moleſtiſſimi ſunt Græci, quodque cum bona illorum venia dixerim, *inepti* quoque. *Palæphatus* vetus author poëtarum fabulas ad congruentem quandam hiſtoriæ, ac veritatis applicationem traducere eſt conatus, non omnino ſiniſtre, niſi quod in nonnullis alias deficiunt eum conjecturæ, alias fallunt. *Horatius* numeroſus, feſtivus, tranſlationibus, ut Quintilianus inquit, feliciter audax. *Ovidii* de illo teſtimonium eſt, canere eum Romana lyra culta carmina : heroico carmine eſt planipes, nec obtinere poterit ſonum & majeſtatem illius. *Catullus* duriuſculus, ut ait Plinius, & probe ſarriendus : non minus etiam *Tibullus*, ac *Propertius* dulces, & *Ovidius* miræ facilitatis, quem Seneca ſeculum ſuum amatoriis non tantum artibus, ſed ſententiis impleſſe merito quæritur. *Manilii* aſtronomicon grave eſt, ſed διδασκαλικὸν, & *ſine motu*, quemadmodum de *Arato* Quintilianus inquit : etſi hic noſter aſſurgit nonnunquam, & ardentius ſpirat. *Silius Italicus* diligens, plus artis, quam naturæ habet, quod Plinio

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

nio eſt viſum. *Valerium Flaccum*, ut *Apollonium Rhodium*, non video quid attineat legi, quaſi nihil ſit, in quod tempus conſumatur potius: non tam illorum vel carmen vel dictionem improbo, quam argumenti levitatem. *Juvenalis* multis in locis aſper eſt, ac durus, materiæ ſuæ conveniens: mollis & ſuavis *Statius*. Ex *Martiale* rejicienda obſcœna, in reliquo cujuſmodi ſit, teſtimonio Plinii Cælii credamus. Longe eſt his poſterior *Auſonius Gallus*, ubique argutus, & excitans, nec lectorem ſinit dormitare. *Claudianus* melior, & ingenii ac ſpiritus plane poëtici. *Juvencus*, *Sedulius*, *Proſper*, *Paulinus*, lutulentæ & perturbatæ ſunt aquæ, ſalubres tamen, ut de quibuſdam fluminibus ferunt. *Apollinaris* minus in carmine deprehenditur orationis moleſtia, quam in proſa: numerus enim illam vel operit, vel ſuſtinet. *Joannes Hintuillenſis* qui *Architrenium* propter materiam inſcripſit, non omnino malus, certe melior quam pro ſeculo. Longo interſtitio ſubſequuntur *Franciſcus Petrarcha*, in quo ſi non tantum fuiſſet naturæ juxta & ſtudii, ætas illa orationem ejus facile contaminaſſet. *Franciſcus Philelphus* profuſor carminum, ut præcoces partus ſubinde agnoſcas.

Elaboratior & dignus magis legi eſt *Jovianus Pontanus*. *Politiani* muſæ plurimum ſuavitatis habent, multo ſale, argutiis, Veneribus conditæ: ſed ex ejus epigrammatis extirpanda ſunt fœda illa, Gentili nedum Chriſtiano indigna. *Marullus* obſcurior eſt, & gratia impari. *Strozæ* duo, pater, ac filius, ſatis exculti. *Hieronymus Vidas*, & *Actius Sannazarius* Virgilianæ imitationi tanquam ſacratis legibus alligati. Acutus *Thomas Morus*, & plenus aculeis, ac ingenii. *Eraſmus* Horatio ſimilis, qualem ſe eſſe voluit. Græci poëtæ præter eos, de quibus meminimus, ſunt *Quintius Calaber*, qui παραλιπομενα poëmati Homerico aſſuit, ut *Maffeus Vegius* Æneidos deciumtertium. *Genealogia Deorum Heſiodi* ad intelligentiam poëtarum utilis, cætera futiliſſima. *Sophoclis* tragœdiæ; cujus non leve fuit ſemper pretium, etſi huic *Euripides* præfertur. *Arati* phænomena, quæ M. Cicero & Germanicus Cæſar ad Latinos verterunt. *Joannis Laſcaris* extant Latini & Græci luſus ex argutiis brevibus, & velut punctis ſuboſcuri.

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Præcipui interpretum ſunt *Valerius Probus*, cujus perpauca ſuperſunt adhuc in Bucolica, & Georgica Vergilii. *Ælius Donatus*, qui circa conſilii explicationem in Terentio & Vergilio eſt multus: ſed in Terentio magis ſe interpretem Latinorum verborum recordatur eſſe, etſi in his non raro infeliciter aſſignandis, præſertim differentiis, ſicut in conſiliis, comminiſcitur plurima, quæ nunquam Scriptoribus in mentem venerant. *Servius Honoratus* philologus eſt, ut facile credat quivis, diligens, ſed multa affirmat incomperta. Notas in eum aliquot *Philippus Beroaldus* compoſuit, homo non multo quam *Servius* ipſe accuratior. Cæterum ſunt in *Servio* complura, quæ promptius ſit dicere eſſe falſa, quam aperta ratione confutare. *Acron* & *Porphyrion* Horatii expoſitores pleriſque recentiorum longe ſunt impares: dormitant crebro, atque adeo ſtertunt quoque. Meliores ſunt *Beroaldus* & *Sabellicus* in Suetonium. Brevis Sabellicus, alter fuſior, ſed negligentior, qualis etiam eſt ad Aſinum Apuleji. *Mancinellus* ſuper Virgilii Bucolica & Georgica probe grammatici fungitur munere. *Landinus* in eundem poëtam nimis philoſophatur, ut *Petrus Marſus* in Officia Ciceronis loquacitate pene intolerabilis. *Parrhaſius* ad raptum Proſerpinæ Claudiani, & *Nicolaus Beroaldus* ad Politiani Ruſticum, & *Franciſcus Sylvius* ad Gryphum Auſonii multum habent ex philologia bonarum rerum accurate depromptarum. *Aſconius Pædianus* utinam & integer ad nos perveniſſet, & ſincerus, potuiſſet magnopere intelligentiam Ciceronis, linguamque adjuvare. Sunt enim in Cicerone haud ſane pauca perobſcura, & iis tenebris obſita, quæ diſcuti jam nulla poterunt luce propter ignorantiam actorum illius temporis. Multa in authoribus enucleant *Hermolaus Barbarus*, Plinium ac Melam annotans; *Angelus Politianus* in Centuriis; Budæus, Alciatus, Sabellicus, Beroaldus, Ægnatius, opere cui titulum fecerunt Annotationes authorum. Tum Ludovicus Cælius, Antonius Nebriſſenſis in quinquagenis. Joannes Pierius Valerianus Virgilium collatis variis codicibus emendavit, labore profecto ad lectionem præcipui

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

pui vatis perutili . *Baptiſta Pio & Cornelio Vitellio* piget loqui . Cenſeant de præſentibus poſteri .

Libri tertii De tradendis diſciplinis

FINIS.

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

JOHANNIS LUDOVICI VIVIS VALENTINI

DE TRADENDIS DISCIPLINIS

Sive de Institutione Christiana.

LIBER IV.

HActenus cognitioni linguarum vacavimus, quæ fores sunt disciplinarum omnium atque artium, earum certe, quæ monimentis magnorum ingeniorum sunt proditæ. Itaque ignoratio linguæ cujusque velut ostium disciplinæ illius claudit, quæ ea ipsa lingua est comprehensa & consignata. Sed meminerint homines studiosi, si nihil adjecerint linguis, ad fores tantum perveniisse eos artium, & ante illas aut certe in vestibulo versari: nec plus esse Latine, & Græce scire, quam Gallice & Hispane, usu dempto, qui ex linguis eruditis potest accedere: nec linguas omnes labore illo propter seipsas dignas esse, hoc est, si aliud nihil quæratur: quippe propter exteriorem utilitatem tantummodo parantur, ut ad ea penetremus, quæ linguis illis includuntur velut thesauris quibusdam pulchra atque admiranda.

Studio sermonis finitima est *ratio examinandi*, instrumentum *veri* & *falsi* per *enuntiata simplicia* & *composita*: quæ *censura veri* nuncupatur. Adolescens ab studio linguarum huc traductus, facile quæ proponentur, capiet: neque vero quicquam oberit, quo minus ante finem peritiæ

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ritiæ ſermonis cenſuram hanc auſpicetur : ut pariter & illud conſummet ſtudium , & in hoc decurrat . In hac ſive arte , ſive artium ferramento atque organo primum ea vocabula explicabuntur , quæ hujus tractationis ſunt propria . Hinc de *ſimplicibus effatis* , tum de *compoſitis* , poſtremo loco de *argumentationum formulis* : *eaque* dialectica κριτικὴ nominatur ; id eſt , de *judicio argumentationis*. Ad hanc libelli quidam extant hominum recentium non omnino inutiles , ut Georgii Trapezuntii , Georgii Vallæ, Philippi Melanchthonis : ii poterunt enarrari principio . Tum Ariſtotelis Περὶ ἑρμηνείας , omiſſa diſputatione *futurorum contingentium* , quæ & per ſe intricatiſſima eſt , & altioris contemplationi . *Libri priorum* multa ejuſdem generis continent , & obſcura , & mea quidem ſententia parum neceſſaria : deſumet illinc inſtitutor , quæ videbuntur ingeniis ſuorum , & arti , quam tradit , convenire . Exercitatio erit in his non rixoſa : nam talis eſt hæc ipſa ars ſuopte ingenio . Quod ſi rixis addantur rixæ , quid aliud fuerit quam *oleum incendio* aſpergi ? ut ajunt . Erit conſultius , ut conferant ſua ſtudia per *interrogationes* , quam per *argumentorum conflictum* ; neque enim habebunt adhuc , de quo argumententur . Parabuntur jam nunc diſputationibus aliarum artium , *propoſitis theſibus* , ut ex regulis obſervationis hujus condiſcant nihil repugnans admittere , nihil conſentiens rejicere : quam exercitationem *obligationes* noſtri vocant , quæ neque ars ſunt ulla , neque pars artis , ſed tantum præceptorum executio , & aplicatio ad opus . In his duo ſunt ſolum vitanda , quæ modo attigi , *non recipere pugnans poſitis* , *non reſpuere congruens poſito* . *Socraticæ interrogatiunculæ* non modo per *inductionem* , ſed eliciendo paulatim velut actis cuniculis adverſarii ſenſu , *diviſionibus* , ac *definitionibus* , vehementer ſunt ad multa conducibiles , ad verum exprimendum, ad exacuendum ingenium , & ad revincendum eum , qui contra tendit . Leget ipſe per ſe adoleſcens tacito ſtudio Boëthum , Capellam , Apulejum , Auguſtinum ; etſi hi *Græciſſant* . Politianus floſculos quoſdam decerpit ad oſtentationem , quam unam fere venatur ; utilis eſt tamen ſuppeditare quædam artis vocabula . Cognoſcet univerſam Ariſtotelis Dialecticam attentus . Ariſtotelis quidem libri mul-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

multo aliter diſtinguuntur, citantur a veteribus, Tullio Cicerone, Laërtio Diogene, Servio Honorato & aliis, quam a junioribus: ſed nos quibus priſca illa ſunt ignorata, acquieſcemus iis, quæ accepimus. Græci in Ariſtotilem interpretes Pſellus, Mangenetus, Ammonius obruunt lectorem verbis inanibus, qui prope eſt mors enarratorum illius gentis. Jacobus Faber tum in Ariſtotelem ſcripſit, tum Dialecticam ipſe compoſuit: multaque ex receptis ſuo ævo opinionibus tanquam ex cœno trahit.

Sequitur rerum naturæ cognitio. eam facilius adoleſcens quam res prudentiæ intelliget: quippe naturalia ſenſu & acumine aſſequitur, res autem prudentiæ uſu vitæ, & multarum rerum peritia, ac memoria. Quæ de natura exculpſimus, vel ſenſibus ſunt parta, vel phantaſia, quibus judicium mentis acceſſit rector ſenſuum: quocirca pauca & maligne ſumus conſecuti propter eas tenebras, quæ denſiſſime animos humanos obſident, ac premunt: quocirca veriſimilia conſectamur magis, quam aſſequimur, quæ pro comperto habeamus vera. Sunt quidam duri adeo, ac difficiles, ut in omnibus rationem exigant vel ſenſibus expoſitam, vel menti invincibilem: ut Ariſtoteles, & C. Plinius: hi fiunt alienis inventis increduli, & in rebus piis impii: quum ipſi aliis tantopere inexorabiles, in iis tamen quæ probant, ſæpe rationi aſſentiantur levi, atque infirmæ, vel unice authoritati ejus, cui ſunt adjurati. Idcirco ab ſtudio hoc ſummovendi ſuſpicaces, quique omnia vertunt in deterius. Nec quicquam diſciplinæ hujus tradendum parum firmis in ſancta perſuaſione, niſi etiam addantur exactæ cauſæ *primæ philoſophiæ*, quæ ad divinitatis cognitionem pertingunt. In *naturæ contemplatione* ac ventilatione primum ſit præceptum, ut quandoquidem ſcientiam ex his parare nullam poſſumus, ne nimium indulgeamus nobis iis ſcrutandis, & exquirendis, ad quæ non quimus pervenire; ſed ſtudia noſtra omnia ad vitæ neceſſitates, ad uſum aliquem corporis aut animi, ad cultum & incrementa pietatis conferamus. Siquidem intenta & accurata diligentia nihil aſſequimur aliud, quam ut Salomon ſapienter dicit, *afflictionem*. Nec vacat ſic occupato diſtrictoque cogitare de Deo: quod ſi tentet facere, illico obverſatur ei ante oculos ea ſcrutatio, in qua

eſt

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

eſt totus. Quare *contemplatio rerum naturæ* niſi artibus vitæ ſerviat, aut ex notitia operum ſuſtollat nos in authoris notitiam, admirationem, amorem, ſuperflua eſt, ac plerunque noxia. Quapropter illa abjicienda ſunt penitus, quæ ad curioſitatem quandam ſolum pertinent, ne illis diſtentus animus meliora ſcrutari poſtmittat, & quæ ſcire muneris eſt veri ac germani philoſophi. Magis ſunt illa ſpernenda, quæ ad inanem oſtentationem conficta, nihil in ſe continent ſolidi, & profuturi: de quo genere ſunt *ſuicetica*, quæ detinent, abducuntque a cura meliorum: quodque eſt gravius, reddunt eis ineptos. Neque eſt philoſophus, qui de *inſtantibus* & de *motu enormi* aut *conformi* nugatur ſubtiliter, ſed qui generationes & naturas novit plantarum atque animantium, qui cauſas cur quicque fiat, & quomodo. Nec attingenda Arabica indocta, inſulſa, impia. Sed nec veterum Græcorum, Latinorumve quamlibet doctorum hominum rimandæ opiniones omnes, ac placita. Nam quorſum attinet ſcire, non defuiſſe, qui *nivem atram* eſſe contenderent, *ignem frigidum?* Scire quidem fortaſſe nihil interdum obeſſet, occupari autem dum id vel propugnas, vel labefactas, id vero eſt nimis liberaliter abuti tempore. Itaque & in Ariſtotele moleſtas illas diſputationes, ſeu rixas verius, contra antiquos philoſophos prætereundas cenſeo. Adde quod nec Ariſtoteles ubique narrat fideliter; nam invertit illorum vel ſenſa vel verba, nec ſatis valide confutat, & ex ſuiſipſius principiis illos refellit: denique non tanti eſt illa nоſſe. In omni philoſophia, quæ eſt de natura, illud prædicetur juveni, ea illum modo auditurum, quæ imaginem habeant veri, quantum quidem ingenio, judicio, uſu, & diligentia potuerunt aſſequi, quibus curæ fuit illa indagare: nam quod nos verum eſſe pro certo poſſimus confirmare, rarum eſt. Initio exhibenda ſunt facillima, id eſt, ſenſibus ipſis pervia. Hi ſunt enim ad cognitionem omnem aditus. Ideo primum inter hæc obtinebit locum expoſitio quædam, & velut naturæ totius pictura, cœlorum, elementorum, & earum rerum, quæ ſunt in cœlis, quæque in elementis, igne, aëre, aqua, terra: ut non aliter ſumma quadam ſit comprehenſa delineatio atque orbis univerſi deſcriptio in tabula. *Ariſtoteles* eam ad rem li-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

bellum conſcripſit *de Mundo*, ſive ille eſt ejus author, ſive alius quiſpiam. Phraſis quidem jucundior eſt, quam pro Ariſtotelica ſeveritate: tum perſpicua magis, quam ſolitus eſt Ariſtoteles de natura diſputare: ſed illi opuſculum hoc aſſerunt Juſtinus martyr, & Johannes Picus: certe ex Peripatetica ſchola prodiit. Apulejus illud pro ſuo vertit, & inſcripſit coſmographiam: quædam ſunt tamen fuſius ac accuratius explananda: ut de cœlis enarrabitur ei ſphæra *Joannis Sacriboſchii*, tum Theorica planetarum Georgii Purbachii, liber etiam Plinii ſecundus. De geographia vero, & hydographia Pomponius Mela, & libri quatuor Plinii uſque ad ſeptimum. Nihil eſt hic opus diſputationibus, ſed contemplatione naturæ tacita. Quærent interim, & rogabunt verius, quam altercabuntur, aut diſputabunt. Sunt nonnulli haud ſatis altiori cauſarum inquiſitioni idonei, qui ingenio ſint præditi tardo, & velut capite demiſſo, quod vel non aſſurgat, vel in ſplendorem intueri non ſuſtineat, ut oculi luſcioſi, utique vel non libeat, aut non ſit per vitæ rationes integrum: his eſt hoc ſiſtendum loco. Tum extra auditorium leget ipſe per ſe *Arati phænomena*, & *Julii Hyginii cæleſtem hiſtoriam*. *Manilii aſtronomicon* multa habet de *Chaldaica* ſuperſtitione ac vanitate inſperſa: adeundum tamen non ſine judicio & duce, qui, quæ devitanda ſint, ſubmoneat. *Strabonem* item evolvet deſcriptorem orbis, & Scriptorem rerum geſtarum: contemplabitur Ptolemæi picturas, ſi quas nactus ſit bene emendatas. Addet quæ noſtrorum navigationibus in confinio ſunt Orientis & Occidentis reperta. *Ariſtotelis* item volumina *de animalibus*, & diſcipuli ejus *Theophraſti de ſtirpibus*, & *Dioſcoridis de herbis*, cum annotationibus *Marcelli Vergilii*, qui tranſtulit, & Corollariis Hermolai Barbari: tum ad ruſticas res M. Catonem, Varronem, Terentium, Junium, Columellam, Palladium, non jam ad verba, ut antea, ſed ad res intuendas. Petrus Criſcentius ſtilo & verbis male cultus, non male agrum & villam colit. Piſces utcunque deſcribit *Oppianus* Dioſcoridis popularis. Hanc naturæ partem vehementer ignoramus, quod & in edendis piſcibus incredibile dictu quantum ſibi natura indulſerit, & in nominandis conſuetudo: ut in maris regionibus, atque oris diverſis diverſi

ſint

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſint ac perquam diſſimiles, etiam qui ejuſdem ſunt generis atque ſpeciei, variæ ſint in variis plagis figuræ ac formæ: nec ſolum in eis appellandis linguæ inter ſe diſſentiunt, ſed urbes & oppida, atque adeo vici ejuſdem linguæ. De gemmis, metallis, & pigmentis Plinius ſcripſit, qui ea ipſa omnia eſt complexus, quæ modo recenſui: quod & *Julius Solinus* fecit Plinii *ſimiolus*, vel verius *ſuppilator*. Nec minus contemplationem hanc juvare *Raphaël Volateranus* poteſt tertia ſuorum commentariorum parte, quam *philologiam* inſcripſit, author magnam ſane diligentiæ laudem meritus. Hæc quidem ei, qui in hac parte ſtudiorum volet permanere, legenda ſunt hoc loco, & perſcrutanda diligenter: ei vero qui porro pergit ad ſequentia, poſt cauſas naturæ exteriores perquiſitas, in hoc erit velut amœno diverſorio conquieſcendum. Studioſum ſpectationis hujus ut ſedulum ac diligentem requirimus, ita minime pertinacem, arrogantem, contentioſum. Nihil hic jam opus eſt altercationibus & rixis, ſed aſpectu quodam. Itaque contemplabitur rerum naturam in cœlo & nubilo & ſereno, in agris, in montibus, in ſylvis: tum ex iis quæret, ac ſciſcitabitur multa, qui in locis illis ſunt frequentes: quod genus ſunt hortulani, agricolæ, paſtores, venatores: quod Plinius & alii harum rerum magni authores indubie fecerunt: neque enim unus aliquis poteſt omnia hæc adeo tum multa, tum varia intuendo obire. Ipſe etiam ſive contempletur quid, ſive narrantem audiat, non oculos modo intentos habeat vel aures, ſed animum quoque: magna enim & accurata animadverſione eſt opus in omni natura contuenda, obſervatione hac temporum, & ingenii ac virium cujuſque rei. Magnam hi adferent utilitatem agro colendo, percipiendis & condendis frugibus, eſculentis, & poculentis, medelis ac fomentis in affecta valetudine. Erit ſenum locupletum ingens delectatio, tum refectio animorum iis, qui vel privata negotia, vel rempublicam gerunt. Quando non facile alia reperietur voluptas ſenſuum, quæ comparari huic vel magnitudine vel diuturnitate valeat: quippe quæ ſciendi deſiderium exhilarat, quod in omni humana mente ardentiſſimum eſt. Quocirca dum contemplationi huic datur opera, non eſt aliunde recreatio petenda, nec cibo

huic

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

huic condimentum : deambulatio ipſa, atque otioſa illa contemplatio & ſchola eſt & magiſter : ut quæ aliquid ſemper quod cum admiratione ſpeculeris oſtendit, unde eruditio increſcat. Sed revertamur ad ſcholam & doctorem.

Qui pergent ulterius diſcere, iis poſt deſcriptionem illam rerum brevem ac facilem, artificium naturæ occultum declarabitur, quæ eſt *prima philoſophia*, ſcrutatio videlicet & *concretionis corporum*, & actionum omnium, quæ ex intimis rei cujuſque naturaliter oriuntur, unde ad ipſas cauſas exteriores egredimur, tanquam opera intimarum, & ad Deum uſque conſcendimus, parentem, cauſamque univerſorum, ſi modo recta inſiſtamus via. *Nam inviſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt, oculis mentis ſeſe offerunt, ſempiterna quoque illius virtus & majeſtas*. Quod ſi oblique incedamus, errabimus tota via in diverſum. Quapropter philoſophia hæc non temere, nec quomodo cunque eſt tractanda, in qua tam grande paratum eſt periculum errori. Itaque non eſt Natura ad Gentilitiam lucernam ſcrutanda obſcuræ lucis malignæque, ſed ad facem hanc ſolarem, quam Chriſtus mundi tenebris invexit: eam ad rem nos tentavimus opus ſcribere, ne haberemus Gentilia conſectari tanto detrimento religionis, aut certe diſcrimine. Adde quod ſi non exactius, apertius certe ſunt omnia a nobis prodita. Nam Ariſtotelis *prima philoſophica*, quæ μετὰ τὰ φυσικὰ dicuntur, & libri de *auditu phyſico* octo, quæ ad idem argumentum pertinent, evolvenda ſunt hoc loco: multum enim tum eruditionis habent, ut illius omnia, tum ingenii, ſed obſcuritatis quoque plurimum: quin illæ Ariſtotelicæ ſubtilitates, atque adeo non raro quoque prætenues minutiæ, frangunt ingenii aciem, ac retundunt. Præbuit etiam nonnullis anſam, ut quæ nuſquam eſſent, inquirerent; & ex diligentia, atque attentione quærendi immodica, aliquid ſe inveniſſe crederent, & videre ſibi viderentur, quæ non viderent, ac ne eſſent quidem: non aliter quam qui ſudo ac ſereno cœlo de medio die quærunt aſtra, ex hallucinatione putant ſe aliqua cernere. *Octo libri phyſicorum* prælegentur juveni, & quidem cum cura, ſive ii ab Ariſtotele ipſo ſunt præſcripti, ſive, ut quidam putant, dicente illo excepti, a Nicoma-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

comacho autem filio, qui Theophraſtum audivit, collecti, & æditi: ideoque *περὶ φυσικῆς ἀκροάσεως* inſcripti. Nec minus tradentur accurate ſex prima volumina primæ philoſophiæ: nam reliquos ſeu duodecim ſunt, ſive ut nonnullis placet, quatuordecim, ipſe per ſe leget, ſelectis ſententiis ac dogmatibus memoria dignis, reliqua difficultatis ſunt ut ingentis, ita etiam ſterilis, quæ tamen diligentius, ac penitius magiſter ſcrutabitur, ut aliqua illinc & ſibi, & auditoribus utilia eruat. In quinto libro *categoriæ* explicantur. Adjungendum opus *Porphyrii de quinque vocibus* ex Ariſtotele decerptum, tum *definiendi* ac *dividendi* ratio Boëthi, quæ eſt *eſſentiarum explicatio*. Libellus circumfertur *Speuſyppi de definitionibus Platonis*, unde ad omnia definitionum genera licebit exempla petere.

In hac tanta inveſtigatione magiſtrum volumus diligentem, moderatum, minime arrogantem, aut in ſtatuendo præcipitem: nec aliter cunctabundum atque ſuſtinentem ſeſe, quam qui ſe in tenebris, & per lubricum intelligit vadere. Deſiderat diſciplina hæc auditorem ingenii attollentis ſe, ac erigendis ſupra ſenſus ad cauſas rerum ac primordia, ad collectionem univerſalis ex ſingulis. In quibus generalibus eſt doctrina, ſicut in ſingularibus delectatio: illud enim eſt mentis, hoc ſenſus. Ideoque magis delectat Plinius, Ariſtoteles magis docet. Alienum eſt ab inſtituto hoc ingenium nugax, inepte conjectans, item contentioſum, ut rationem ad omnia evidentem atque invincibilem efflagitet, quæ non poteſt ubique exhiberi par, ſed convenit unumquemque contentum eſſe ea veriſimilitudine, qua humanum ingenium integrum, hoc eſt, non affectione ac partibus imbutum, non contentionis, ſed veritatis avidum, facile acquieſcat. Inſtitutor & hæc, & omnem de natura commendationem ad mores excolendos referat, ut animos ad virtutem fingat, pietatis reſpectum, & curam inſtillet pectoribus: quarum rerum magnam occaſionem, & uberrimam copiam Naturæ contemplatio omnis præbebit. Sic videntur voluiſſe ſua tradere Seneca, & Plutarchus, interim etiam Plinius Secundus. In præceptis primæ philoſophiæ ambages ſunt quædam obeundæ; progrediendum

ali-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

aliquo uſque, inde eodem revertendum, unde veneras, ab *a* ad *b*, rurſum a *b* ad *a*: propterea quod in hiſce rebus indagandis non ducimus mentem noſtram via rerum, ſed via ſenſuum, quæ hos habet mæandros. Itaque elaborandum ſemper, ut propria ſint ſimpliciora, & magis rudia, id eſt, ſenſui magis expoſita, & cognita. Ea vero expolientur paulatim, & ad cenſuram mentis venietur, poſtquam ſenſu uſus fueris, quantum oportet.

Vocabula non ſunt in natura ſatis apta, quandoquidem populus, a quo manat ſermonis copia, rerum eſſentiam, naturam, vim non capit, unde vera & maxime propria appellationum ratio deberet proficiſci: ſed tamen a vulgi conſuetudine recedere nos in totum non convenit, aut certe ſi quid exactius tentamus eloqui, receptus eſt uſus declarandus, ne alios fallamus.

Diſputationes hic & ſtudiorum quieta collatio potius, quam altercatio, non jam ad victoriam pertinebunt & gloriam, quod permittebatur pueris, ſed ad verum intuendum, quod eſt pretium operæ ampliſſimum: ut ſit quædam quaſi militia ad eam aſſerendam: ergo aſſerta, continuo ſunt ponenda arma, & ubi procul emicuerit, haſtæ ſunt imperatrici ſummittendæ. Noli contra verum ingenioſus, aut doctus exiſtimari, non tu illi tenebras offundes, ſed luſcioſo ac infirmo humano ingenio ſæpe alieno, ſæpe etiam tuo ipſius non veritatis vitio, ſed noſtro. Itaque rectam ſemper viam in his tenete, quantum quiſque judicio integro aſſequetur: quæ vobis ſic incedentibus tranſverſa ſeſe obtulerint, id eſt, quæ dubia ex ipſa re naſcentur, diſſolvite: nolite autem latam & regiam viam egredi, ac in deviis tramitibus impedimenta atque offendicula quærere, quæ in medſa via opponatis, hoc eſt, aciem mentis per totam naturam peregrinatum mittere, ut undecumque converrat, quo veritatis lucem & vobis, & aliis obſtruatis. Sevocet quandoque philoſophus ſeipſum a condiſcipulorum colloquiis, ut ſolus ipſe, ac quietus, quæ audierit, quæque legerit, recognoſcat, & contempletur, clarius tum videbit ſingula, & judicabit acrius; plurimum ea res tum intelligentiæ, tum judicio confert. Chryſippus Stoicus ſolitus erat dicere: ſi

inter

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

inter plurimos me exercerem, numquam philoſopharer.

Exercitationes corporis aliquanto robuſtiores concedentur, nempe robuſtioribus jam & magis confirmatis, deambulationes intentiores, aut longiores, curſus, ſaltus, jactus, lucta, modo ſcholaſtice, non militariter, nempe ad reparationem virium, ut valetudo ſit in juvenili corpore firmior, & ipſi alacriores, ne ingenium gravitate valetudinis opprimatur. Eget etiam diſciplina hæc crebris animorum refectionibus, quæ ſubtilitate, ac difficultate ſui vehementer ingenia defatigat: ſed ejuſmodi recreationes, præter eas, quæ de corporum relaxationibus obveniunt, ex ſuperioribus repetentur ſtudiis, lectione poëtarum, coſmographorum, hiſtoricorum ſive naturæ, ſive rerum geſtarum.

Poſt expoſitam *naturæ picturam*, & *intimum* ejus *artificium*, tum eſſentias rerum, ſtudium ſequetur inſtrumenti probabilitatis, ſeu de ratione inveniendi argumenta, continuo mox de ratione dicendi. Sic enim optime hæc intelligentur, nec antea poſſent propter inſcitiam earum rerum, quæ in ejuſmodi obſervationibus tractari eſt neceſſe, quæ quum ex aliis artibus, tum ex medio vitæ uſu depromuntur. Sed neque debent diutius differri, quoniam alia maxima & perfectiſſima ſtudia hiſce inſtrumentis adjuvantur. *Argumentorum inventio* pars eſt dialecticæ una ex duabus: altera eſt enim, quam ſupra *de judicio* poſuimus, ſeu *veri cenſura*. Separavimus tamen tradendi loco quoniam ſic intereſt diſcentium. Utraque ars & *dialectica*, & *rhetorica* rixoſa ex ſe eſt, ad contentionem ac pervicaciam proclivis, ideo rixoſo & contentioſo ingenio neganda, item ſuſpicaci in pejus: omnia enim illuc detorquebit. Affert etiam utraque ars malitiæ plurimum, idcirco nec malitioſum ingenium, & ad fraudem faciendum paratum inſtrui illis conveniet. Sed nec malo viro tradendæ, nempe ſeditioſo, venali, iracundo, ultionis avido: fierent huic *gladius in manu furentis*, ſicut eſt in proverbio. Quin etiam cuicunque credentur, modice ſunt & exiguo tempore deguſtandæ potius, quam ebibendæ: reddunt enim ſpinoſos, rixoſos, fraudulentos. Nam quod dicunt vitio id evenire male utentium, ſint ſane ita, ſed multi oblata occaſione in vitium labuntur.

Fa-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Facundiſſimum hic præceptorem requirimus, & quod magis exigitur, acuto ingenio, judicio integro, & ſano, verſatum in omni genere diſciplinarum atque eruditionis, quique vitiorum animadverſor ſit ſubtilis, & acer. Quod Ciceroni vehementer profuiſſe teſtatur idem ipſe in Bruto, quum ait ſe Miloni Rhodio operam dediſſe, homini in notandis, animadvertendiſque vitiis, & in inſtituendo, docendoque prudentiſſimo. Nihil eſt ſcilicet perinde difficile, ut orationis lapſus, & flagitia animadvertere primum, hinc velut *indicare digito*, tum exprimere, poſtremo corrigere. Deeſt interim aliquid, & te deſiderare intelligis, nec promptum ſit tamen explicare quid illud ſit: ut de L. Gellio, & aliis quibuſdam oratoribus Cicero ſcribit. Ad inveſtigationem probabilitatis enarrabit doctor *Ciceronis topica*, additis commentariis Boëthi, aut quod malim, Rodolphi Agricolæ dialecticam, voluminibus tribus facundiſſime, & ingenioſiſſime expoſitam. Ciceronem vero, & Boëthum diſcipulus per ſe non ſemel leget, cui M. Tullio totam pene artem hanc debemus, quæ ab Ariſtotele quidem reperta, rudis adhuc eſt oſtenſa, nec utentibus ſatis habilis. Leget item per ſe *Quintiliani librum quintum*, nec non *Ciceronis duo de inventione volumina*, quod opus excidiſſe ſibi dicit juveni: adjunget Victorini commentarios. *Ariſtotelis octo libros topicos* attente, ut omnia illius philoſophi, iterum atque iterum evolvet, non tam ad expoliendum, aptandumque *inſtrumentum* hoc *credibilium*, quam ut ſententias, & præcepta variarum rerum, quæ in opus illud ſunt congeſta, annotet, & ad manum habeat, ubi res poſcet. Magiſter velut diligens apicula per omnia diſciplinarum viridaria circumvolitans undique decerpet diſcipulo ſuo, & colliget obſervationis hujus exempla: ſed in rebus vitæ magnam copiam *oratores* ſuggerent, & *poëtæ tragici*, qui ſunt omni generis argumentis refertiſſimi,

Tractatio erit primum, ut ea quæ audierunt, magiſtro repoſcente, reddant: additis vel eiſdem, vel nonnunquam aliis pro ipſorum captu exemplis. Hinc examinatio quemadmodum magni & præſtantes ingenio viri credibilia ſua invenerunt, quis ſit horum locorum in illis uſus, & quam convenienſ. Tum propoſitis ſimplicibus rebus, quæ in illis

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

lis ſit argumentorum in omnem partem materia, & quaſi farrago per ſedes rationum: ut homine ſignato, aut philoſopho, aut principe, aut republica, idem in comparatione fiet duorum, aut plurium: ut ſi quis philoſophum & uxorem conferat inter ſe. Hæc ubi diligenter trita erunt, & percognita, ſumpto juſto, & quaſi legitimo themate, ad partem utranque excogitabuntur argumenta, quorum momenta vel ſeparatim expendentur, vel ex collatione.

Huic *dicendi* ſuccedit *ratio*, quam a bonis, & ſapientibus viris repudiari, aut negligi minime convenit: quandoquidem efficaciſſima eſt, ac potentiſſima, & in omnes vitæ partes neceſſaria. Nam in homine jus ac imperium ſummum eſt penes voluntatem, ratio & judicium velut conſultores ſunt illi attributi, affectus autem ut faces. Atqui & affectus animi ſermonis ſcintillis accenduntur, & ratio incitatur, ac movetur: quo fit, ut *ſermo* in toto hominis regno ingentes vires obtineat, ac ſubinde oſtendat. Nec immerito Euripides *πραννικόν π* vocat facundiam: & per ſermonem ampliſſimas opes, potentiam, regnum quoque aſſecutos eſſe nonnullos conſtat: ut Piſiſtratum, & Periclem. At dicunt: Prolapſi ſunt mores in deterius, idcirco non ſunt hominibus ea committenda, quibus in perniciem aliorum uterentur. Equidem quibus ingeniis credendam eſſe facultatem hanc cenſerem, paulo antea expoſui, & quantum mihi de ea ſumendum videretur. Sed certe quo ſunt corruptiores animi hominum, eo ars hæc accuratius deberet a prudentibus & probis viris ſuſcipi, quæ in animos noſtros dominatur tantopere, ut illos a flagitiis & ſceleribus ad curam aliquam virtutis traducerent. Neceſſitas vel ex eo oſtenditur, quod nulla omnino vitæ ratio atque actio carere poteſt ſermone, publica, privata, domi, foris, cum amico, cum inimico, cum hoſte, cum majore, cum minore, cum pari. Is eſt maximorum, & bonorum, & malorum cauſa. Quantum ergo eſt uti ſermone decenti, & conſentaneo perſonis, rebus, locis, temporibus, ne quid exeat perverſe, pueriliter, indecore? Neque enim alio eſt tota hæc tractatio convertenda, non ad inane verborum ſtudium, ut ea compta ſint atque ſplendida, ut concinna, ſuavique ſtru-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſtructura coagmentata: ſed neque dicamus putide, inepte, ac ut minime dici conveniat: ut appareat artem hanc potiſſimam eſſe prudentiæ portionem.

Quapropter ſic meo quidem judicio tradetur, ut primum omnium qui ſit orationis finis procul ſpectemus, tum ad ea perveniendum, quæ inſtrumenta, quæ via. Exempli gratia: Finis eſt docere, perſuadere, movere. Inſtrumenta ſunt verba ſimplicia, compoſita, & eorum ſenſa, quæ omnia per ſingulas ipſorum qualitates aperienda ſunt, & examinanda. Tum quemadmodum operi applicanda ſint inſtrumenta videbimus: id eſt, quæ, cui fini, & quemadmodum. Hinc ſpeciatim de docendo, & ejus partibus, de perſuadendo, de movendo, & eorum formis. Habebitur ratio dicentis, audientis, loci, temporis, negotii. Jam quæ inſtrumenta, quibus rebus ſunt apta, ad hunc finem, hoc loco, hoc tempore, hoc dicente, hoc audiente. De quibus niſi ego fallor, perturbate, confuſeque eſt olim a majoribus noſtris præceptum, minimeque ad uſum congruenter. Poſſunt tamen a ſedulo inſtitutore multa ex illis colligi, nempe ex Ciceronis libris rhetoricis, Quintiliani inſtitutionibus oratoriis, ex Hermogene, libro potiſſimum quinto, qui eſt de *dictionum formis*, & Hermogenis pene interprete Georgio Trapezuntio. De *formis* item multa præcipit Demetrius Phaleræus in libro περὶ ἑρμηνείας, & Ariſt. Περὶ πολιτικῆς λόγου. Nam eſt ejuſdem ars Rhetorica de ſermone ſimplici, ut Apſinis Cadaræi. Dionyſius Halicarnaſſæus præcepta quædam aggreſſus eſt tradere de orationum, ſive argumentorum generibus, ut de panegyricis, epithalamiis, epitaphiis, & ejuſmodi. Tum Latinos ſumet in manus, Martiani Capellæ librum quintum, Rutilii Lupi de figuris, quod opus e Gorgia vertiſſe ferunt non Leontino illo, ſed alio quodam. *Julius Ruffinianus*, & *Rhomanus Aquila* de eodem argumento libros reliquerunt poſteris. *Sulpitius Victor* præcepta quædam artis conſcripſit. Ex his omnibus decerpet tanquam floſculos, vel unde ipſe faſciculum, quem juvenibus ſuis exhibeat, concinnet, vel quos ſparſim tradat, dum aliquos artis hujus præceptores enarrat. Enarrabit vero, ſi quos velit, primum facile aliquod ac breve artis compendium, quale eſt Martiani Capellæ, aut Phi-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Philippi Melanchthonis, vel quatuor Rhetoricorum libros ad Herennium: quos qui Ciceroni assignarunt, equidem quid secuti sint, haud video: ex Quintiliano videtur posse colligi a Cornificio esse compositos. Tum Quintiliani libros quinque, nempe tertium, quartum, octavum, nonum, decimum. Oratorem Ciceronis, & Aristotelis Rhetorica ad Theodecten, opus magni quidem ingenii, ac artis, quod in hoc authore est perpetuum, sed ingentis quoque utilitatis ad sensum, & prudentiam vitæ communis. Leget ipse juvenis privato suo studio Quintiliani reliquum, Ciceronis Partitiones ad filium, De oratore, & Brutum, Aristotelis vel cujusqunque alterius ad Alexandrum Rhetorica, Georgium Trapezuntium. Cæterum quando non habemus jam populum vel Latine loquentem, vel Græce, operosum esset nova in elocutione illarum linguarum præcepta excogitare: vetera sufficient, additis nonnullis ex natura ipsa *catholicis*, quæ in omnes linguas possint competere. Adjungetur ratio linguarum, quo pacto inventæ, adultæ, perditæ, quemadmodum cujusque censeatur vis, natura, copia, elegantia, gravitas, cultus, & aliæ sermonis qualitates. Præceptis rethoricæ non nimium adhærendum esse Ciceroni placet, vel ob hoc unum, quod nullus fere artis magister ipse eloquens fuerit: quod mihi de instrumento omni dicendum videtur, in quo adornando non perinde elegantia requirenda est, & accurata compositio, quam ut apte usui deserviat. Sed neque *exercitationes* in arte dicendi diligentes admodum, & crebras probarim, ne anceps instrumentum lædendi voluntatem titillet, occasione oblata: tum proclivitatem ad fraudem & malitiam pariat: tametsi initio frequentiores esse velim, quam quum de vario & multiplici argumento dicent. Primum faciliora quædam, & simpliciora, versabunt, quæ styli nec *δεινωσιν*, nec *compositionem* magnopere desiderant. Fabellis, historiolis, dilatione contractæ rationis, contradictione dilatæ ac fusæ: quæ sunt in Scriptoribus percrebra. Tum in aliis docendi ac delectandi formis. Hinc in iis quæ controversiam, & quæstionem, & adversarium habent. Noviſſime in motu & concitatione affectionum animi. In quæstionibus primo loco tractabuntur eæ, quæ sunt absque negotio *indefinitæ*, de lo-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

cis communibus & ſententiis (quemadmodum Seneca inquit) *translatitiis*, quæ nihil habent cum ipſa controverſia implicitum, ſed ſatis apte & ei applicantur, & alio transferuntur, tanquam quæ de fortuna, de crudelitate, de ſeculo dicuntur: quod genus *ſententias* Portius Latro *ſupellectilem* vocabat. Fuere olim, qui in uſum hunc *communes locos* conſcripſerint, ut Q. Hortenſius, Protagoras, Prodicus, Traſymachus Chalcedonius. Multis exemplis exercendi ſunt juvenes in ſuis, & alienis, ut ſua explicent, aliena intelligant. Sequentur deinde quæſtiones cum circumſtantiis, quæ *definitæ* nuncupantur.

Nunquam contra veritatem aſſueſcent dicere, nec pro ea materia, quam rhetores *infamem* nominant. ut contra Socratem, pro Buſyride, pro voluptate contra æquum & pium, ne ſi id quandoque joco fecerint, faciant aliquando ſerio, quum prava animi libido illuc rapiet. Stet tanquam in acie facundia omnis pro bono, & pio contra flagitium, & nefas. Verba, quibus nullus ſubeſt ſenſus, caſſa prorſum ſunt, & vana quadam ſpecie turgida. Imprudentes ſenſiculos deridemus atque aſpernamur. Prudentia, ſemota probitate, malitia eſt, & pernicioſa fraus. Itaque vera & germana rhetorica diſerta eſt ſapientia, quæ a juſto, & pio ſeparari nullo pacto poteſt. Neque vero imitanda ſunt nobis, quæ fuerunt gentilitati recepta, maledicere, convitiari, praviſſimas ſuſpiciones injicere, recta invertere, ex bona cauſa malam facere, ex mala bonam. Satius eſt cauſæ detrimentum pati, quam virtutis. Nec in profanis ſolum, ſed nec in ullo penitus quamlibet ſancto & inculpato viro imitabimur, quæ per ſe ſunt mala.

Judiciali genere nihil omnino indigemus, in quo multum ineſſe malitiæ vel Ariſtoteles eſt author, præterquam quod res ipſa id ſatis loquitur. Litigare non ſatis decet Chriſtianum, quanto minus ea verſutia, impoſturis, inſidiis, fraude, quæ in illis actionibus imprudentibus, atque etiam invitis ſurrepunt. Nam quod Quintilianus aiſ, *quid ſi impetrari aliter æquum, atque obtineri non poſſit? Quid ſi togam, niſi ferro, aut veneno, recuperare non poſſis, utrum fuerit conſultius, carere toga, an ſic recipere?* vitam ſit ſatius perdere, nedum togam, quam ſic conſervare.

De

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Declament juvenes apud magiſtros de iis argumentis, quorum aliquis ſit deinceps uſus in vita: non quemadmodum priſco illo ſeculo de iis rebus dicebant in ſchola, quæ nunquam in vita contingerent, de quo merito Quintilianus conqueritur. Ad meditandas ſcribendaſque orationes in quietum locum ſecedant, unde vox ulla, nullus ſtrepitus exaudiri queat, tum etiam ſubobſcurum, ne quid oculos vel aures percutiens, animi cogitatus interpellet: quod Demoſthenem facere conſueſſe perhibent. Legent ipſi *declamationes*, & *ſuaſorias*, quas ex oratoribus ſui temporis Seneca collegit, mendoſas quidem illas, & truncas, nam deſunt Græca non pauca, & Latina ſunt depravatiſſima, ſed erunt nonnunquam adjumento dicentibus: nam plurima in illis ſunt & inventa ſubtiliter, acuteque, & lepide ac venuſte expreſſa: multæque verborum ac ſententiarum *conformationes*, & quaſi lumina. Sopatris ſophiſtæ διαιρέσεις ζητημάτων extant prolixæ admodum; eas inſtitutor ipſe ſcrutabitur, & ad ſcholam, quæ illinc videbuntur, deferet.

Pronuntiationis habenda ratio, nec in poſtremis: quam in dicendo pollere plurimum Demoſthenes ſenſit. Ideo invenes dicturi conſervent vocem diæta, & exercitatione, ſed naturalem vocem, non ſimulatam, & fictam, ut phonaſco ſit opus. Singulis hebdomadibus declamationem unam apud cunctum auditorium inſtitutor corriget: conſiderabit primum, qua de re dicatur: hinc quis, quo tempore, ad quos fingatur dicere: tum examinabit verba ſimplicia, & conjuncta, ſententias, argumenta, ordinem, uniuſcujuſque horum omnium per ſe qualitatem: hinc quam commode rei, de qua dicitur, congruant illo tempore, & loco, & auditore, & dicente, qui ponuntur: nec attendet adeo, ut omnia ſint exacta, ut argumenta valida, & invincibilia, quam ne inepta: quoniam quidem nihil eſt in arte hac indecoro turpius, nec immerito dicitur caput eſſe, *decere quod facias*. Videtis, quo ingenio, quo uſu, quanta prudentia, & attentione ad corrigendum ſit opus: quare difficillimum hoc eſt magiſtri munus, ſed & ipſi tantum, & ſcholæ longe fructuoſiſſimum. Nam ex correctione una plus eruditionis & ju-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

dicii refert auditor, quam ex prælectionibus atque enarrationibus permultis. Ergo eam ad rem & frequentes, & intentis animis interſint, nec ſine pugillaribus, ut capita, & ſummas rerum excipiant, quas actutum in cubiculis ſuis diffuſius exponant, literiſque memoriæ imprimant, ac inſculpant, ut monſtratum ſemel periculum in perpetuum vitetur. Sciantque juvenes propter copiam, & varietatem malorum, quibus undique, & ſubinde infeſtamur, majoris eſſe judicii ac operæ devitare mala, quam tenere bona. Verum enimvero quando loqui naturale eſt, ſermo autem quicumque artis, ſine qua naſcimur, & finxit alioqui hominem natura mire inimicum, quoniam rudem prorſum, & artium omnium expertem, imitationis indigemus. *Imitatio* porro effictio eſt rei alicujus ad exemplar propoſitum: quocirca proponenda ſunt, quæ juvet expreſſiſſe, optima ſcilicet, non ſimpliciter, ſed juxta præſentes vires: ſapienterque a Marco Fabio præcipitur, ne initio pueri ad magiſtri æmulationem conentur aſſurgere, ne deſtituantur viribus: ſed quod illis erit facilius, ac promptius, aliquem de condiſcipulis doctiorem exprimant, quo inniſi paulatim ſe ad magiſtrum exprimendum erigant: quod conſilium agricolas in maritandis vitibus videmus ſequi. Et quemadmodum in homine, ſic in oratione quoque imitatio, ut ſimilitudo quædam e corpore atque animo ſpectatur. In oratione verba & compoſitio ſunt pro corpore: ſententiæ vero, argumenta, diſpoſitio, atque illa ceu œconomia pro ſpiritu ac mente. Filius non tam dicitur patri ſimilis, ſi lineamenta, ſi figuram & formam referat, quam ſi mores, ingenium, ſermonem, inceſſum, motum & illam quaſi vitam, quæ ex interiore animæ ſede foras per actiones emicat, & ſe nobis oſtendit. Si inveniri poſſet aliquis, qui unus omnia haberet optima, Deo ſimillimus ac proximus, vel potius Deus ipſe, is eſſet ſane imitandus ſolus: ſed nullus eſt *ab omni parte tam felix*: quapropter recte Seneca: *Non eſt unus, quamvis præcipuus ſit, imitandus*: quia nunquam par fit imitator authori: hæc naſtura eſt rei ſemper citra veritatem, & minor eſt ſimilitudo, & quo plura exempla oſtenſa ſunt, hoc plus elocuentia proficitur. Eadem eſt Quintiliani ſententia, qui non

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

non *qui maxime imitandum, eum ſolum imitandum cenſet*. Sunt, qui ex omnibus Ciceronem unum deligant, quem effingant ſolum. Habet quidem optima Cicero, ſed nec omnia, nec ſolus. Quum delectat, quum docet, admirabilis eſt præter cæteros: in colligendis argumentis acutus, in devinciendis & jaciendis non perinde dexter & validus. Deficitur interdum viribus propter fuſum illud, & Aſianum dicendi genus, quod eſt in eo a quibuſdam magnis ingeniis notatum, Cœlio, Bruto, Attico, Tacito, Quintiliano, qui eum pondere ait pugnare, ut Demoſthenem viribus. Quanquam iſti novi imitatores non tam animum orationis ad exprimendum contemplantur, quam exteriorem verborum, ac ſtyli faciem. Sed neque ad hanc imitandam quivis eſt factus: nam eo, qui ad imitationem hanc caloris, & virium non ſatis affert, nihil eſt frigidius: jacet enim tota oratio, motu & vita caret: qualis eſt Joviani Pontani. Utilis eſt imitatio verborum Ciceronis, & tuta; dictionis vero non item: hanc enim ſi quis non aſſequatur, in ſermonem quendam degenerabit redundantem, enervem, vulgarem, ac plebejum, cui vicinus admodum eſt M. Tullius: a qua tamen vilitate vindicat ipſe ſe, & aſſerit, admirabili dignitate orationi addita ex ſcientia & cognitione multarum & maximarum rerum, tum concinnis, & venuſtis numeris, aptiſſimis, & naturalibus metaphoris, contrapoſitis, periodis, gratia quadam inexplicabili, ac probe inimitabili. Sed certe non ſi Cicero optimus eſt, atque eminentiſſimus, alii protinus mali, aut ſpernendi. *Non eſt unus eloquentiæ vultus*, inquit Tacitus, *nec ſtatim deterius eſt, quod diverſum eſt*. Cicero ipſe in Bruto multos oratores in diverſiſſimo dicendi genere, ſummos tamen ponit: cujus rei ſi non alii, Cicero utique & Demoſthenes exemplo eſſe poſſunt. Quamobrem acute inſpici oportet: quibus tandem rebus appoſitum ſit juvenis ingenium, quod in omni vitæ inſtitutione faciendum eſſe ſapientes conſuluntt, ut eo ſe quiſque applicet, quo naturæ nutu quodam ſertur, ſi modo in finitimum virtuti vitium non propendit: ut ad Ciceronem, ſi copiam diligit: ad Demoſthenem & Atticos, ſi parſimoniam verborum: ad Salluſtium, ſi aſtrictam brevitatem, & pene Laconiſmum: qua bre-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

brevitate, ut Quintilianus teſtatur, nihil apud aures vacuas atque eruditas poteſt eſſe perfectius: ita fiet, ut in ea re, ſi non ſummus, certe neutiquam evadat contemnendus: nam in omnibus, aut etiam pluribus faſtigium, vel proxima faſtigio tenere loca, optandum eſt magis, quam ſperandum. Porro quibus quiſque ſit rebus appoſitus, cognoſcetur ex delectatione, quæ de *conformitate* & congruentia quadam oritur *objecti* & *facultatis*, faciet etiam ſui periculum, quod in annis quidem rudibus magiſter ſpectabit, & arbitrabitur: poſtea vero quam magis profecerit, idem ipſe. Quod ſi ingenium ad vitium vergat, ut copia ad exuberantem redundantiam, parſimonia ad aridita-tem, nervi ad maciem deformem, tum vero diverſi generis imitatione ad rectum & ſanum habitum deflectitur. Prudenter Quintilianus inſtitutoris munus vult eſſe adjuvare, quæ in quoque diſcipulorum invenerit bona, & quantum fieri poteſt, adjicere quæ deſunt, & emendare quædam, & mutare.

Idem magiſter, qui ſunt in quaque virtute præcipui, ſignabit: ut ad ſermonem familiarem *Cæſar* primas partes feret, & *Ciceronis Epiſtolæ:* non quin Cicero, cui vis ſit electione verborum, ne quid aliud dicam, par, ſed fuſa illa phraſis quotidiano ſermoni non ſatis convenit. *Commentarii* ab *Hirtio* additi, vel *Oppio*, plane ſunt alii quam *Cæſaris*, minus & puritatis & majeſtatis habent: ut *Cæſarianos* a *principe* ſcriptos appareat, alteros a *privato*. Ad comitatem *Plinius Cæcilius*, & *Politianus*. Ad hiſtoriam fuſam *Livius*. Ad conſilia explicanda *Tacitus*. Ad commentarium hiſtoriæ *Suetonius*, & *Florus*. Ad præcepta artium, in rebus, in ordine, ac cuncta methodo, *Ariſtoteles*. In verbis & dictione *Quintilianus* & *Rodolphus Agricola*. Ad paraphraſes *Themiſtius*, & *Eraſmus*. Ad carmen heroicum *Homerus* & *Virgilius*. Ad lyricum Pindarus, & Horatius. Ad *Tragœdiam* Euripides, & Seneca. Ad *Comœdiam* Ariſtophanes, & Terentius. Ad vertendum proprie Theodorus Gaza. Politianus opus facit ſuum, nec Eraſmus caret gratia, etiam ad verbum transferens. Sed exemplum vertendi fuerit Ciceronis De univerſitate liber, quæ eſt pars Timæi Platonici. Ad gratiam dialogorum Plato, & Cicero. Ad aſſutam rationem capiendi adverſarii Socra-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

craticæ inductiones, modo aſtrictiores ſint, quam ut eas Plato perſequitur. Ad efficacem rationem argumentandi Ariſtoteles: ad civilem Ciceronis dialogi, & Lactantius. Adhortari ad mores probos, bonus Cicero: dehortari ab improbis, Seneca. Habet idem ſententias concinnas, argutas, breves, quas jaculatur tanquam ſpicula amentata. Ad præcipiendum de moribus breviter, & commentarii vice Plutarchus. Ad conciones in populo non perinde erudito Cicero. Ad ſcholam Quintiliani declamationes, ſive cujuſcunque ſint, illius certe ſeculi. Ad attentam, aut eruditam coronam Demoſthenis orationes: item Livii, quæ ſparſæ ſunt in hiſtoria. Ad ſuavitatem & numeros Iſocrates; nam altiores habet Plato, quem inter proſam & verſum fluere Ariſtoteles ait. Dicæarchus autem Peripateticus totum ſcribendi genus tanquam grave, & moleſtum reprehendit. Ex his omnibus, quod operi ſuo conducat, decerpet: & rationem ſequetur pictorum, qui ex agrorum, & campi aſpectu amœniſſima quæque in opus ſuum transferunt. Nec immerito a Cicerone ipſo Zeuxis Heracleotes laudatur, qui Crotoniatis Helenam pictu-ris ex multis mulieribus formoſiſſimis delegit, quod in quaque vidiſſet pulcherrimum. Ingenio eſt ad bene imitandum opus acuto, & judicio acri, adde etiam naturali quadam, & occulta dexteritate. Itaque recta bonarum rerum *imitatio* bonitatem ingenii arguit. Nam quidam ea ſunt vel tarditate judicii, vel his in rebus abſurditate naturæ, ut eodem orationis ſtylo omnem ſe ſtylum referre arbitrentur: ſicut uno aliquo ſuo geſtu, quemcunque alium, & eodem digitorum pulſu concentum omnem. Sunt, qui juxta ſententiam Senecæ, vitia ſua & intelligant, & ament: tantus eſt in omnibus ſtudiis error, maxime in *eloquentia*, cujus *regula* incerta eſt. Inſtitutor id animadvertet, quod ſi juvenis inepte, quæ imitanda ſibi propoſuit, effingat, ab imitatione eum ad ſuam ipſius naturam ſequendam traducet, ut ſit ſuus, qui alienus non poteſt. Initio quidem, ſicut antea monui, facillima ex-primet, atque adeo concedam illi, ut quæ reddere non poterit ab exemplari ipſo, in ſuum opus transferat, modo ne illum fugiat non id eſſe *imitari*, ſed *ſuppilare*: in quo errore plurimi verſantur: paulatim autem vere *imi-tabi-*

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

tabitur, id eſt, ad exemplar effinget, quæ volet: non de exemplari *centones* ſurripiet, quos in opere ſuo conſuat.

Propoſito autem ante oculos exemplari attentiſſime æmulator contempletur, ac conſideret, qua tandem arte, ac ratione ab authore id putet confectum, ut ſimili artificio & ipſe, quod animo deſtinarit, perficiat. *Ars* enim & *opificium*, quantum fieri quidem poſſit, idem præſtandum eſt, & quodammodo ſurripiendum, non materia eadem, vel opus idem. Velut ſi quis exempli cauſa, gratias alicui acturus, eadem dicat, quæ Cicero Senatui, quæ populo Romano, vel quæ Auſonius Gratiano Auguſto, furari hoc quidem certe eſſet; *imitari* autem fuerit, ſi conſideret, quid author in orationis exordio velit efficere, quid ſecunda parte, quid tertia, & ſic deinceps: quæ primo dicit loco, quæ aliis ſequentibus, quibus ſententiis in quaque re utatur, quibus argumentis, & quibus ex locis petitis, quomodo colligatis, & connexis, quas ſimilitudines inducat, quæ uſurpet exempla, quos animi affectus attingat, ubi, quomodo, quibus authoritatibus ſua fulciat, & quorum: non quo nos utamur eorundem, ſed ut eorum, qui nobis loco eodem ſunt, quo illi erant authori noſtro: qua commiſſura priora poſterioribus compingat, quæ verba ſingulis partibus accommodet, quam verborum ſtructuram: hoc tu artificium idem effingito, non eadem vel verba, vel ſenſa. Subjiciamus verbi gratia breve aliquod exemplum. In Oratore ſuo refert Cicero Carbonem tribunum plebis hæc in concione quadam dixiſſe, in qua Cicero ipſe ſtaret: *O M. Druſe, patrem appello: tu dicere ſolebas ſacram eſſe rempublicam: quicunque eam violaviſſent, pœnas eſſe ei ab omnibus perſolutas: patris dictum ſapiens, temeritas filii comprobavit:* quo dicto admirabilem ſequutum eſſe concionis univerſæ clamorem & plauſum. Si quis ita effingat; *O dive Paule, Tharſenſem appello: tu dicere ſolebas ſacram eſſe charitatem, quicunque eam violaviſſent, pœnas eſſe ei ab omnibus perſolutas. Apoſtoli dictum ſapiens ſcelerum temeritas comprobavit:* non tam erit imitari, quam ſi quis dicat: *O dive Paule, Tharſenſem appello: tu ſemper prædicare conſueviſti magnas eſſe vires charitatis, quicunque ſecundum eam non viverent, nec pertinere ad regnum Chriſti. Apoſtoli ſententiam piam conſuetu-*

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſuetudo ſcelerum abdicavit. In hac imitatione omnia illa ſunt, quæ in venuſtate prioris dicti, inciſa membra, & *dichoræus* clauſulæ. Eorum, quæ imitationi ſunt propoſita, *quædam* nunquam poſſis ad perfectum referre, quod genus ſunt homini naturalia: ea vero ſemper ſunt ſequenda, quoniam æquare non eſt conceſſum: furoris eſt enim hoc ſperare. *Alia* vero poſſis, ut pleraque omnia humana: quæ effingi eadem ſpecie queant, vel genere, velut orationis copia, brevitate, ſplendore, gravitate, gratia, argumentis, diſpoſitione, ac ejuſmodi. Sunt tamen ex humanis inventis nonnulla, quorum vel ars omnino periit, vel uſus: hæc ægre perfeceris: qualia ii, qui tum vixerunt, quum ars aut uſus vigeret: quemadmodum in linguis Latina & Græca; quarum quoniam populum amiſimus, mutuanda ſunt ſemper ex veteribus vocabula, nec nos ulla, aut certe perpauca poſſumus novare. *Stylus* non perinde eſt ab illis ſumendus: nam parta undecunque materia artifex eam tractabit ad arbitrium: tametſi contendere, ut dictionis ornatu ac cultu antiquitatem ſuperemus, aut æquemus ſaltem, non tam malum & vituperandum eſt, quam periculoſum, ne linquamur viribus, & in abſurditates incidamus: vel certe difficile deſuefactis jam auribus a cenſura ſoni illius. Promptius eſſet ea de cauſa in linguis vernaculis, quibus eſt populus magnus ſermonis ſui author, magiſter, judex. Puerum imitari liberale eſt, ac laudabile. Senem imitari, ſervile, ac turpe. Convenit enim ut puer magiſtrum & ducem habeat, quem ſequatur, non item ut ſenex. Quocirca ubi ſatis te in *imitationis* hoc, ut ſic dicam, ſtadio exercueris, *æmulari* incipe, & te cum duce tuo conferre, qua parte accedas propius, qua longe a tergo relinquare. Virtutes illius, & vitia æquus & diligens cenſor examina, quid in illo deceat, quid habeat vitandum: quam virtutem redditu facilem, quam gratiam pene propriam, & aliis inconceſſam. Hæc comparabis cum tuis, & ex eorum vel recte dictis, vel ſecus ipſe corriges tua, ſive dum vitium devitas, ſive dum te componis ad pulchra. Conare, ut magnas virtutes æques, mox etiam ut vincas: plenum hoc quidem negotii, & profecto arduum, magnaque eſt opus induſtria: ſed in ſublimi ſita eſt cujuſque rei præſtantia, &

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

& juxta verbum vetus, *pulchra difficilia*. Nec ſolum tua opera ad opera ductoris tui tanquam ad amuſſim arbitraberis, ſed tua ipſius priora cum poſterioribus conferes, ut ex comparatione deprehendas profectum. Cuicunque dicendi generi diu aſſueveris, quamlibet id accuratum ſit, & excultum, pro naturali habebitur: quod de Euripide Ariſtoteles tradit. Nam *conſuetudo in naturæ conditionem tranſit*. Quapropter manifeſtæ dementiæ eſt, non facili, dilucido, puro, eleganti ſermoni aſſueſcere potius, quam portentis verborum, aut horrori orationis, vel ſordibus: quoniam quidem pari labore conſtant omnia, non raro etiam-minore bona. Hæ artes organa ſunt, ideo per ſe nihil efficiunt: admovendæ ſunt operi, hoc eſt aliis diſciplinis, quibus formant, & parant ingenia diſcentium. Inſtrumentum hoc ſi uſui atque experimentis rerum publicæ ac privatæ applicetur, rectorum eſt civitatum, imo conditorum etiam, & principum, & eorum qui jus dicunt, vel de jure reſpondent. Sin theologiæ, concionatorum, & illorum, qui homines ad rectum formant, ac meliores efficiunt. Quippe ſapientem virum decet non ipſum per ſe ſolum ſapere, ſed alios quoque fingere ad virtutem: idcirco non vita illum modo recta eſſe, atque inculpata par eſt, ſed oratione quoque efficaci. Efficax quidem eſt ſermo veritatis, *efficaciſſimus Dei ſermo*, ut Paulus inquit. Apoſtolis quidem hoc ſatis, abundeque erat: nam fortiſſimorum argumentorum locum obtinebant prodigia, & ea, quæ ſupra naturæ vires oſtendebant: tum vita innocens, & in qua vel calumniator ſuſpicionem non inveniret criminis, quam non injuria plurimum perſuadere ajunt. Ad hæc peculiare Dei ſubſidium, quod ille chariſſimis ſubmittebat, quoties eſſet opus. Sed ut nunc ſunt & dicentium, & audientium mores, præclare agitur cum veritate, ſi facundiæ viribus inſtructa & fulta fidem impetret: non quin malim multo etiam ad faciendum fidem res nudas ſermone, quam ſermonem a rebus inopem, ac deſtitutum. Sed certe res ipſæ conveſtitæ, ac ornatæ oratione, ſobrio utique cultu, & moderato, altius deſcendunt in pectora audientium, quæ in aure ſtatim non offendunt tanquam in limine. Ideoque ſancti viri caſtam & puram eloquentiam nunquam ſunt aſpernati, niſi qui aſſe-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

aſſequi non quiverunt. Et Lactantius *facundiam Ciceronianam ſimilem optabat ſibi*, quo veritatem fortius propugnaret & hominibus perſuaderet facilius. Anxia illa & accurata, & picturis inſignis eloquentia, tum ſplendore, atque apparatu omni illuſtris, ac præfulgens, fortaſſe res ſanctas minime decuerit: certe multo minus ſermo ſpurcus, & vitiis inquinatus. Candidis, & mundis linteis attrectari ſacra convenit, non byſſinis aut ſericis: ſed neque canabaceis, aut lineis maculoſis. Cæterum de ſermone ſatis.

Traducetur hinc juvenis ad ſtudium *mathematicarum* artium, ut loquacibus ſuccedant mutæ, & imponatur ſilentium linguæ tamdiu agitatæ: quare ab aurium munere, ad oculorum tranſibitur. *Mathematicæ* circa *quantum* verſantur *molis*, & *numeri*. Hæc *arithmetica*, illa *geometria* nominatur: quæ ſunt primæ in illo genere, ac ſimpliciſſimæ. *Geometria* in cœlum ſublata *aſtronomiam* efficit, viſibilibus addita *ὀπτικὴν* ſive *perſpectivam*. *Arithmetica* ſonis admiſta dedit *muſicam*. Et horum ſingulæ bifariæ ſunt: alteræ quæ intra *contemplationem ſubſiſtunt*, *ſpectativæ* appellantur: alteræ in opus exeunt, quæ *actuoſæ* ſive *effectrices*. Ex prioribus poſteriores exiſtunt, quod eſt eis cum actione omni, atque exercitio commune. Mentis enim cogitatio actiones omnes humanas, & manuum opera antecedit, tanquam generans genitum. Sunt tamen, qui ſtudia ſua ad altera ſeorſum adjungant, ut vel contemplentur modo circa executionem, vel exequantur inſpectione omiſſa. Sed nos, ut hactenus fecimus, de *contemplativis* potiſſimum loquemur. De effectivis quoque interdum ſummonebimus. A diſciplinis hiſce vehementer levia, & inquieta abhorrent ingenia, quæ ſibi impenſe indulgent, nec laborem ſuſtinent aſſiduæ intentionis, Aſtringunt enim hæc ingenia, & cogunt hoc agere, nec peregrinari patiuntur. Non ſunt etiam idonei oblivioſi, quandoquidem ſciri, ac teneri centeſima non poſſunt ſi excidérint prima; ea eſt in dictis illis ſeries, & confirmationum perpetuus nexus. Suntque ea de cauſa magnopere labiles, niſi exerceantur crebro, atque infulciantur animo. Sæpe aliis diſciplinis amœnioribus non ſatis appoſiti, iſtis ſunt aptiſſimi ſeveris, ac tetricis. Cæterum cognitiones hæ, atque obſervationes, ſi quis progre-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

grediendo ſibi indulgeat, in infinitum abeunt: & ſolicita horum inquiſitio a rebus vitæ abducit, communiſque ſenſus reddit expertes. Sapienter Socrates, ut alia, qui quum tantus eſſet *mathematicus*, ut Euclidem Megarenſem, quantus fuit, effecerit, & ut minus hiſce rebus addictum Ariſtophanes ridet in fabula, eatenus tamen impendendam *geometriæ* operam cenſebat, quoad quis & dare, & accipere terram ad æquam menſuram poſſet, ſignificans referenda eſſe ad mores omnia, & vitæ uſum, non ad inanem, ac infructuoſam quandam ſpeculationem anxiam, & moleſtiſſimam, quam parit diuturna in mathematicis attentio. Primordia vero, & progreſſus aliquos, aliis majores, aliis minores, ut cujuſque erit ingenium & diligentia, conducere ad res vitæ complures, & ad cognitionem philoſophiæ. Plato ex auditorio ſuo expellebat eos, qui illuc venirent a mathematicis deſerti, ac inopes. Apud eum ipſum, & Ariſtotelem, & reliquos priſcos philoſophos exempla ſunt de mathematicis plurima, tum quod aptiſſima ſunt, & certiſſima, tum quod illis temporibus longe eſſent notiſſima.

Primo loco tradetur *arithmetica*, quippe quæ eſt ſimpliciſſima, ac ideo prima. Exercitium quoque illius & numerorum tractatio non ſolum explorat ingenium, ſed excuit, & alacrius reddit. Nec ulla vitæ pars carere poteſt numeris. Multa etiam naturæ, ac rerum divinarum myſteria numeris eſſe comprehenſa, & notata, ſacri & prophani Scriptores docent. Craſſi quidam nobiles pulchrum, *ſi Deo placet*, ac generoſum eſſe arbitrantur, neſcire omnino computare. Reſtat ergo ut generoſum habeatur non eſſe hominem, ſed leonem aliquem, aut urſum, aut aprum ex illis ſuis inſignibus. Nam animantes omnes brutæ, *computationis* ſunt ignaræ, ſolus *computat* homo. Non quod pecuniæ contemptum in principibus viris inceſſam, aut a magnificentia opulentos deteream: ſed virtutes omnes ex *ſcientia boni* venire velim, non ex *ignorantia mali*. Initia numerorum, & nomina & figuras agnoſcent juvenes: hinc aſſueſcent conjungere inter ſe ad eliciendas ſummas: tum dividere conjuncta, & ſubtrahere, & quid reliquum ſit oſtendere. At quum multæ ſint numerandi formæ, per literas *Alphabeti*, per Latinas etiam figu-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

figuras, expeditiſſimus videtur mihi, qui de nomine inventoris, ut quorundam eſt opinio, *Algoriſmus* nuncupatur. Arabicum eſſe inventum credo. Tum addentur numerorum nomina, quæ qualitatem, atque adeo naturam indicant: ut de numero pari, impari, pariter pari, pariter impari, primo compoſito, de dimenſu, & proportionibus inter ſe numerorum, & tota illa tractatione arithmetices intima.

In *Geometria* exhibebuntur primum explicationes omnium rerum nominum, de quibus ea in arte fit mentio. Tum dogmata illa, quæ cum natura mentis noſtræ videntur conjunctiſſima, eorumque habere nos velut impreſſas animo anticipationes. Hinc theoremata, & eorum probationes, quæ principiis, ut oportet poſitis, non perſuadent, ſed cogunt, & vim adferunt. Ex ea *optice*, ſive *perſpectiva*, & *architectura* naſcuntur: quarum omnium multæ ſunt in communi vita ad tuendum corpora utilitates: nempe ex *geometria* ad omnem menſuram, proportionem, motum, & ſitum molium, ſive movendæ ſint, ſive ſpectandæ fixæ in veſtigio, & immobiles: quemadmodum in dimenſum agrorum, montium, turrium, ædificiorum. *Architectura* quantas ad habitandum commoditates adfert? quam *perſpectiva* adjuvat, ſicut in *picturis*. *Perſpectivæ ſpecularia* ſunt annexa: utinam *auditivæ* eſſet reperta.

In *Muſica* multum degeneravimus a prioribus, ob craſſitiem auris, quæ ſubtilium ſonorum judicium omne funditus amiſit, ut nec longa jam, nec brevia in communi ſermone dijudicemus: ideoque & genera aliquot proportionum amiſimus, & magnas illas vires, atque admirabiles, quas de priſca harmonia memoriæ traditur. Hanc juvenes & theoreticen accipient, nonnihil etiam practices, modo ſobriæ, & caſtæ, quæ feſſos ſtudentium animos Pythagoricorum ritu demulceat, reparet, ac ſibi reſtituat: tum efferatos atque aſperos ad lenitatem, manſuetudinemque traducat: quod a vetuſtate per integumenta fabularum dictum eſt, movere ſaxa, & feras pellicere, ut de *Orpheo*, atque *Amphione* fama fertur.

Aſtronomia de numero, magnitudine, motu cœlorum, ac ſyderum, & de ſingulis quibuſque ſeparatim, & inter ſe comparatis, non referetur ad divinationem venturarum, vel

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

vel abditarum rerum, quæ ingenti vanitate humanos animos detinet, & ad impietatem ſenſim allicefacit, ſed referetur ad deſcriptiones, ad determinationes temporum, ſine quibus ruſtica opera, quibus vita omnis continetur, exerceri non poſſent, tum ad poſitos locorum, quæ ſibi cujuſque longitudo, quæ latitudo, qui abſceſſus: quod multum quidem coſmographiæ conducit, ſed univerſæ *navigandi* rationi maximopere neceſſaria eſt; quæ citra cognitionem hanc incerta inter maxima, & graviſſima diſcrimina erraret, ad altitudines, aut depreſſiones ſyderum, ad receſſus eorum atque acceſſus vel nobis, vel inter ſe. Adhibebitur *aſtrolabium*, ſive *quadrans*, quale olim fuit Ptolemæi, ſive *obriculare*, ut nunc eſt noſtrum. De *Arithmetica* exercitii, atque ſpeculationis Jacobus Faber ſatis accommodate ſcribit, ut in ſchola tradatur diſcipulis, & ex ſeipſo, & Jordano Nemorario, & Boëtho Severino, quemadmodum ex hoc eodem de *Muſica*. Nec minus de *geometria* præcipit: quin ſphæram quoque conſcripſit ad eam, quæ extat *Joannis a Sacrobuſco*, quam item enarrari auditoribus conveniet, niſi quis eam malit, quæ ædita eſt a Proclo Diadocho. *Theorica* item *Planetarum* idem Faber compoſuit, quæ diſcipulus ejus Jodocus Clichtoveus elucidavit commentariis. Argumentum & fundamentum totius operis ex Georgio Purbachio eſt ſumptum. De uſu vero *aſtrolabii* Proclus pauciſſima quædam reliquit, ſed ſcholarum exercitationibus aptior eſt Joannes Poblatio meus, quibus magiſter ex Joanne Stoflerino Juſtingenſi, & Ptolemæo nonnulla adjunget. Nec eſt ad ponenda harum artium rudimenta inutile, quod eſt in *Margarita philoſophica* de mathematicis traditum: quæ ſi quis gravetur ſuis prælegere, ſaltem conſulat, ut ipſi per ſe inſpiciant. Introductionem ad geometriam & *perſpectivam* Carolus Bovillus concinnavit: ſed & *perſpectiva* extat *Joannis* cujuſdam *Cantuarienſis*. Quæ omnia poſtquam fuerint cognita, tum ad *Euclidem* venietur. Hunc velim accurate explicari: nam in eo magnarum rerum ſpeculationis hujus exactior eſt, quam in alio quovis tractatio. In ejus libris de geometria, de arithmetica, de ſpecularibus, perſpectiva, & phænomenis acutiſſime diſputatur. Studioſus ipſe leget per ſe Capellam de mathe-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

thematicis, hinc Raphaëlis Volaterani geographiæ initium, & vigesimum quintum de *philologia* volumen. Censorinus multa de musicis differit. In sphæram Joannis Sacrobusci, Petrus Cirvelus commentarios reliquit: item Franciscus Capuanus in eandem, & Theorica planetarum Purbachii. Erit in magistro ac discipulo harum disciplinarum ingenium quietum, & quodam modo statarium, sedulum, attentum, incumbens atque instans operi. Disputationibus nihil est opus, interrogatiunculæ sufficient, & responsiones breves, aut operis ostensio, & collationes ad picturam; *radio* enim sunt, & *pulvere*, vel *abaco* contentæ. Recolendæ sunt subinde, ac retractandæ iis, qui memoriæ volunt illas infigere; sunt enim alioqui fugacissimæ. Qui disciplinas alias Minerva, aut fortuna adversante, non poterunt consequi, hic sistent; & ad vitam ea præstabunt adjumenta, quæ modo commemoravi, si speculationem in exercitium, atque opus deduxerint. Tum etiam docebunt alios. Hi vero authores eos cognoscent, quibus nihil necesse est illos distineri, qui aliis artibus parantur: velut in *arithmetica* Cudbertum Tonstalum, Joannem Silicenum, Thomæ Bravardini geometrica: in astronomia Ptolomæum, Georgii Vallæ mathematica. Archimedis opera non dubito quin sint in genere illo absolutissima, quæ ipse non vidi: legisse se in Hispania, atque adeo maxima cura, & vigiliis de codice surreptitio descripsisse Joannes Vargara meus mihi retulit. Hoc est adolescentiæ curriculum ad quintum & vicesimum annum, aut eo circiter.

Jam vir ætate, ingenio, rerum cognitione, atque experimentis instructior, ac maturior paulo, considerare vitam humanam attentius incipiet, & hominum artes ac inventa: in iis, quæ ad esum pertinent, quæ ad vestitum: quæ ad habitandum: in quibus ab Scriptoribus *agricolationum* adjuvabitur, tum iis qui herbarum, qui animantium naturas, & vires persequuntur: ab iis item, qui *architectonicam* tractarunt, Vitruvio, & Leone Alberto. Hinc quæ ad convehendum in quo est equus, mulus, bos & omne genus vehiculi: cui *navigatio* est finitima, nempe etiam *vectio*: hæc omnia persequetur qua ratione ac modo sint inventa, quæsita, aucta, conser-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſervata, applicata uſui, & emolumentis noſtris. Jam quæ ad oblectamenta ſunt per ſenſus omnes reperta, quæ ſit ſocietas domi privata viri, uxoris, liberorum, conſanguineorum, affinium, aſſeclarum, ſervorum, quæ in civitate publica, quæ ad eam per hominum ingenia excogitata, & inventa, quæ per ſtultitiam conficta nomine atque opinione ſine re omnino ulla. Quæ ſunt omnia τῆς ἐγκυκλοπαιδείας de quibus carptim attigere Plinius, Athenæus, Ælianus, Macrobius, meliuſque diſſerunt de his *ſenes in circulis ſuis*, & *exedris*, ſicut Cicero inquit, quam homines eruditiſſimi in *gymnaſiis*, quod Plinius in præfatione ſua conqueritur. Ideo nihil eſt hic opus ſchola, ſed aviditate audiendi & cognoſcendi: ut non erubeſcat etiam in tabernas & officinas venire, & ab opificibus de ſuis operibus ſciſcitari, ac edoceri: quod quia dedignati ſunt jam olim docti homines facere, idcirco hæc, quæ teneri, ac ſciri tantopere referebat vitæ, incognita illis penitus relicta ſunt, ac prætermiſſa: eaque ignorantia in ſequentibus adhuc ſeculis increvit, nihilque his annis quam plurimis annotatum eſt de moribus, ac ratione vitæ, ut melius ætatem Ciceronis, aut Plinii noverimus, quam noſtrorum avorum, quis tum victus, veſtitus, cultus, habitatio. Vellem, ut docti aliqui delectarentur eo more, quem fuiſſe Caroli cujuſdam Viruli narrari audiebam Lovanii, hominis non perinde literati, ut boni: nec illi ingenium aut diligentia defuit, ſed locus & tempora. Is Lovanii gymnaſio Liliano præerat. Et quia ſub cura ſua pueros habebat complures, ad viſendos vel filios, vel propinquos quum venirent, varii generis homines, colloqui illos cum eo erat neceſſe, & ut eſt conſuetudo regionis, convivari etiam: inquirebat horas aliquot ante convivii tempus, quibus in rebus plurimum, & dextre eſſet conviva ſuus verſatus: erat alius nauta, alius miles, alius agricola, alius faber, alius ſutor, alius piſtor: de eodem ipſe artificio aliquid interea legebat, & meditabatur: tum veniebat ad menſam paratus, & ut oblectaret convivam ſermone rebus ipſi notis, & ab illo ita provocato intima, & ſecretiſſima artis facile cognoſceret, audiretque breviſſima hora, quæ ille uſu multorum annorum vix eſſet aſſecutus. Ita diſcedebat de colloquio & conviva lætior, &

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

& convivator prudentior, ac peritior. Quantam prudentiæ humanæ opem ferrent, qui hæc mandarent literis, ut ab exercitatiſſimis in quaque arte accepiſſent ? Erit hæc animorum levatio ac refectio in diſciplinarum ſeverioram ſtudiis, & in curis negotiorum : eſt enim occupatio honeſtiſſima, & plane viro cive digna, qua in omnes vitæ partes prudentia ſupra quam credi poteſt, augetur : quibus hoc licebit, obſervabunt, & tradent in uſum poſterorum, qui nobis filiorum loco eſſe debent : adjungent cenſuram ſuam virtute approbanda, & rectis moribus, vitiis autem inſectandis breviter & acute, quo facilius in animos legentium illos velut aculeos infigant. Revertamur jam ad ſcholam, & auditoria.

De *rebus ſpiritalibus* multa ſunt a Veteribus falſe conſcripta, ut ab Apulejo & Plutarcho in deo Socratis, a Porphyrio, Jamblicho, Michaële Pſello : propterea quod dæmones plurima de ſe, deque angelis ſunt mentiti, partim inſtigati ſua ipſorum ſuperbia, partim cupidine fallendi homines, & quod *diabolus*, quemadmodum inquit Spiritus Sanctus, *mendax eſt, & pater mendacii*. Quum vera loquitur, ex alieno ſenſu loquitur : at quum mendacia, de ſuo ipſius proprio. Itaque de *angelis & dæmonibus* ex noſtra pietate colligentur pauca, & ſobrie: nam accurata illorum cognitio neceſſaria nobis non eſt, imo ſæpenumero noxia, atque ea ipſa de cauſa incerta. Contra vere ſpeculatio *de hominis anima* maxima diſciplinis omnibus adfert adjumenta, propterea quod ex animæ intelligentia & captu de omnibus fere ſtatuimus, non ex rebus ipſis. Ejus tractatio cum naturæ ipſius ordine pariter procedet, ut primum de *vita* diſputetur in genere, hinc de *vegetatione*, tum de *ſenſu*, de *affectionibus*, de *mente* : in qua de *intelligentia*, de *memoria*, de *ratione*, de *judicio*. Hæc doctor potiſſimum decerpet ex ſacris autoribus, tum Ariſtotele, Alexandro, Aphrodiſæo, Themiſtio, Platone, Timæo, ac Plotino. Quod ſi velit *Ariſtotelem*, ut moris eſt, enarrare, habet ejus *libros de anima tres* : omittat primum, exhibeat alteros : de *ſenſu* ac *ſenſili*, de *recordatione*, de *ſomno & vigilia*, de *juventuto & ſenectute*, de *inſomniis*, de *divinatione per ſomnum*.

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Præmoneat gentilitatis, & pericula, ut viteutur, indicet, opponatque venenis illis paria antidota. Ipſi per ſe Alexandrum, Themiſtium, & Platonis Timæum legent: item Timæum ipſum Locrenſem. Platonicos numeros Proclus, Chalcidius, & Marſilius Ficinus exponent. Plotinum etiam obſcurum & intricatum Marſilius idem elucidat. Scindit ſe hic velut in vias duas ſtudium, ut alteram hi teneant, qui *corpora* curaturi ſunt *medici:* alteram ii, qui *animos*. His rerum hiſtoria tradetur hoc loco craſſior, minuſque ad ſubtilitates illas inquiſitionis cauſarum diducta: prioribus vero differenda eſt parumper, quoad cauſas naturæ curioſius fuerint rimati: eas dico, quæ ſenſibus ſunt magis expoſitæ; de quo in univerſum, & ordine ad docendum apto nullum eſt opus a quoquam conſcriptum, ſed ſparſim ab *Ariſtotele octo libris phyſicis*, de quibus diximus, quatuor de *cœlo*, duobus de *generatione*, quatuor *meteororum*, ſectionibus *problematum*: ab Alexandro in *problematis:* a Platone, & Timæo, quos paulo ante memoravi, Apulejo in dogmate Platonis: Alcinoo *de doctrina Platonis*, *M. Cicerone* in libris de *natura deorum*, de *divinatione*, de *quæſtionibus Academicis*. De *univerſitate* autem pars eſt Timæi Platonici ab eo verſa, etſi M. Tullius magis aliorum opiniones recenſet, quam oſtendit ſuam. *Senecæ* quæſtiones *naturales* ex Peripatetica & Stoica diſciplina commiſtæ. *Plutarchus* multa habet *naturalia* in *conviviis*, in *quæſtionibus Platonicis*, & aliis ejus opuſculis: *de placitis philoſophorum* quatuor ejus volumina: item Diogenis de philoſophorum vitis hactenus proderunt, ut cognitis, tam variis, tam abſurdis de natura philoſophorum ſententiis, ſtudioſi intelligant illos etiam fuiſſe homines, & falſos ſæpe in rebus apertiſſimis: ut rationi potius aſſueſcant conſentire, quam humanæ authoritati: nec mirentur eos in reconditis rebus, de Deo ſcilicet, de pietate, ac ejuſmodi lapſos, qui in facillimis videntes ac prudentes ceſpitabant: quas ſine offenſione vel cœci præteriſſent, modo ne inſani, quales illi erant, & in tranſverſum acti ab impotentia animorum. *Cenſorinus* libellum reliquit *de die natali*, in quo inſunt quædam naturalia: plura in Macrobio, plurima in Galeno: ex recentioribus autem *Alberto Groto* non pau-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

pauca, etsi audet quædam asseverare periculosissima. Hos omnes magistros hujus contemplationis, & tanquam a secretis Naturæ evolvendos tradimus: ex queis concinnabit ipse suis auditoribus opus *de Naturæ causis* ea perspicuitate, brevitate, ordine, ut intelligi, & teneri ab auditoribus queat: primum de *quatuor principiis inhærentibus*, tum de iis omnibus, quæ veniunt sub sensus: hinc de *elementis simplicibus*, de *mistis imperfectis*, & iis quæ in aëre gignuntur, quæ Græci *μετέωρα* nuncupant: de *lapidibus*, de iis, quæ vivunt, & de *vita*: de *metallis* & cunctis *fossitiis*, de *herbis*, *fruticibus*, *arboribus*, de *animalibus quadrupedibus*, de *avibus*, de *piscibus*, de *insectis*, de *humano corpore*; quæ non narrando persequetur, quod opus esset infinitum, sed investigandis causis, unde conflantur, quomodo existunt, adolescunt, manent, agunt, & suis muneribus funguntur, quæ proferant, & vice versa minuuntur, cadunt, intereunt, dissolvuntur. Nihil habebit necesse varias scribentium opiniones arcessere: nec onerabit tanto pondere & doctrinam suam, & ingenia discentium, quæ ipsi certissima videbuntur, & validissima, fulta ratione tradidisse contentus. Quod si colligere hæc vel non vacabit per otium, vel non adeo sibi fidet, ut credat posse, explicet solum Aristotelica: nam aliorum non sunt perinde auditoribus utilia. In Platone multum est eruditionis sed reconditæ, ut quum ars occultatur in opere, eoque discentibus non satis congruens; doctis vero melior, etsi in natura arbitranda non est cum Aristotele comparandus, ut in præceptis morum excellat. Reliquos Scriptorum auditores ipsi privato suo studio evolvent. Institutorem desiderant hæc acri quidem ingenio, cæterum in definiendo ac statuendo cunctabundum. Juvenes exercebunt se in his crebris disputationibus, verum quæ non luxurient in nugas & cavilla. Condientur moderatione sine arrogantia, atque odio; haud iguari scientiam perraram esse, aut nullam potius, opinionibus stari: ut non sit, cur quisquam vel de peritia sibi placeat, vel diversum sentienti, aut tuenti succenseat.

Qui ad artem *medicam* transiturus est, vel commigraturus verius, huic sunt exactissime vires, naturaque pernoscendæ fossilium omnium, quæ sunt variorum generum,

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

pigmentorum, lapidum, gemmarum, ſtirpium, animantium, humani corporis: unde obſervationes duæ proficiſcuntur, *eſualis*, & *medicina*: quas non duas eſſe, ſicuti ſuperius admonebam, ſed unam ex duobus membris concretam, principi medicorum placuit Hippocrati. Rerum enim cognitis facultatibus, naturiſque, & cum natura & conſtitutione animati corporis, & humani potiſſimum collatis, deprehenditur quid fortius ſit, quam ut ſuperari ab interna animantis potentia, & confici valeat: quid tenuius atque imbecillius, quam ut vegetare, ac ſuſtentare corpus queat: quid alienam atque inimicam corpori qualitatem adferat, ut ſumptum vel affligat, labores doloreſque importet graviſſimos, vel etiam interimat: quid contra congruentem amicamque corporis vitæ, ſenſibus, animo, menti, ut conſerventur, ut vigeant, ut corroborentur, ut jucundo quodam ſenſu perfundantur. In quo primum univerſum humanum genus conſideratur, quid ei communiter conveniat: hinc per partes contemplamur corporaturam, temperationem qualitatum illarum principum, ætatem, locum, tempus, actiones, mores, atque aſſuefactionem: eadem in rebus, quæ ſumuntur, adhibetur cenſura. Hactenus terminos ſuos *eſualis* prorogat, ſine qua, ut præclare docet Hippocrates, vita eſſet non agreſtis modo, & ferina, ſed exiſterent ſingulis pene momentis labores, & cruciatus repentini, tum ſubitæ atque inopinatæ neces plurimorum: quin hebetarentur ſenſus, & animi ſtupeſcerent, aut in furores atque inſanias miſerabiliter incurrerent. Difficilior inventu exiſtimatur hæc a plurimis, quam medicina, imo vero demirantur potuiſſe inveniri. Sed indubie prima inventio divinæ fuit opis, non in homine minus, quam in mutis animantibus. Periſſet profecto maxima humani generis pars prius, quam ad explorationem perveniſſet hujus obſervationis. At vero quum aliquid acceſſiſſet corpori, quod conſtitutionem illam primam ſuam & ſolitam perturbat, affligitque, unde dolores conſequuntur; impedimentum functionum hujus conſtitutionis, hoc loco, hoc tempore, hac ætate, his moribus, *affecta* vocatur *valetudo*, & *ægrotans corpus*: ex eadem illa conſideratione rerum admoventur, quæ affectionem illam cohibeant, ne ſe effundat, neve invaleſcat: quæ-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

quæque deinceps tollant, tum quibus interea ita perculſus ſuſtentetur, & vitam producat: hæc *medicina* nuncupatur. Itaque conjunctæ ſunt *artes* iſtæ, & germanæ, ut *medicina* ſit nonnunquam quæ *eſualis* exiſtimatur, aut vice verſa. Cæterum *eſualis* ſimplicior eſt, & in functione generalis magis: quippe quæ genera & formas tantum conſiderat; quum *medicus* ad ſingula rem deducat, non *præceptis* ſed *actione*: nam circa ſingula, quæ ſunt innumerabilia, nulla verſatur ars: præter hæc *medicina* temporaria eſt, & quorundam; *eſualis* omnium, ac perpetua. Sed loquamur jam de *medicina*; cui arti in hominum corpora vitæ ac necis poteſtas, & jus ſummum eſt permiſſum, nec ulli unquam vel Imperatori, vel regi tantum in homines licuit: quocirca & medicum ipſum navare diligentem operam omnes divi atque homines poſtulant, clamant, requirunt, ut prudentiſſime atque amantiſſime, quæ ſuæ ſint & fidei, & poteſtati commiſſa, tractet. Quanta, & quam præſentanea peſtis eſt, ſi huic potentiæ adjungatur inſcitia? Quid ſi inſcitiæ, quod fere fit, arrogantia, & ex hac rabies oriatur, & pertinacia non cedendi?

Itaque propter tam paratum diſcrimen maximis artis hujus authoribus placuit non videri dignum eum medici profeſſione ac nomine, cui hæc non adeſſent omnia: natura, ingenium, inſtitutio longa, & diuturna, probitas morum, ſedulitas, uſus. *Ingenio* eſt opus diligenti, attento, conjectiori optimo, prudenti, moderato, non ambitioſo, neque oſtentatore: non pertinaci, quodque in ſententiam nolit tranſire melius dicentis. Erit hujuſmodi, ſi habuerit perſuaſum nihil ſibi debere eſſe prius, aut carius vita & ſalute hominis, ut nec exiſtimationem ſui, aut quæſtum anteponat ei, qui ad illius manum atque operam tanquam ad aſylum quoddam ex graviſſimo periculo confugit. Id vero eſt boni viri & Chriſtiani. Nam ſi quem per ignorantiam aut pervicaciam inflexibilem occiderit, quomodo deinceps id damni farciet? Quantam, & quam exactam eſt Deo redditurus rationem? Si quid ab uno theologo erratum ſit, ab alio corrigitur: ſi a jureconſulto, ſuccurritur æquitate judicis, reſtitutione in integrum, denique fit pecuniæ jactura. Quod vero a me-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

dico, quis corriget? Homini extincto quis adferet remedium? ut magis mirer inveniri tam multos, qui adeo periculosum munus suscipere, ac profiteri non dubitent: sed nimirum plerique eorum prius in professionem inciderunt, quam intelligerent, quantum id esset, quod susciperent. Id vero tantum est, ut quidam ad reliquas boni medici virtutes etiam felicitatem adjungendam ducerent, & vota esse facienda censerent, ut postquam rite artis præceptis esset medicus perfunctus, res cederet prospere: ea est in natura nostra imbecillitas, in morbis impetus & pervicacia, in medicamentis infirmum ac lentum subsidium, in ingeniis hominum ignorantia. Contra quos hostes armatos semper, ac in perniciem supra caput incumbentes, quibus existimamus esse viribus pugnandum, ne nos opprimant?

Magister principio enarrabit facillima & brevia, quæ auditores ediscant, *aphorismos* puta *Hippocratis* aut *Galeni artem*. Habent authores hos principes, *Hippocratem* quasi fontem, & parentem omnium: hinc interpretem ejus Galenum, Paulum Æginetam, Largum Scribonianum, Celsum, Serenum, Psellum, Nicandrum, tum Arabes, Avicennam, Rasim, Abenroën, Mesuen. Ex priscis Scriptoribus *artem veterinariam* nuperrime Joannes Ruellius composuit, & Latinam fecit. De hoc professorum ordine nihil equidem pronuntiabo, quod non sunt a me ea cura, atque attentione lecti, nec ita in medicorum illa velut adyta penetravi, judicium de eis fecere ut possim: hoc vero illorum esto, qui feliciter sunt in ea disciplina versati. Ratio tamen tradendæ artis medicæ quantum quidem ipse assequor, hæc est, ut primum expositæ sint nobis, ac perspectæ partes omnes humani corporis, quæ cuique vires, quæ cuique natura, quæ inter eas proportio, & quasi harmonia. Hinc de iis morbis, qui universum hominem infestant: de iis qui certam unam sedem non habent: de iis, qui certam: quæ cujuscunque illorum origo, sedes, auctus, progressus, effectio, opus, reliquiæ, vestigia: cujusmodi qualitatis ac virium res adversus morbum illum affecto corpori prodesset, quæ cohiberet, ne invalescceret, quæ penitus depelleret: tum disquirendum, quænam sit ea res in natura: si non sit talem

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

lem invenire, quærenda eſt proxima: & quod in ea deeſt, alia ſupplendum ejus facultatis, qua prior caret. In his conſiderantur vires formæ univerſæ, tum ſi quid a locis vel temporibus acceſſit facultati agendi, aut deceſſit: ut herbæ in Italia, vel in Flandria natæ, in æſtate aut vere, loco mediterraneo, maritimo, arido, uliginoſo: & declarandum quo pacto applicabitur, ubi erit opus. Quod ſi multis & variis ex rebus medicamentum, ut ſæpe fit, componatur, oſtendenda eſt cujuſque vis & cauſa *contemperationis*: cur hoc illi adjungitur, atque admiſcetur: quid in eo vel juvat, & ſupplet, vel corrigit, vel cohibet, vel excitat.

Diſputationes erunt, quomodo *univerſales canones* in *experimentum* ſingulorum operum deriventur: nec curent mihi ſcrutari ea, de quibus dubium eſt etiamnum, an ſint: illa contemplentur potius, quæ eſſe conſtat, quæ ſunt permulta, & vel longiſſimum poſſent ævum occupare, ne diſtineantur inani quadam inveſtigatione ad nugas, & altercantium cavilla, inter quæ magna fit temporis jactura optimis & neceſſariis in rebus conſumendi.

Exercitia hujus artis erunt trifaria: *Primum* in agnitione eorum omnium verſabitur, quæ pro medicamentis conſueverunt uſurpari, foſſitiorum, pigmentorum, lapidum, gemmarum, ſtirpium, animantium, & eorum, quæ ſunt in eis. Quia vero præcipuæ ad medicamenta omnia vires inſunt in *ſtirpibus*, eos contemplabitur non ſemel, aut ſimpliciter, ſed ex varietate temporis ac loci, vere, æſtate, autumno, hyeme, oriente ſole, occidente, meridie, cœlo nubilo, turbato, ſudo, ſicco, ſereno, in agris, in hortis, in ſylvis, in montibus, locis mediterraneis, maritimis, aridis, humidis: magnas enim varietates ex his omnibus ſtirpes recipiunt, radice, foliis, floribus vel contractis, vel expanſis, vel alio atque alio colore infectis, ut jam non eoſdem dicas autumno, qui ſint hyeme, non ſicco, & ſereno cœlo, qui humido, & in aliis ad eundem modum. Nec ſolum varietates hæ faciem mutant, ſed vires quoque & ingenium: quin ipſam eandem herbam & naſcentem, ac pullulantem conſiderari convenit, & grandeſcentem, & adultam, & feneſcentem: nec minus quæ ex his apud pharmacopolia conflantur, ſpectabit. Se-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ctionem humani corporis quam ἀνατομίαν vocant, frequentes, attentique diſpicient, unde venæ, nervi, oſſa naſcantur, quo pertineant, & qua: quæ ſit eorum magnitudo, quis uſus in vivente, qui inter illa concentus. *Secundum* exercitium erit, ut ægros cum veterano aliquo medico adeant & obſervent diligenter, quemadmodum is præceptа artis operi accommodat. *Tertium* vero, quum iidem ipſi ſoli manum jam admovebunt operi, quod bene vertat. Et ſicut in frugibus quaſdam non conſumimus, ſed reſervamus ad ſemen, ita in medicis erunt plerique omnes, quos in executione profeſſionis, & in curandis corporibus ponere, quod reliquum eſt ætatis, conveniet. Erunt autem nonnulli, qui operatione aliis relicta, ipſi in artis contemplatione, & tanquam illius myſteriis ſubſiſtent. Hi erunt homines qui vel ſuopte ingenio a commerciis abhorrebunt hominum, vel qui ſuſtinere non poterunt faſtidia morborum, aut qui impares erunt labori concurſandi, aut tenerioris frontis, quam ut perferri poſſint tam multa, quæ medicis videndo ſunt atque audiendo devoranda: denique quibus natura medicæ artis deerit, quam primam in medico deſiderari ſuperius oſtendi. Sed hi tamen erunt, quibus ad eam naturæ conditionem acumen ingenii & judicii vigor ſit adjunctus, varia quoque & late diffuſa doctrina, ex qua impenſus quidam erga ſtudia amor naſcitur, ut non facile ab inſpiciendis ſeſe rebus emolumentis ullis ſinant avocari. Hi velut antiſtites quidam artis in ipſis adytis & myſteriis verſabuntur perpetuo: docebunt alios, ſcribent, conſulentur, reſpicient ſubinde ad linguas, ad philoſophiam, ad omne genus Scriptorum liberius. Nam illos, qui artem in uſum generis humani convertunt, ubi primum ſeſe publicis utilitatibus dedicarunt, & quaſi conſecrarunt, nolim amplius ad alias ullas diſciplinas, aut artes divertere; eſt enim in hac una ſatis ſuperque quod agant, vel vita univerſa, quamlibet diuturna, ac longa. Itaque non ferant eum, qui ad opem hominibus ferendam accerſitur, Ciceronem, aut Demoſthenem, Vergilium, aut Homerum lectitare: multo minus authores aſpicere artis grammaticæ: ſed nec hiſtoricos, aut etiam philoſophos; niſi ſi qui adjumenti aliquid adferre poſſint iis, qui ſalutem ſuam ipſius curæ commiſerunt. Didiciſſe hæc oportet

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

tet prius, certe hic non addiſcere: diſciplinis omnibus atque exercitiis litterarum æternum *vale* dicet, in hanc unam intentus & incumbens prorſus. Facilius tulero cujuſvis artis profeſſorem diverſis nonnunquam occupari, quam hujus: quæ adeo longa, varia, obſcura eſt, ut ægre quamlibet felix ingenium cunctum ſit ei percipiendæ, aut rite exercendæ par: quanto minus ingenii portio aliqua? Hi tamen experimenta ſua monimentis literarum ad uſum poſteritatis conſignabunt. Sciatque medicus, quicquid temporis hujus unius ſtudio ſubtraxerit, tantum ſurripere ac furari ſanitati ſuorum ægrotantium.

Aggreſſis, *bonis avibus*, experimenta artis, nihil potius habebit, aut carius, quam *humanum corpus*. Quocirca experimenta prima, quæ ſunt pleniſſima periculi, non ſumet in humano corpore: nec in *dolio figlinam* auſpicabitur, quod eſt in proverbio, ſed in re vili, nempe in mutis animantibus. Quod ſi neceſſe eſt in homine fieri, ne ſint ſaltem tenera, & delicata corpora, quæ injurias medicamentorum non ſuſtinent: ſed ea, quæ violentia fomenti afficit fortaſſis, ac commovet, non extinguit: ut ſit, quod Veteres ſoliti erant dicere, *periculum in Care*. Jam vero ingreſſus ad ægrum viſendum medicus, quo habitu erit, quo cultu, qua diligentia & ſermone utetur, perſcripta ſunt omnia, quum ab aliis medicis, tum ab Hippocrate Coo breviter, ac prudenter comprehenſa. Sed ego tamen nonnulla more meo explicatius ponam. Primum eſt omnium, ut curet ſe medicus, ne gravi ſit ipſe valetudine, neu pallens, & ore ipſo morbum ſuum oculis objiciens obviorum: ne illud protinus de ſacro Evangelio audiat: *Medice, cura teipſum.* Quam ſpem de eo medico æger concipiet, cujus artem in illo ipſo videt nihil proficere? Tum ob ægrotorum faſtidia veſtiatur nitide magis, quam ſplendide. In ipſo ægro ſtatim primo aſpectu conſiderabit habitum, & conſtitutionem corporis, ætatem, animum. Quæret de valetudine ſuperioris temporis, de moribus, & conſuetudine illius: hæc omnia humane atque affabiliter: tum audiet patienter, nec *hariolandi* gloriam capprabit, ut divinet quæcumque circa illum contigerunt. Graves patiuntur caſus, qui ita ſe huic inaniſſimæ aurulæ concredunt, & vale-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

valetudines languentium affligunt, ipsos etiam non raro perimunt, dum medendi arte non contenti, *divinationem* quoque gestiunt ostentare. Neque vero quæcumque ab assidentibus mulierculis audierit, pro exploratis, compertisque accipiet, ipse judicium suum velut condimentum asperget. Admoneri se boni consulet, imo habebit etiam gratiam. Æquitatem animi obtineat in censendo, ne quo se sinat affectu abripi. Præclare secum actum sentiet, si in illa ipsa moderatione sui nanciscatur quod cupit, nedum ut commotus, ac perturbatus necessaria possit rite exequi. Cogitet bonus, & sapiens medicus, se velut salutare quoddam numen in terris versari: ut divos imitetur integritate morum, & opum contemptu. Castas manus, castos oculos ab omni impudicitia conservet: sed nec quantum ex opera rediturum est in loculos, curiose repetet. Equidem vehementer admiror esse permultos medicos ad lucrum attentos, quum nulli magis intelligant, & experiantur quotidie, quanta sit vitæ brevitas, quam fugax, quam incerta, quam leves causæ valentissimos homines absumant, ac proinde quam parum prosint divitiæ, quarum exiguus est adeo usus, & brevis. Quid ergo de illis dicam, qui aviditate lucri morbos differunt? quo nihil cogitari potest inhumanius. Non privatim videntur isti admonendi, sed publica severitate puniendi, haud aliter quam convicti facinorum capitalium. Cur in eum animadvertitur, qui hominem liberum occidit, istis vero impune est morbos cum certo valetudinis exitio proferre? Si vel morbi ratio, vel infirmi ingenium ab alloquio abhorret, paucis verbis rem transiget, & maxime sobriis: sin ferant sermonem, facunde aliquid narrabit, lepide, accommodate ad captum audientium, ad ægrum, & eos qui adsunt sine scurrilitate exhilarandos. Tentabit initio, an poterit ægrum suum curare victus ratione, hoc est diæta: sin res poscat, addet *medicamenta*, sed *simplicia*: sin major sit morbi vis, & varia, ad *commistionem* transibit. Si res exigat, ut ad capiendum consilium, alii sint acciendi medici, proponet sibi ante oculos non existimationem sui, non quæstum, quæ duo quanti sunt, si cum hominis salute conferantur? sed id quod ei expedit, qui ad fidem suam confugit: ut

in

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

in eum patrio quodam esse affectu necesse sit, si viri boni officio velit defungi. An est aliquid, quod magis nos ad bene volentiam & benefaciendum adducat, quam fiducia nostri? Quapropter eo veniet animo ad deliberationem, ut in sententiam melius monentis paratus sit concedere: audiente ipso, de quo agitur, non different, nec aliis præsentibus contendent: in illa enim dissensione opinionum, qui judicare ipsi nesciunt, nec possunt statuere, cui se parti potissimum applicent; inde nascitur desperatio quædam sui, & artis totius odium, quam habent pro incerta.

Libri quarti De tradendis disciplinis

FINIS.

JOAN-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

JOHANNIS LUDOVICI VIVIS VALENTINI, DE TRADENDIS DISCIPLINIS,

Sive de doctrina Christiana,

LIBER V.

CONfecta est nobis ea via, quæ rerum Naturam contemplatur, quæque hominum corporibus vel alimenta demonstrant, vel antidota adversus morbos impendentes, aut contra jam incumbentes remedia. Nunc alteram illam aggredimur, qua tum excoluntur animi, tum sanantur, ut in hac quoque sit mentis illustratio, ne morbi invadant, atque ubi invaserint, per rationis imperium depulsio ac restitutio sanitatis. In vitæ negotiis prudentia præsto est nobis, atque auxilio: in rebus divinis pietas, quæ qui sit Deus docet, & quemadmodum nos adversus illum decet gerere: eamque unam vere ac maxime proprie sapientiam nominarunt, de qua non est hic dicendi locus, curam sibi peculiarem tanta res postulat.

Prudentia vero peritia est accommodandi omnia, queis in vita utimur, locis, temporibus, personis, negotiis. Hæc est moderatrix, & clavus in affectionum tempestate, ne hi sua violentia navem totius hominis in brevia, aut scopulos impingant, vel obruant magnitudine fluctuum. Duabus autem ex rebus prudentia nascitur, *judicio*, atque *usu rerum*. *Judicium* opus est sanum & solidum, interdum quoque vividum & perspicax. *Experimenta* rerum vel

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

vel noſtra ipſorum ſunt, quæ nos agendo cepimus, vel aliena conſpecta a nobis, lecta, audita: alterutrum cui deſit, prudens eſſe non poteſt. Nam quæ ad uſum referuntur aliquem, ea niſi aliquando ipſe obeas, quantumcunque expoſita habeas, & percepta, nunquam tamen recte exequeris: quippe quum manum admovebis operi, non multum haberit, quin tam venias novus, quam qui nihil prius de eo ipſo cognoverat: haud aliter quam ad pingendum, texendum, ſuendum rudis penitus videtur accedere, qui inſtructus quidem venit præceptis, ſed inexercitatus penitus. Jam exercitatio per ſe ac *uſus*, niſi regatur a *judicio*, proficiet quidem nonnihil, ſed manca erit prudentia hæc, & ſæpenumero in occaſione rerum agendarum infirma, & inutilis. Multi enim variarum rerum habent experimenta, & complurium cognoverunt mores nationum, ac gentium, ſed quia ſegni, & præpedito judicio, ſeu nullo potius, parum admodum prudentiæ, ac interdum nihil omnino collegerunt. Quocirca nec adoloſcentes, aut juvenes prudentes eſſe queunt, qui experimentis carent, nec tardi ſenes, & judicio de rebus vel hebeti vel pravo. Quapropter facultatis hujus tractatio magna de cauſa eſt a nobis poſt artes omnes perceptas collocata.

Cæterum *prudentiæ* finis & tamquam ſcopus biceps eſt. Una pars ex eo ſpectat, quum prudentia ad corporis & affectuum libidinem confert omnia, ut quicquid ſive judicii paravit, ſive uſus rerum ad voluptates, honores, opes, potentiam ſolerter convertat; quæ eſt vafricies, & aſtutia: ſacris authoribus *carnis prudentia* nuncupatur, quod iis ſit intenta, quæ *caro concupiſcit*. Altera pars eſt, quæ ad mentem & ſuam, & aliorum juvandam actiones ſuas omnes, & cogitationes refert, hoc eſt, ut ſe, & alios meliores reddat. Et quoniam prior *illa*, quemadmodum Paulus inquit, *ſtultitia eſt*, de hac altera loquemur; cui non ſunt idonei natura ſtupidi, aut ſtolidi, nec inepti, & pueriles conjectores: quandoquidem *prudentia pars* optima in *conjecturis* ſita eſt, quas de rebus ſequentibus e conjunctis & tranſactis ſumimus: ut genus ſit quoddam divinationis prudentia, quemadmodum priſca ſententia declaratur: *Bene qui conjecerit, hunc vatem perhibeto optimum.*

Sed

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Sed neque levia ingenia, & ſibi indulgentia : non enim per ſummas eſt rerum facies volitandum, ſed penetranda intima, diligentia & aſſiduitate, quam ſibi indiceré non ſuſtinent ingenia delicata. Minus multo ſunt apti ſcurræ, impoſtores, dicaculi, joculares, qui res maximi momenti feſtivitate, & argutiis eludunt, magnamque de rebus graviſſimis conſulentium ſpem jocularí licentía fruſtrantur, & in ſeriis ineptiunt, nuganturque : ut ſapienter ſit illud a Veteribus animadverſum : *facilius ſcurram futurum divitem, quam bonum patrem familias*. Pertinaces item & contentioſi hinc arcendi, uti mox oſtendam. Qui ejuſmodi ſunt ingeniis tanquam ad prudentiam, id eſt, regendi artem non facti, & appoſiti, ipſi alios non regent, regentur ab iis, quos natura ad prudentiam finxit.

Judicium porro, ut quod eſt in prudentia naturale, doceri non poteſt, elimari, & excoli poteſt. Primum *lectione* eorum authorum, qui plurimum bono illo valuerunt, Platonis, Ariſtotelis, Demoſthenis, Ciceronis, Senecæ, Quintiliani, Plutarchi : ex noſtris autem Origenis, Chryſoſtomi, Hieronymi, Lactantii. Hinc *inſtrumento veri inveniendi*, quo patefit, quid in quaque re vel verum ſit, vel ejus ſimile ; qua ex obſervatione plurimum lucis accedit animis. *Dicendi* etiam *ars* recte percepta magnum adferre judicio adjumentum poteſt : *uſus* etiam, quod eſt alterum prudentiæ membrum, plurimum confert cenſendi facultati, ut *manus manui*,

Experimenta, noſtra accedunt ætate & rerum actibus, aliena ex cognitione prioris memoriæ diſcuntur, quæ *hiſtoria* nuncupatur ; eaque efficit, ut præteritis non minus videamur interfuiſſe, quam præſentibus, illiſque perinde uti poſſe, ac noſtris. Merito ſacerdos ille Ægyptius Solonem & Græcos, qui recordationem priſcæ memoriæ non tenerent, *pueros* appellavit. *Hiſtoria* ſi adſit, ex pueris facit ſenes : ſin abſit, ex ſenibus pueros, quippe quæ *teſtis eſt temporum*, & *lux veritatis*, ſicut a prudentiſſimis eſt viris diffinita ; cujus præterquam quod eſt jucundiſſima, incredibilis eſt, non ad vitam modo, ſed ad artes quoque omnes utilitas. Quantopere humanos animos delectet, & reficiat, indicio ſunt aniles fabulæ, quas etiam cum ſumma voluptate audivimus attenten-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

tentiſſime, ob id ſolum, quod faciem hiſtoriæ aliquam præ ſe gerunt. Quis vero non aures illico, & animum erigit ſi narrari audiat inſolitum aliquid, grande, admirandum, pulchrum, forte, libere factum, dictumve ex iis, quorum hiſtoriæ refertiſſimæ ſunt. Videre eſt quoſdam, dum legunt, vel audiunt narrationem rerum quampiam, etiam ſæpe falſam, immori cupiditati pernoſcendi, cibum & potum, & ſomnum obliviſci, earumque rerum cupiditates naturales vincere, dum ad exitum perveniant. Utilitas vero, imo etiam neceſſitas quotidie deprehenditur in vita. Nemo patrem, nemo majores ſuos noſſet, nemo jus ſuum aut alienum vel ſcire poſſet, vel obtinere, nemo quam regionem incolat, quomodo illuc pervenerit, nemini ſua poſſeſſio certa eſſet, & rata, niſi hiſtoriæ munere. Quid dicam ad capeſſendam rempublicam, & populi negotia adminiſtranda, quantum adferat momentum? L. Lucullum Cicero ſcribit, profectum Roma rei militaris pene rudem, quum totum iter & navigationem conſumpſiſſet partim in percontando a peritis, partim in rebus geſtis legendis, in Aſiam veniſſe, factum umperatorem tantum, ut Mithridates rex poſt Alexandrum maximus, hunc a ſe majorem ducem cognitum, quam quenquam eorum quos legiſſet, aut vidiſſet, confiteretur. Alexander Severus, quod legitur apud Lampridium, in rebus dubiis hiſtoriæ gnaros ſolitus erat conſulere. Zenobiam Reginam ſupra muliebrem prudentiam hiſtoriæ peritia extulit, quam etiam ſcriptitaſſe ferunt. Quid cauſæ eſſe credimus, cur philoſophi noſtri regendis civitatibus, & populis, jam pridem idonei non fuerint, niſi quod hiſtoria carerent, prudentiæ nutrice? Sunt tamen qui veteris memoriæ cognitionem inutilem eſſe ſibi perſuadeant, quod mutata ſit univerſa ratio victus, cultus habitandi, gerendi bella, adminiſtrandi populos, & civitates. Quæ opinio quoniam adverſatur ſapientum hominum ſententiæ, magnum ſit argumentum & rationi eſſe contrariam. Nimirum negare nemo poteſt omnia illa eſſe mutata, & mutari quotidie, nempe quæ ſunt voluntatis noſtræ, atque induſtriæ. Sed illa tamen nunquam mutantur, quæ Natura continentur: nempe cauſæ affectuum animi, eorumque actiones, & affecta, quod

eſt

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

eſt longe conducibilius cognoſcere, quam quomodo olim vel ædificabant, vel veſtiebant homines antiqui. Quæ enim major eſt prudentia, quam ſcire, quibus ex rebus, qui hominum affectus vel concitantur, vel ſedantur? affectus porro illi, quæ adferant momenta in republica, quos motus, quemadmodum continendi, ſanandi, tollendi, aut contra exagitandi, & confovendi ſive in aliis, ſive in nobisipſis; quid magis vel rectori civitatis, vel cuivis civium noſſe expedit? & quidem jucundiſſime, & genere prudentiæ feliciſſimo. Quanto namque felicius eſt alienis malis admonitum ſapere, quam propriis? ut ſit *hiſtoria* velut exemplum eorum, quæ ſequaris, quæque devites. Quid illa ipſa, quæ mutata eſſe conſtat? quanta emolumenta ſuppeditant? vel ut aliquid in tuum uſum revoces, vel ut cauſam intelligas, cur quicquam tum ſic agebatur: quo eamdem ipſam, aut ſimilem rationem ad actiones tuas, quum res feret, applices. Nihil eſt enim veterum adeo defuetum, & abolitum, quod noſtris vivendi moribus accommodari quadantenus non queat. Nam etſi forma jam alia, uſus tamen idem manet, quod eunti per ſingula facile erit deprehendere.

Jam artes ipſæ ne conſtare quidem poſſint, ſi *hiſtoriam* ſuſtuleris. Hippocrates, Galenus, & alii medici quam ſæpe *hiſtoricos* agunt, dum experimenti ſucceſſum narrant? Ipſa adeo *medicina* ex *hiſtoria* collecta eſt, ſicut Plinius ex M. Varrone perhibet. Quot morborum genera, quomodo & ubi orta, aucta, compreſſa, ſedata, ſublata memoria vetus prodit? ſine quorum notitia manca eſt medicina, & potiſſima ſui parte orba: quam ex tot undique *experimentis* neceſſe eſt colligi ceu aquas pluvias ſtillatim. In morali philoſophia plus exempla proficiunt, quam præcepta: ſcilicet libentius ac promptius imitatur quiſque, quod admiratur. Quis non citius adducitur ad fidem vel cum præſentiſſimo periculo ſervandam, quod M. Attilius tam conſtanter, & magno eam animo ſalvam præſtiterit, quam viginti de eadem ipſa re documentis? Tum ad fortiter omnia pro Chriſti gloria patiendum magis accendimur martyrum exemplis, quam theologorum monitis: magiſque a ſceleribus deterremur triſti ſceleroſorum exitu, quam deteſtatione philoſophorum de vitiis.

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

tiis. Mitto ſententias, tot proverbia, apopthegmata, quibus componendi mores impenſiſſime adjuvantur, quæ omnia e media hiſtoria petuntur. Jus totum ex hiſtoria manat, quod oſtendit caput illud *Caji* juriſconſulti *de origine juris*. In eo enim ſitum eſt jus Quiritum, quid Quirites ſciverint, ſtatuerint, egerint, quid Senatus decreverit, magiſtratus pro poteſtate dixerint, principes juſſerint. Atqui ea omnia unde ſunt? An non ex hiſtoria? ut jus vel Romanum, vel cujuſvis alterius gentis nihil ſit aliud, quam ea hiſtoriæ pars, quæ mores alicujus populi perſequitur, eos quibus vitæ communicatio comprehenſa eſt, quo pacto inter ſe agant, quo cum exteris. Quid vero? Theologiæ quanta pars eſt narratio geſtorum populi Iſraëlitici, Chriſti, Apoſtolorum, martyrum, denique ſanctorum omnium, & totius eccleſiæ? quæ nos & docent, & validiſſime ad bene agendum inflammant. Equidem nolim in graviſſimas diſciplinas contumelioſius aliquid dixiſſe, ſed neſcio quo pacto *hiſtoria* videri poſſet præſtare omnibus, quæ una tot artes vel pariat, vel enutriat, augeat, excolat, idque non per amara & moleſta præcepta, atque exercitamenta, ſed per animorum delectationem: ut ſimul pulcherrima ac fructuoſiſſima haurias, ſimul animum recrees, ac reficias. Verum *hiſtoria* cognita eſt jam nobis quadantenus in puerili inſtitutione, ſed illa modo ad rationem temporum, & nomina præclarorum hominum noſcenda: nunc vero exactius eſt, ac plenius verſanda, quoniam melius ab adultis jam confirmatiſque poſt rerum uſum aliquem intelligitur, ut in vitæ emolumenta convertatur, judicio adhibito: tanquam ſuccus naturali calore diffuſus per corpus, unde alatur homo, & vita producatur. At vero in cognitione hiſtoriæ minime convenit nos circa frivola & moleſta detineri, in quibus laboris eſt, & curæ multum, fructus omnino nihil: præſertim quum bonarum, & utilium rerum tanta ſuppetat copia. Audiendus eſt prudens magiſter M. Fabius, qui in Inſtitutionibus, ſic inquit de futuro utique oratore, ſed nos ad prudentem virum accommodabimus: *His accedit enarratio hiſtoriarum, diligens quidem illa, non tamen uſque ad ſupervacuum laborem occupata. Nam receptas, aut certe claris oratoribus memora-*

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

tas expoſuiſſe, ſatis eſt; perſequi autem, quod quiſque unquam vel contemptiſſimus hominum dixerit, aut nimiæ miſeriæ, aut inanis jactantiæ eſt: & detinet, atque obruit ingenia melius aliis vacatura. Nam qui omnes, etiam indignas lectione, ſchedas excutit, anilibus quoque fabulis accommodare operam poteſt. Sic ille. Ergo tenenda ſunt ex hiſtoria primum *ratio temporum*, hinc facta & dicta, quæ exemplum poſſint aliquod adferre, ſive ut bonum imitetur, ſive ut malum devitemus. Bella & prælia non accurate perſequenda, quæ tantum inſtruunt animos ad nocendum, & vias oſtendunt, queis invicem poſſimus lædere. Notanda ſunt dumtaxat, & leviter, qui arma ceperint, qui utrinque duces, ubi congreſſum, qui victi, quid illis actum. Nec aliter dicenda, vel legenda hæc, quam latrocinia, cujuſmodi re vera ſunt pleraque horum omnia, niſi quæ forte adverſus latrones ſunt ſuſcepta, quod inter Chriſtianos utinam non tam raro uſu eveniret. Satius igitur, & fructuoſius fuerit dare operam togatis rebus, quæ in virtute præclare ac ſapienter ſunt acta, quæ in ſceleribus atrociter, fœde: qui exitus, quam læti benefactorum, quam triſtes, atque infelices malorum facinorum. Tum dicta & reſponſa hominum præditorum ingenio, ſapientia, uſu rerum, ea potiſſimum, quæ Græco verbo ἀποφθέγματα dicuntur: conſilia etiam, cur quicquid ſuſceptum, factum, dictum, eorum potiſſimum, qui probitate, ſapientia, ſtudiis bonarum artium reliquis antecelluerunt, quales ſunt philoſophi, & præſtantiſſimi omnium divi noſtræ pietatis: ut non ſolum, quæ ab animi incitatis moribus ſint edita cognoſcamus, ſed quæ a vi mentis & judicii. Indignum profecto eſt affectionum noſtrarum opera mandari memoriæ, non item conſilii ac rationis. Hiſtoriæ neceſſaria eſt inprimis locorum notitia, ſine qua intelligi illa non poteſt; ſed ea eſt jam nobis alibi oſtenſa.

Authores rerum geſtarum vetuſtiſſimi alii ab aliis celebrantur. Ægyptii ſacerdotes ſuos nobis ingerunt. Græci Cadmum Agenoris filium. Sed Abraamum Urenſem priorem illis omnibus hiſtoriam reliquiſſe multo eſt certius, ex qua ſunt origines cœli & terræ apud Moſen, atque eam ipſam hiſtoriam Abraamus ex filiis Sethi, accepit, quos

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

quos Josephus ait duabus columnis lateritia & saxea consignasse literis Mundi exordia, & semina maximarum artium: quo apparet historiæ usum cum ipsis pene hominibus cœpisse, nimirum sic expediebat humano generi. Cursum historiæ a primo vel Mundi, vel gentis alicujus initio continuatum ad postremum usque præstat inspicere, idque si fiat, rectius percipiuntur, ac tenentur omnia, quam per partes interruptas; non aliter quam si in descriptione Orbis universitas terræ ac maris uno aspectu ob oculos ponatur, facilius erit Mundi faciem, & singulorum ordinem, situmque intelligere. *Polybius Megalopolitanus* totius humani generis historiam similem animanti facit integro, particulares vero narrationes disjunctas eidem membratim discerpto, cujus figuram, pulchritudinem, vires nemo ex partibus ita laceris colliget. Quapropter & nos historiæ membra sic copulabimus, ut unum existimemur coagmentasse ex multis, si non ut animal unum, ut structuram utique unam compositione aptam, servata, quantum quidem per diversitatem Scriptorum licebit, ratione temporum, quo nihil est historiæ aptius, aut congruentius. Principio legendus aliquis, qui ab ultimis temporibus ad nostram memoriam, aut ei proximam historiam tenore uno contexat, ut summa quædam proponantur omnia: is sit sane vel *Nauclerus*, vel hoc copiosior, & purior, & diligentior, adde etiam doctior, *Antonius Sabellicus*. *Paulus Orosius* ab Orbe condito ad sua tempora summas rerum apte persequitur. Hinc partes sunt jam historiæ compingendæ per opera authorum integra, quod erit commodius, quam per partes illorum. Mundi origines Moses tradit libro, qui ea de causa *Genesis* inscribitur. Libellus circumfertur *Berosi Babylonii* titulo de eadem re, sed commentum est: quod indoctis & otiosis hominibus mire allubescit: cujusmodi sunt *Xenophontis æquivoca*, tum Archilochi, Catonis, Sempronii, & Fabii pictoris fragmenta, quæ eodem sunt libro ab Annio Viterbiensi conferruminata, commentisque reddita magis ridicula: non quin insint quædam in illis vera, nam alioqui frontem non haberet narratio, sed ipsum historiæ corpus commentitium est, nec illius, cujus titulum mentitur. Manethon Ægyptius, & Metasthenes Persa ex Eusebio sunt desumpti. Sequuntur Exodus, Nui,

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

meri, Josue, Judices Israëlis. Philo Alexandrinus ab Adamo ad necem Saulis Regis historiam summatim deducit. Diodorus Siculus ab inundatione, quæ sub Ogyge fuit rege Beotiæ ad sua tempora, id est, ad C. Cæsarem Dictatorem: quum Plinius, nescio qua causa, dicat *primum apud Græcos desisse nugari*, quum nihil eo sit nugacius, nisi forsan quod nullum operi suo illecebrosum, aut magnificum titulum indiderit, sed inscripserit tantum *βιβλιοθήκας*. *Græca historia* fabulosissima est usque ad Olympiades, nec quisquam vera a falsis discreverit: sed nec quæ deinceps insequitur mendaciis caret, licet paulo verecundior. Ad eam nonnihil adjumenti *Homerus* adfert in utroque poëmate, etsi convestiuntur in eo fabulis pene omnia. *Dares Phrygius*, & *Dictys Cretensis* figmenta sunt eorum, qui de bello famosissimo voluerunt ludere. *Dion Prusiensis* Trojam non fuisse captam argutatur. *Philostratus* in historicis magna Homeri mendacia majoribus mendaciis corrigit. Iliada Homeri complevit *Q. Calaber*. Accedunt jam libri Regum, & *τῶν Παραλειπομένων*, Hester, Thobias, Judith, Apocryphia. Esdras, cujus in quatuor libros divisi, priores duo ab Hebræis agnoscuntur in canone, posteriores apocryphi sunt. Romanorum origines obscuræ, ac tenues venerunt ad posteros, quod ante urbem a Gallis captam rarus esse literarum usus, ut inquit Livius. Est *Josephi* de antiquis *adversus Appionem* disputatio, de qua divus Hieronymus miratur in homine Judæo tantam peritiam Græcitatis. *Herodotus pater* nominatur *historiæ*, quod primus ad rerum narrationem, elegantiam, & nitorem orationis adjunxit. Habet fabulosa permulta, sed operis titulo excusatur, inscripsit enim *Musas*: quo significavit quædam dici licentius, id enim *Musis* permittitur, ut audientium animos suavius detineant, quod interdum severitate narrationis non assequerentur. Religiosior *Thucydides* Atticus memoriam suam complectitur de bellis Peloponnensibus. Sequitur *Xenophontis* Historia, *παραλειπομένα*, Lycurgi leges, Cyri junioris, *ἀνάβασις*. Nam Cyri majoris *παιδία* informatio est Principis, non historia. *Æmylius Probus* de ducibus exteris ad Atticum, nullum enim Romanum attigit. Res Alexandri Macedonis conscripserunt Latine *Curtius*, Græce *Arrianus*. Jam la-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

latiſſime patet pelagus *Plutarchi* de vitis Græcorum a Theſeo ad Philopemenem. Plenus eſt author ille rerum, plenus monitorum ad virtutem. *Trogus* quadraginta libros de toto pene Orbe ediderat: ejus extat modo compendium, in quod Juſtinus illum redegit. *Pauſanias* de gentibus Græcis multum confert notitiæ vetuſtatis illius nationis, *Plutarchus* idem vitas decem rhetorum ſcribit, multaque in eo inſunt opere de civitate Athenienſi, ut plerique eorum rem adminiſtrarunt publicam. *Diogenes Laërtius* philoſophorum vitas ad feminam quandam compoſuit. Magna eſt in eo opere rerum cognitio, multoque eſt legi digniſſimum. *Ælianum* videre mihi non contingit, citatur a novis Scriptoribus. Res Populi Romani, ut ſcite a *L. Floro* traduntur, non minus gentis hiſtoriam complectuntur, ſed Orbis univerſi, & totius generis humani. Conducet ad eam intelligendam de magiſtratibus, & ſacerdotiis illius civitatis cognoſcere, de quo libellus legitur *Feneſtellæ* nomine, ſive illius eſt, ſeu cujuſcunque alterius, & *Pomponii Læti* ex eodem deſumptus: tum de Urbis regionibus breviter ſcripſit *Fauſtus Victor*, nuda perſecutus nomina. Acta illius gentis a primordio Urbis orſus eſt *Livius*, & ad ſua tempora contexuit, nempe ad principatum Auguſti, ſed multo maxima pars intercidit. Tres jam pridem ferebantur decades e quatuordecim. Acceſſerunt nuper libri duo: quum hæc ederemus, quinque alii ex quinta decade in antiqua bibliotheca ſunt reperti. Diligentiſſimus Scriptor ad bene tum loquendum, tum ſentiendum in negotiis quum primis utilis. Sunt, qui ejus opus nolint in *decades* partiri, ſed præfationes decimo quoque libro ita fuiſſe ab authore diſtinctum teſtantur. Ejus Epitomen *L. Florus* contraxit, quam habemus; & alterum *Flori* ejuſdem opuſculum de *Romana hiſtoria*, quo nihil poteſt fingi in illo genere vel acutius, vel lepidius. *Dionyſius Halicarnaſſeus* Græce de Romanorum initiis & primis Urbis temporibus tradidit a M. Varrone hero ſuo accepta. In Polybio non minorem, quam in Livio jacturam fecimus, ex quadraginta ejus hiſtoriarum libris quinque tantum reſiduis. *Libri Machabæorum* tres ſunt, quorum duos habemus verſos inter ſacros, tertius Græce non legitur, incertum quis illorum author fuerit. quidam Joſepho aſſignant, & eos Græce

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ab illo genitos, quod phrasis non videtur aliunde transfusa. *Sallustius* de bello Jugurthino, hinc de Conjuratione Catilinæ: tum *Cæsaris Commentarii*. Bellum civile Pompejanum *Lucanus* cecinit, historicis magis admirandus, quam poëtis. *Cornelius Nepos*, quem Catullus ait Romanorum ævum tribus chartis explicasse. *Julius Obsequens* de *prodigiis* ad notationem valet temporum. Appianus Alexandrinus & externa, & civilia Romanorum bella memoriæ mandavit, Græcus author. Paterculus Vellejus: Plutarchi vitæ Romanorum a Romulo ad Othonem: ejusdem Parallela: Valerius Maximus sparsim attingit historias multarum gentium, dum exempla generatim colligit. Sanctum Christi Evangelium a quatuor Scriptoribus expositum: liber vitæ, & historia humani generis instaurati adoranda: quæ tanta felicitas in principatus collata est Augusti, & Tyberii. Actus Apostolorum memoriæ consignavit Lucas idem, qui & Evangelium. Suetonius Tranquillus Græcorum & Latinorum Scriptorum diligentissimus, atque incorruptissimus, res duodecim Cæsarum videtur mihi integerrime exponere, qui in optimis principibus nec vitia, nec suspiciones vitiorum tacet: in pessimis vero etiam colores virtutum non dissimulat. Pari fide ac diligentia Laërtius Diogenes philosophorum vitas composuit. Ejusdem Suetonii extat de Grammaticis opusculum. Cornelius Tacitus gravis ad consilia, ideoque prudentiæ multum conferens, tum etiam quia domi magis versatur, quam militiæ. Est & Taciti liber de Germanorum moribus. Flavii Josephi antiquitates, & bellum Judaicum, quod Vespasiani confecerunt: de quo & Ægesippus paulo post scripsit, Latinus factus ab Ambrosio Mediolanensi antistite. Dion Cassius Coccejus sub Alexandro Severo Romanorum historiam libris octoginta Græcis literis composuit: gesta itidem Trajani & Arriani vitam, ut testatur Suidas: historia ejus non extat integra. Julius Frontinus de aquæ ductibus, & ad locorum urbis Romæ notitiam valet, & ad notationem fastorum: meminit etiam complurium consulum. Philostrati sophistæ, inter quos sunt nonnulli philosophi, & oratores ab Eudoxo Guidio, qui Platonem comitatus est in Ægyptum, ad Aspasium, qui Romæ sub Antoninis vixit. Ejusdem *Philostrati Apollonius* pene totus figmen-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

mentam eſt rabioſum, ac blaſphemum hominis in fingendo non inexercitati, quique hiſtorias comminiſceretur de iis, quæ nemo unquam vel vidiſſet, vel audiſſet. Herodianus a Commodo ad Gordianum, Ælius *Spartianus*, Capitolinus, Lampridius, Volcatius, Gallicanus, Trebellius Pollio, Flavius Vopiſcus ab Adriano ad Carinum. *Ammiani Marcellini*, quod ſupereſt, opus nec oratoris omnino, nec hiſtorici. *Pomponius Lætus* a Balbino & Pupieno ad Heraclium. *Paulus Oroſius*, ſi quis eum antea non legerat, hoc loco evolvet. *Eutropium* item, qui Epitomen confecit rerum Romanarum a Jano ad Jovianum Cæſarem. Sextum item Aurelium ab Auguſto ad Theodoſium. *Flavius Blondus libris* decem *Romam triumphantem* depinxit, & alio opere *inſtauratam Italiam*. Petrus Crinitus poëtas Latinos quinque libris expreſſit, a Livio Andronico Salinatoris liberto ad Sydonium Apollinarem. *Paulus* Varnefridus Longobardus, qui *Diaconus* cognominatur, Cæſares a Valentiniano ad Leonem. Procopius & Agathias res Juſtiniani tranſmiſerunt ad poſteros: ex eiſdem *Leonardus* Brunus *Aretinus* bellum Gotthicum compoſuit: ab is ipſis bellis ad ſuam memoriam, id eſt, ad *Pium* ſecundum *Pontificem*. Romanorum decades ſcripſit Blondus, quas ab inclinatione imperii nominavit. Res eccleſiaſticas a Chriſto Domino ad Conſtantinum Cæſarem Euſebius novem libris explicuit, quæ hiſtoria eccleſiaſtica dicitur: decimum atque undecimum volumen Ruffinus addidit, priorum interpres, ad principatum Arcadii, & Honorii. *Hiſtoriam alteram eccleſiaſticam* legimus trium virorum, quæ ideo *tripartita* nuncupatur, in epitomen per Caſſiodorum coarctatam, a Criſpo, & Conſtantino Conſulibus ac Cæſaribus ad decimum ſeptimum Theodoſii Auguſti. Divus *Hieronymus* Scriptores eccleſiaſticos recenſuit a Petro ad ſeipſum, Theodoſio imperante. *Gennadius* eodem tempore ſuos addidit, a Jacobo epiſcopo Neſibenæ Perſiæ, qui martyr ſub Maximino fuit, ad Honoratum epiſcopum Maſſilienſem. *Beda* presbyter Anglus narrationem eccleſiæ ſuæ literis mandavit. Habemus etiam acta conciliorum, quæ Johannes Gerſon collecta eſſe autumat ab Iſidoro Hiſpalenſi: alii poſt alia addiderunt, ut Pius Baſilienſe, cui ipſe interfuit. Diſſecto ac divulſo im-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

imperio Romano, unaquæque gens, ſuis nixa viribus, res ſibi ſuas domi & foris geſſit . inde ſunt peculiares gentium hiſtoriæ . *Eginhardus* ſcriba Caroli Magni vitam & acta illius commendavit poſteris : de eodem *Turpinus*, & nuper *Donatus Acciajolus* breviter ac nitide . *Gaguinus* res Francorum ad ſua tempora deduxit , id eſt , ad Ludovicum undecimum , admiſtis , ut fama eſt , affectibus : meliore fide *Paulus Æmilius* , nempe de rebus priſcis , id eſt , a primis Francorum regibus poſt excuſſam Romanorum dominationem ad Philippum & Carolum fratres , Ludovici filios . Res Gotthicas poſteris prodidit Jordanus Caſtalio : Hiſpanas Rodericus Toletanus præſul : Saxonicas Albertus Crantzius , Venetas Sabellicus , Aragonenſes Maria Siculus , Schoticas Hector Boëthius ; Pius Pontifex Bohemicas , Beatus Rhenanus Germaniæ origines , ſitum , mores . *Saxo Grammaticus* de Danis ea ſcribit , quæ fabuloſitatem reſipiunt , ut in admirationem aliarum gentium conficta credas , ſed mireris quoque in illo ſeculo , atque illa regione verba & elegantiam dictionis . Fabuloſa ſunt magis , quæ de Britanniæ originibus quidam eſt commentus , a Bruto illos Trojano deducens , qui nullus unquam fuit . De gentibus ad Orientem & potiſſimum Tartaris Agython quidam Præmoſtatenſis librum reliquit , qui in illis regionibus aliquandiu egit abhinc annos fere ducentos . Platinæ Romanorum Pontificum vitas legimus a Petro ad Xyſtum quartum . Joannes Trithemius Abbas Spanhemenſis vitas Scriptorum eccleſiaſticorum congeſſit , orſus a Clemente Romanorum epiſcopo ad hæc tempora : multorum enim meminit , qui adhuc vivunt . Memoriæ mandavit ſua tempora Leonardus Aretinus . Bellum Neapolitanum Alphonſi Pontanus . Michaël Ritius reges aliquot Chriſtianos collegit , in quo opere multa ſunt locorum , hominum , & familiarum corrupta nomina , vitio credo deſcribentium . Baptiſta Ægnatius Cæſares breviſſime recenſuit ad Maximilianum . Navigationes Oceani , & Orbem novum repertum ſuo tempore Petrus Martyr Mediolanenſis monimentis literarum conſignavit . Sed poſtea ſunt res ampliores conſecutæ , & quæ fabuloſæ videbuntur ad poſteros , quum ſint tamen multo veriſſimæ . Sigillatim quorumdam vitas ediderunt varii , ut Tacitus

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

citus Agricolæ ſoceri, Severus divi Martini, Paulinus Ambroſii, Pontius Cypriani, Hieronymus Paulæ, Hilarionis, Malchi. Nuper Laurentius Valla Fernandi regis Aragonum. Antonius Panormita acta & dicta Alphonſi, Fernandi hujus filii. Campanus Brachii. Raphaël Volateranus & in *Anthropologia*, & in *Geographia* multa de rebus geſtis congerit, quæ illius opera vehementer hiſtoriæ proderunt. Sunt alii permulti, qui memoriam rerum juvare poterunt, etſi non ex profeſſo hiſtorici, velut Cicero, Seneca, Gellius, Macrobius. Longe plus Polydorus Virgilius in libris De rerum inventoribus, & Auguſtinus in Civitate Dei. C. quoque Plinius, & Plinii furunculus *Solinus*. Strabo item & Pius Secundus geographi. Ex Græcis Plato & Plutarchus in moralibus opuſculis. Suidas, Athenæus, & poëtarum interpretes, ſi non tam omnia confunderent.

His omnibus jam percurſis quædam velut admonitoria habebimus in bibliotheca, non quæ explicent fuſe, ſed quæ velut digito indicent, & in memoriam reducant. Ea erit brevis annotatio temporum, quale eſt *ſupplementum chronicorum* epiſcopi Bergomatis parum ſæpe accuratum: meliores ſunt Ottho Phryſingenſis, & Rhegino. Euſebius Cæſarienſis plurimum adjuvare partem hanc poſſit, ſi non tam mendoſus veniſſet ad poſteros negligentia, atque inertia deſcribentium. Producuntur illius tempora a Hieronymo per annos quinquaginta, hinc a Proſpero Aquitanico per annos ſexaginta, tum a Matthæo Palmerio Florentino uſque ad annum domini milleſimum quadringenteſimum quadrageſimum nonum: inde a Matthia Palmerio Piſano per annos triginta. Adduntur his quædam Sigiberti monachi Gemblacenſis. Similis eſt Euſebiano labor Bedæ presbyteri, ſed aliquanto explicatior: cui Hermannus Contractus ſucceſſit uſque ad annum milleſimum ſexageſimum ſextum. De rebus Cæſarum & Pontificum Romanorum, ſi cui vacat plura legere, addat licet Antoninum Florentiæ archiepiſcopum. Hi ſunt propemodum Græci & Latini rerum geſtarum authores, qui quidem ad noſtram notitiam pervenerint. Nam qui deſiderantur, ſunt pene innumeri, Græci potiſſimum, quorum quos Plutarchus unus citat, iniri numerus

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

rus non poteſt: idem ait Marathonium bellum a tercentum Scriptoribus mandatum fuiſſe literis. Nec attigi, qui de exigua aliqua gente, vel de una quapiam civitate quædam conſcripſerunt, velut de Flandria, de Leodio, de Trajecto: nec qui linguis vulgaribus prodiderunt ſua, ut Valeram Hiſpanum, Froſardum, Monſtreletum, Philippum Cominium: quorum multi ſunt legi & cognoſci non minus digni, quam plerique de Græcis, vel Latinis. Sed mentio hæc rerum a magnis viris actarum in mentem revocat mihi eum dolorem, quem ſæpenumero cepi animo maximum, dum ipſe mecum reputo, quam diligenter, quanta cura Alexandri, Annibalis, Scipionis, Pompeji, Cæſaris, & aliorum ducum, Socratis, Platonis, Ariſtotelis, & aliorum philoſophorum acta perſcripta ſunt, & ſempiternæ memoriæ infixa, ut periculum non ſit, ne unquam excidant: acta vero Apoſtolorum, martyrum, denique divorum noſtræ religionis, & ipſius, ſive creſcentis eccleſiæ, ſive jam adultæ operta maximis tenebris fere ignorari, tanto ſive ad cognoſcendum, ſive ad imitandum, quam ducum, aut philoſophorum fructuoſiora. Nam quæ de iis ſunt ſcripta, præter pauca quædam, multis ſunt commentis fœdata, dum qui ſcribit affectui ſuo indulget, & non quæ egit divus, ſed quæ ille egiſſe eum vellet, exponit: ut vitam dictet animus ſcribentis, non veritas. Fuere, qui magnæ pietatis loco ducerent mendaciola pro religione confingere: quod & periculoſum eſt, ne veris adimatur fides propter falſa, & minime neceſſaria: quoniam pro pietate noſtra tam multa ſunt vera, ut falſa, tamquam ignavi milites atque inutiles, oneri ſint magis, quam auxilio.

Hiſtoriæ accedat *fabularum cognitio*, ſed eruditarum, quæque ad uſum vitæ, quum res poſcit, accommodari queant: quales ſunt poëticæ, tum apologi Æſopici, proverbiorum & ſententiarum, quibus ſenſus communis addiſcitur. Exclamet hic aliquis: Ecquando tandem omnia hæc legentur? a viris confirmata jam ætate, tum etiam ſenibus eo tempore, quo vel ludendum eſſet, vel nugandum. Nam ſi quis quantum in luſionibus, quantum in colloquiis inanibus, ſæpe etiam noxiis, quantum in torpenti otio conſumatur temporis, expendat, comperiet plane his

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

his omnibus, quæ dixi, percurrendis, atque aliis multo pluribus affatim ſupereſſe. Abundamus tempore, ſi prudenter diſpenſetur, quod male impendendo fit arctiſſimum. Quod ſi idem non poſſit per ſe legere omnia, habeat, ut moris olim Romanis fuit, lectorem, quem diſtincte, docte, expedite recitantem auſcultet.

Cum hiſtoria conjuncta & complicata erunt vitæ publice ac privatim inſtituendæ præcepta. Quæ univerſa inſtitutio eo pertinere debet, ut rectus quidam ordo conſervetur, & ſua cuique maneant debita officia: ne quod natura, & recta ratio inferius eſſe jubet, fiat ſuperius: hoc autem quod authoritate præditum eſſe convenit, vileſcat, nec ipſius imperia audiantur; quodque inſtructum eſſe prudentia par eſt, ſtultitiam in ſe dominari ſinat. Ergo natura corporis atque animi explicata, nemo eſt uſque eo a ſenſu omni, ac judicio alienus, cui non illico manifeſtum fiat, & certum, corpus debere obſequi animo, in animo vero motus rationis expertes rationi ipſi dominæ ac imperatrici, videlicet unde homines ſumus, & ex iis rebus inter quas verſamur, ſimillimæ, conjunctiſſimæque divinæ illi naturæ, quæ regit omnia. Nec dubitandum eſt, quin in ea ordinatio in homine fuerit, quum ille primum e manibus artificis exiret ſibi relictus: quippe opus quodcunque ita eſt pleniſſimum, ac perfectiſſimum, ut eſt ejus opifex peritiſſimus, atque optimus. Sed enim vero omnia ſunt per ſcelus inverſa, ut ſuperiores partes depoſcat ſibi inferius: affectiones contendant pro ratione audiri, ratio victa & oppreſſa obmuteſcat, & ſerviat affectuum temeritati. Hæc eſt æterna in homine militia, ſeu pugna verius: inque eo eſt perpetuo laborandum, & connitendum, ne dominam ſuperet ancilla, in quam tyrannidem exerceret acerbiſſimam, & ab homine degenerare cogeret in belluam. Ad ſuppetias ferendum rationi cuncta *moralis philoſophiæ* præcepta ſunt comparata velut exercitus quidam. Quare noſcendus eſt homo totus intus & foris, intus vero in animo *affectus* & *mens*, affectus quibus incitantur rebus, vel augeſcunt, quibus contra cohibentur, ſedantur, tolluntur. Hoc demum eſt hominem *ſeipſum noſſe*, quod veteri ſapientiæ monitu jubemur facere. Sed hæc oſtenſa eſſe jam oportet in *diſputatione de ani-*

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

anima. quemadmodum vero affectiones animi ſubdentur rationis authoritati & conſilio, hujus obſervationis. Mens autem noſtra ea tenebrarum denſitate obducitur, ut id non diſpiciat : affectus enim peccato incitati ingentem atque obſcuriſſimam caliginem ob oculos rationis offuderunt ; opus eſt ratione quapiam liquida & minime perturbata. Ea vero quænam eſſe vel poteſt alia, vel debet, quam divina? multis, & maximis de cauſis : ſive quia illa eſt omnium ſapientiſſima, ſive quia noſtræ conditrix, atque ideo canon illius, & regula, ut ad nullam, poſſit rectius dirigi ; ſive quod viam, qua ad Deum veniatur, qui eſt hominis creandi finis, qui melius, aut certius, quam Deus ipſe indicarit? Ergo ex Dei doctrina præcepta diſciplinæ hujus erunt nobis haurienda. *Deum nemo vidit unquam*. Dei interpretem, atque internuntium habemus Chriſtum Jeſum, non ejuſdem conditionis, cujus reliquos omnes, ſed Filium, & quidem unicum, quique ſemper eſt in ſinu Patris. Filii interpretes ſunt ejus diſcipuli, tum diſcipulorum auditores, & alii deinceps ſancti viri : tametſi hoc rivus iſte eſt purior, quo propinquior ſuo fonti. Ex horum doctrina & dictis velut remedia colligentur morbis animi, ut ſub rationis manum & poteſtatem affectiones ſubdantur. Ordinatione hac conſtituta, & quoad licebit fundata, probe ſeſe homo geret ſecum ipſe, & cum Deo, & cum homine ſuperiore, inferiore, pari, ſive privatim, ſive in familia, ſive in re communi omnium, & publica, ſive foris cum exteris. De inſtitutione hac conſcribetur liber aliquis brevis, perſpicuus, Chriſtianæ pietati per omnia conſentiens, quem magiſter enarrabit.

Scriptores humanæ ſapientiæ tractationem hanc *de moribus* quatuor in partes ſecuerunt : in eam, quæ privatim cujuſque animum ac mores informaret, quam *Ethicen* : in eam, quæ familiam componeret, quam *œconomicen* : & quæ cœtus, congregationeſque populorum regeret, quam *politicen* nominarunt. Addita eſt portio illius quædam de vitæ officiis mediis, quæ non tam informatione illa naturali continentur, quam poſita ſunt in more, & educatione cujuſque regionis & populi. Quæ ab eis ſunt his de rebus monimentis literarum poſteritati relicta, ea per ſe quiſque privato ſuo ſtudio evolvat. Sciat modo ſe inter ſpi-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſpinas per loca obſcura ingredi, ut ſuſpenſo veſtigio incedat, nec uſquam pedem ſecurus figat, niſi ubi lucem noſtram admoverit, eaque oſtenderit tutum eſſe illic ſubſiſtere. Neque enim plus illis tribuemus, quamvis maximis & acutiſſimis ingeniis, quam quantum illi cum Chriſtianitate conſentiunt, hoc eſt homo cum Deo. Extant de Ethicis decem Ariſtotelis ad Nicomachum filium volumina, quæ quibuſdam non ad Nicomachum placet eſſe ſcripta, ſed a Nicomacho: quod Cicero in libro De finibus quinto ſubſignificat. Laërtius in vita Eudoxi author eſt, Nicomachum Ariſtotelis filium dicere Eudoxo, *voluptatem fuiſſe ſummum bonum*, quæ ſententia eſt in Ethicis. Suidas ſex illum *Ethicorum libros* ait reliquiſſe, in quo ambigi poſſet, ſint ne hi decem, qui Ariſtotelis inſcribuntur, an duo illa *magnorum moralium*, an octo ad *Eudemum*. Sed cujuſcunque ſint authoris, certe Ariſtotelis nomine viginti habemus libros de moribus; quæ magis ad ſciendum & differendum faciunt, quam ut moveantur, qui audiunt, aut velint ita vivere. Simile eſt huic opus divi Thomæ Aquinatis *ſecundæ* partis *Summæ*, quod duos in tomos dividitur, Scriptoris de ſchola omnium ſaniſſimi, ac minime inepti. Hi libri concinnati ſunt partim ex ſacris, partim ex prophanis Scriptoribus, tum receptis vulgo opinionibus. Multis in locis facile intelligas ſecutum illum eſſe alienum judicium, ſuum non adhibuiſſe, quod fuit ei commune cum ſcholaſticis. Magis ad movendum conferunt Platonica, quæ ſunt de moribus, Xenophontis commentarii de rebus Socraticis, Plutarchi, quæ ſunt item de argumento morum; Ciceronis de Finibus, Tuſculanæ quæſtiones, Lælius, & Cato major: Senecæ de Beneficiis, de Clementia, de Conſolatione ad Martiam, & ad Albinam matrem, de Vita beata, de Tranquillitate animi, de Brevitate vitæ, de Ira, Epiſtolæ ad Lucillium: quæ in hoc fuerunt ſcriptæ, non tam ut mitterentur, quam ut in unaquaque quæſtio aliqua tractaretur de vita, & moribus formandis. Boëthus de Conſolatione philoſophiæ, Petrarcha de Utraque fortuna. Præceptor in his erit ſanctus, incorruptus, qui nihil det oſtentationi: tum prudens non modo in multis diſciplinarum generibus, ſed in vita etiam communi. Tradet ſic bene vivendi præcepta, ut non ſciant ſolum, ſed

inci-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

incitentur, & velint bene agere, nempe erudito sermone atque efficaci, multis tum sententiis gravibus, tum actorum exemplis fulto ac munito. Nec habebit satis indicasse hoc esse bonum, malum illud; sed rationem addet, cur quicque sit tale, cur ab hoc fugiendum, persequendum illud. Vitia nihil habebit necesse curiosius, ac subtilius explanare: utinam malum ne sciremus quidem. Sed quando in civitate, & cœtu hominum alii aliis magistri sunt ad flagitia, & malum quamlibet a præceptoribus celetur, ignorari tamen ab hominibus non potest, obvium ubique aspectui & auditui; idcirco rationem hanc in eo velim teneri, ut quum duæ sunt vitiorum formæ, altera eorum, quæ animo continentur, utilitatis ac voluptatis cujusque expertia, altera quæ in corpus cum delectatione sensuum aliqua manant: illa, quæ sunt animorum, explicentur, & retegantur fuse, tanto scilicet apertius eorum fœditas ob oculos ponetur, ut in superbia, ira, odio, livore, quæ animos hominum vexant, & cruciant, nec emolumenti quicquam adferunt; ut non injuria Furiæ nuncupentur: ea vero quæ vel delectant, vel hominum utique judiciis prosunt, etiamsi omni carent pulchritudine, tamen quia voluptatem præ se ostendunt, hoc est dulcem perniciem, & simulacrum quoddam naturalis desiderii, malim obscure & tectius tradantur, infectando graviter, atque ostendendo quam tetram & in præsens turpitudinem adferant, & in posterum pœnitentiam relinquant. In quo exemplorum deesse nobis copia nequaquam potest, non veterum tantummodo, sed quæ quisque viderit, etiam homo perquam adolescens. Nec velim periclitando esse cognita; trahent enim sæpe eum, qui semel de se gustarit; & in his est violenta consuetudinis dominatio: facilius erit a nunquam gustatis abstinere. Ac quemadmodum Lacedæmonii servos ebrios liberis suis offerebant, ut hi aspecta in temulentis fœditate oris, absurditate dictorum factorumque, ab ebrietate abhorrerent. Sic fuerit operæpretium monstrare juveni tristeis exitus, quos voluptates plurimis attulere. Eundem in modum sit mihi dictum de iis vitiis, quæ cum populari utilitate sunt conjuncta: quod genus habentur avaritia, astutia, fraus, ultio, quæ prava illa imitatione utilitatis non paucis allubescunt.

Illa

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Illa vero ſunt omnium perniciosiſſima, quibus laus etiam atque approbatio accedit. Nam quum id, quod virtuti eſt proprium, transfertur ad vitia, quid ſpei ſit reliquum miſero hominum generi, & ad flagitia proclivi, niſi ut dempta abominatione, qua deterrebatur a ſcelere, ruant omnes in capitalia facinora, de quibus etiam palam perinde glorientur, ut de virtute? Hujus notæ ſcelera ſunt cædes hominum, & crudelitas belli, & apud quoſdam honeſtiſſimarum matronarum conſtupratio. In hæc vitia ex ipſa hominum natura ſumenda eſt oratio, & judiciorum deceptio patefacienda.

Diſputationes ſint in his graves de quæſtionibus vitiorum & virtutum. Licebit hic plus paulo altercari, quam in œconomicis, aut politicis: ſed de iis potius quæ ad diffinitionem ſpectent naturæ affectuum, quam ubi diffinitum jam, & conſtitutum fuerit, quemadmodum ſit vivendum.

Vitæ officia ex prudentibus, & bene educatis in populo diſcuntur; ſunt enim ſingulis nationibus ſua. Sed a prudentibus in quoque populo eſſet curandum, ut ex iis civitatibus quas ipſi adjiſſent, ea deſumerent ad uſum ſuorum, quæ rectis eſſent judiciis conſentanea, quæque perverſos ſuorum mores corrigerent, proviſo ne ingenio ſuæ regionis adverſarentur. Nam ſunt quædam Germano congruentiſſima, parum apta Hiſpano. In his vero locorum, temporum, hominum diſtinctionibus moderatrix eſt prudentia, quam ubique præſto adeſſe convenit. Græci olim de officiis ſcripſerunt Panætius, & Hecaton. Sed nunc ſola habemus Marci Tulli, quæ ad Chriſtianiſmum divus Ambroſius tranſtulit. Sunt & a Joviano Pontano nonnulla de magnificentia, de conviventia, atque hujuſmodi tractata, non adeo, ut res tanta poſcebat, plena.

Rei familiaris cura non ad quærendas aut conſervandas opes referenda eſt, ut fere Gentilitas putavit, ſed ad quietem, & tranquillitatem familiæ: ut commode tranſigamus vitam, ſitque domus ſua unicuique velut portus quidam moleſtiarum, & curarum. Itaque aſſignandum eſt cuique in ea ſuum munus maxime aptum, ne quiſquam ſit in ea otioſus, neve alienum officium invadat, labori, aut

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

aut commodis ſuis conſulens. Tum ut bene, ac ſalubriter paſcantur, utiliter veſtiantur commode habitent, bene velint inter ſe, domum ipſam, non minus, quam patriam diligant, nutricemque quamdam eſſe exiſtiment, ſeu matrem verius. Dominus ſit præfectus, & exactor omnium, quem ut patrem ament omnes, revereantur ut dominum: illique uni ſupremum ſit jus in cunctam rem familiarem. Hæc eſt familiæ inſtitutio, de qua præcepta edet philoſophiæ moralis pars illa, quæ a Græcis *οἰκονομικὴ* nominatur. Scripſerunt de illa Xenophon Atticus, qui reliquis plurimorum judicio anteponitur. Ariſtotelis opus non extat integrum. Multa hac de re ſparſim a Platone & Plutarcho dicuntur, qui etiam præcepta connubialia compoſuit, ut Eraſmus *librum* de *matrimonio*, & Franciſcus Barbarus de *re uxoria* multis in locis inanem. Nihil eſt opus auditorio vel præceptore, non diſputationibus, ſed colloquiis cum patribusfamilias prudentibus, quale eſt Socratis cum Iſomacho apud Xenophontem.

Reſpublica ad quietum, pacatumque convictum pertinet, ut cives mutuo juvent & libenter & benevole. Charitas communicatione utilitatum extenditur, quies ab eadem charitate conſervatur. Verum ubi charitas abeſt, juſtitiæ officium in ejus locum ſuccedit, non illius blandæ ac inermis, ſed armatæ poteſtate, ac viribus, quæ frænos concitationi animorum injiciat. Et quando ſæpenumero non poteſt unus juſtitiæ adminiſter omnia obire, quæ in civitate juſtitiæ opem implorant, electi ſunt alii poteſtate vel pari, vel impari, qui magiſtratus, & judices nuncupantur. Hæc ergo eſt forma reipublicæ, hæc philoſophiæ politicæ conſideratio, & cura, quos affectus eſſe conveniat civium inter ſe, ſubditorum erga principes, & magiſtratus, magiſtratuum inter ſe, & adverſum ſubditos, quæ ex his affectibus actiones, & opera naſcantur. Quum vero dicitur, quod jus cuique in rem, aut homines; jam leges inferuntur: nam politica diſciplina ſolos informat animos, & mores civitatis; quamquam attingunt non raro hæc mutuo, ut leges multæ ex politica ſint, & e contrario. Neque hic magiſtrum requirimus, neque diſputationes, ſed eam animadverſionem, quam initio diximus de affectionibus animi, ac moribus. Hinc uſum

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

uſum rerum in foro, & curia. Senes nonnunquam de republica inter ſe differant ſeniliter, admiſſis eo juvenibus, ut ab eis & rerum peritiam, & morum gravitatem accipiant: quam gravitatem, quemadmodum præclare ait Cicero, minime contentiones decent. Quocirca cavillatores & pertinaces publicis conſiliis nequaquam ſunt idonei: quoniam nihil eſt in vita, & moribus hominum, quod detorqueri, ac inflecti a recto cavillando non poſſit. Solicitum vero magis eſſe de victoria, quam de veritate, prudentiam corrumpit, ut idem inquit Cicero. Adminiſtrationi reipublicæ opus eſt judicio ſano, integro, ſolido magis, quam arguto, aut acuto, ingenio frigido, & tardiuſculo potius, quam fervido, ac præceleri: ut ſimpliciter, quæ ſint dicta in conſilio, accipiat: multumque de eo apud ſe cogitet prius, quam judicium mentis ſuæ proferat: facile vero in ſententiam recte cenſentis tranſeat ſine contentione, & ſpinoſis ſubtilitatibus, anxius magis de communi bono, quam de exiſtimatione ſui. Ideoque ad regendos populos Romanus, quam Græcus, melior, & gentes ad Septentrionem, quam ad Meridiem. Populari enim & carbonaria trutina appendendus eſt plerunque populus, non exacta illa aurificis ſtatera. Rector conventus hominum haud ignorabit ſeſe velut ædificii totius architectum eſſe, quemadmodum ſcite Ariſtoteles docet, ut jubeat, ut vetet quid in civitate fieri oporteat, aut ſecus. Quare convenit eum ſi non ſigillatim exacte, generatim certe & ſumma quadam ſcire, quorſum diſciplinæ, & artes omnes pertineant, quæ illarum origines, fines materiæ, actiones, & earum quæ manibus exercentur, & quæ ſolo conſtant ingenio: ut norit, quid, quatenus, quomodo ſit in civitate admittendum, aut ab eo propellendum. De republica ſcripſerunt olim Plato primus, ſecundum cujus inſtitutionem tum demum vivent homines, quum aliqua exiſtet civitas ſolis ſapientibus habitata. Idem Utopiæ contingit Thomæ Mori. Legenda tamen & Platonis reſpublica, & ejuſdem leges, atque hæc ipſa Utopia, ex quibus non pauca annotabuntur regimini civitatum perquam utilia. Ariſtotelis octo libri politici plus habent, quæ hominum & ingeniis, & uſu confirmatis jam moribus congruant, ut fuit vir ille prudentiſſimus, & callentiſſimus ſenſus com-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

munis. Ciceronis libri de Legibus tres lectu sunt perjucundi, nec fructu carent. Sed ejusdem de Republica volumina desideramus. Isocrates Nicocli regi dat præcepta, tum subditis, in συμμαχικῷ qui in tractatione locorum communium est cunctus, ut solet. Xenophontis Cyri educatio, quamvis a Cicerone, & aliis veterum apprime laudata, nimis tamen videtur mihi militaris. Agapetus ad Justinianum Augustum documenta quædam composuit de rege. Christiani Principis institutionem Erasmus scripsit. Francisci Patritii de republica, & regno, duo legimus opera justæ magnitudinis; in quibus dicta & facta multorum congessit, de suo pene adjecit nihil, otiosus multis in locis, ac segnis, quod sine delectu aggregavit, & sine censura, quæ duo in adducendis exemplis potissimum requiruntur. Hæc est ars principum, consiliariorum, judicum, denique eorum qui civitates, & gentes moderantur.

Formæ civitatis adnexæ sunt *leges*, quarum origo & processus ad hunc fere modum habent. Hominum civitates, ac conventus omnes æquitate sunt velut glutino devincti, quippe, quæ est conservatrix, & anima cujusvis humanæ societatis. Quæ sit vera æquitas, inveniet ratio, non quælibet, sed pura & magna vi naturæ incitata, vel illustrata monitis sapientiæ. Nam qui vel perturbantur affectibus, vel judiciis sunt torpentibus, nec ullis philosophiæ præceptis eriguntur, ægerrime ad æquitatem intuendam perveniunt. Superiores illi, qui sunt de rara in populis nota, æquitatis illum ceu fontem in rivos deducunt pro locis, pro temporibus, pro ingeniis hominum, ut præsentis societatis usui conducat, quæ lex dicitur: qui vero legi parere alios cum potestate cogit, *judex*, sive *lex loquens*. Quocirca manifestum sit, *philosophi* esse de æquitate tractare, & ex ea derivare leges, nec ullius artis alterius esse potest: quique olim populis leges sanxerunt, philosophos fuisse constat, Draconem, Solonem, Lycurgum, quique de republica & civitatibus componendis documenta tradiderunt. Qui vero leges has latas jam & receptas tenent, atque interpretantur, *jurisconsulti* sunt dicti, quod ab eis quid sit jus in quaque re sancitum, rogamus. Si quis satis putat se munere jurisconsulti facturum legibus his edisce-

dis,

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

dis, ut eas non aliter quam index quidam teneat, is nimirum nihil aliarum facultatum indiget, ac ne ingenio quidem ullo vel judicio. Sin vero id demum eſt veri & perfecti juriſconſulti munus, ac profeſſio, ut legum ſenſa & mentem explicet, ut quæ ſit in quaque lege æquitas, id eſt, qui vigor, quæ vita, quas conſervari, quoque tempore expediat, quas antiquari, nimirum philoſophia huic homini eſt opus, mediocriter quidem naturali, ſed morali plene, ac abſolute: tum vero non ſacerdos ac profeſſor fuerit Romanarum aut Hiſpanarum legum, ſed quod Celſo, & Ulpiano placuit, *boni & æqui*. Cujus artem per magna aliqua excogitari ingenia equidem percuperem, quam futuri juriſconſulti addiſcerent, quæ *ars juſtitiæ* vocaretur: ne tot ſubinde in unaquaque civitate accumulandæ, atque exaggerandæ forent leges aliæ ſuper alias ſine fine, & ſine affectu. Cicero perſona L. Craſſi cogitaſſe aliquando ſe ſcribit, ut jus civile in artem redigeret, generibus primum aſſignatis, hinc formis, quæ a generibus penderent. Sed id breviter percurrit, & per tranſennam oſtendit, ut illic alia. Ariſtoteles initia ſignificavit quædam, ſed more ſuo intricate per geometricas & arithmeticas proportiones. Poſſet tamen aptius id fieri declarandis primum naturalibus, id eſt, quæ eſſent univerſorum hominum ſenſui ac judiciis conſentanea: hinc quæ varietatem opinionum recipiunt, de quibus alia rectis judiciis in pleriſque congruunt, alia in more tantum & conſuetudine ſunt poſita, mutanturque temporibus, locis, perſonis; habent tamen qui inter ſe diſſentiunt, probabilem quiſque opinionis ſuæ rationem: hæc poſtrema ad judicium hominum in quaque civitate prudentium eſſent relegenda. In duobus alteris contemplandum, quæ magiſtratus ſit erga privatum cura, quod juſſum, quod imperium, quatenus liceat, & fas ſit: quæ privati erga magiſtratum obedientia, qui honor, quæ dignitas. Magiſtratus inter ſe qui quibus potiores, quorum partes in republica magis neceſſariæ, vel honeſtæ. Privati inter ſe quo modo ſe gerent emendo, vendendo, locando, conducendo, permutando, donando, accipiendo, promittendo, iis quæ proſint ſibi, parandis, & conſervandis, iis vero quæ obſint, avertendis: quæ præmia & honores iis, qui cœtui profuiſ-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſent, quæ pœnæ & ſupplicia iis, qui læſiſſent: quæ litium ratio, ſive quid ultum velis, ſive tuum repetas, quæ tuendi, quæ excipiendi, aut negandi. Ad quam ſingula iſtorum accommodari normam natura, & recta doceat ratio, ſive in univerſum, ſeu pro ingeniis generatim locorum temporum, hominum.

Ante omnia leges ſint notæ omnibus. Quis enim libenter ſe vel duci, vel cuſtodi incognito committit? Quæ vero eſt iniquitas ignorantia legis crimen non defendi, quum leges tamen ignorentur? Itaque leges ignotas ſtatuere decipulas eſt tendere, non regulam vitæ tradere. Minus eſt cavillo & inſidiis occaſio in re omnibus perſpecta: quippe in obſcuris & occultis locis inſidiæ fiunt, non luci, aut in frequentia ſub tot oculis, teſtibus, atque arbitris eorum, quæ gerantur. Notæ erunt, ſi brevi ſint, ac dilucido ſermone conſcriptæ, quales ſunt leges optimi, ac ſapientiſſimi legum latoris Dei & diſcipulorum ejus. Si paucis, & maxime propriis verbis res exponatur, tantum erit ad notationem æquitatis dictum, quantum fuerit ſatis: cetera benignæ interpretationi relinquentur, ut validiſſimus ubique ſit reſpectus *æqui & boni*. Quod ſi longa & accurata oratione rem perſequamur, omnia videbimur voluiſſe explicare, nec aliquid ſanis interpretationibus reliquiſſe. Ita nec magis valebit lex, quam quantum eloqui conſtitutor ejus potuerit: quumque nulla ſic tanta facundia, quæ vaſtiſſimum illud æquitatis pelagus poſſit concludere; fiet profecto, ut excluſa *æqui & boni* moderatione, in locum illius cavilla, doli, fraudes, inſidiæ ſuccedant, quod evenire quotidie videmus in eis legibus atque inſtrumentis, quæ perſequi minutim volunt ſingula: ut nihil ſit aliud hoc facere, quam feneſtras aperire fraudi quamplurimas. Vulgari prodantur ſermone & cumprimis aperto, ac perſpicuo, qui ſi procedente tempore, ut fit, obſcurior reddatur, declaretur, aut innovetur vocabulis ſeculi præſentis. Vidit hoc priſcorum hominum & providentia, & æquitatis ſimplicitas, qui *leges duodecim tabularum* pueris in ludo ediſcendas dabant, etiam ætate Ciceronis, id eſt, poſt annum pene quadringenteſimum: per quod & facilitas ſermonis oſtenditur, & quod vitæ degendæ rationem unicuique familiarem eſſe vellent. Sint leges

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

leges imbecillis blandæ, robuſtis robuſtæ, pertinacibus feroces, quod eſt optimi rectoris ingenium, ſicut elegantì verſiculo ſapiens expreſſit poëta.

Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Publicam quietem alant, & foveant, aſpere interturbatoribus illius, cujuſmodi ſunt delatores, calumniatores, quique multo libentiſſime, & facillima quaque de cauſa lites ſuſcipiunt: ut quemadmodum Iſocrates admonet, damnoſum homines ſentiant litigare, contra non litigare fructuoſum. Nec ſolum dabunt operam ut civium conſervetur inter ſe concordia, ſed cum toto hominum genere, quos regeneratio myſtica tam jubet haberi pro civibus, quam generatio intra limites eoſdem. Nec quicquam hoc perinde effecerit, ac ſi ad Chriſtianum unicum præceptum ſint accommodatæ, *charitatem* hominum cunctorum mutuam. Quam ob rem nec ſanciendæ leges indigenis utiles, exteris noxiæ. Et quando in bonis civitatis moribus paucæ, ac prope nullæ leges ſunt ſatis, contra vero in malis moribus quantocunque numero non ſufficiunt, non ſolum in reipublicæ conſtitutione, ſed legum juſſu, cui propter potentiam plurimum homines tribuunt, curandum eſt, ut caſta atque incorrupta ſit puerilis educatio: tum in viris & civitate univerſa honeſti, & ſobrii, & verecundi mores, propoſitis ad hoc præmiis, ac pœnis. Prudenter in Cyri educatione inquit Xenophon: *Pleræque civitatum nihil omnino ſolicitæ, quemadmodum pueritia inſtituatur ſuorum civium, nihil ad hæc præcipientes de grandiorum moribus, jubent illis tum non furari, non rapere, non vim domui cujuſquam inferre, non cædere quem non eſt æquum, non adulterari, non contumacem ſe præbere magiſtratui, & alia his conſimilia. Quod ſi quis contra fecerit, pœna eſt illico parata. At leges Perſarum facinora ſuorum antecapiunt. Si quidem a primo ſtatim curæ illis eſt, ne quod pravum, ac fœdum facinus velint ædere.* Sic Xenophon. Philoſophus etiam ille non minus ſapienter, qui rogatus, quomodo quis bonos haberet liberos, reſpondit, ſi eos in civitate bene inſtituta tolleret. Et leges quidem antequam fixæ ſint & ſanctæ, rogari convenit, hoc eſt, deliberari cum multitudine, an approbari oporteat: in qua conſultatione tempus conſideratur potiſſimum, in quo præ-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſens rerum ſtatus continetur: & feruntur vel infinite, vel ad certum aliquod tempus, & deſcriptum locum, vel etiam de uno aliquo homine, aut municipio, quod *privilegium* nominatur. Si lex placeat, proponatur publice dies aliquot: quod trinundino fiebat Romæ: ut ſi quid cuiquam parum videretur æquum, de eo magiſtratus admoneret: poſt id tempus firmæ ſunto leges & ratæ. Perſcribantur accurate, diſtincteque ſerventur in tabulario populi, loco maxime tuto, minime ruinæ obnoxio, vel quod eſt magis cavendum, incendio. Extent earum codices duo, in altero contineantur leges nudæ, cujus ſubinde fiat populo non legendi modo, ſed deſcribendi etiam, ſi velint, copia. In altero leges ſint cum earum rationibus & cauſis, ut ex eis prudentes viri æſtiment, ſit ne e republica abrogari legum illarum quampiam vel aliquid in ea innovari. Nam *ratio* dux eſt legis: ea ſublata & legem tolli par erit, quæ propter eam rationem eſt accepta. Adde quod ratio efficiet, ut melius intelligatur lex. Sed in noſtris ingeniis ea eſt hebetudo ac ruditas, & in verbis infantia, ut nihil valeamus adeo dilucide explicare, quin multis id fiat implicatum, & obſcurum: quare interpretibus eſt opus.

Et quoniam *Jus civile* ſpectare ad civium concordiam debet, ideo qui illud interpretaturi ſunt, & quaſi de eo edituri oracula, quibus rebus ea concordia ſarta tecta conſervetur, ediſcent, cognitis tum humani generis communi natura, tum multarum gentium animis, & moribus, ſed potiſſimum ſuæ civitatis: quod fiet multa videndo, audiendo, obſervando: geſtis quoque rebus majorum legendis, & temporum, mutationumque, quæ aliquando inciderunt in rempublicam, varietatibus. Quibus velut condimento opus eſt magno & vegeto judicio ad annotanda & cenſenda ſingula. Nec injuria *prudentiæ* nomen peculiare huic hominum generi olim fuit, & profeſſio ipſa *juriſprudentia* nuncupata. Multi autem hanc teneant, profiteantur pauci, illi videlicet quibus a ſenatu, aut principe erit permiſſum, ut Romæ fiebat ſub Cæſaribus. Interpretentur hi leges ſcripto quidem rogati a judice, voce conſulti a litigatore. Interpretationes mandent literis, ſi velint, ſed lingua ſecretiore, & tantum doctis nota, non ex

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ex ſuis vel alienis opinionibus ac placitis, ſed ratione adhibita, ut non plus habeant virium, quam ratio ipſa impetrarit. Nihil ſcribatur aliud: neque excogitentur *caſus*, quæ res ut infinita eſt, & perplexa, ita etiam inutilis.

Docendi & diſcendi hæc erit via. Graviſſimis viris pateant libri illi legum, & rationum, de quibus dicebam modo. Ipſi ſtatis anni diebus, quod commodo illorum fiat, placide ac moderate conveniant, deque illis legibus ſermocinentur. Rationes conferant, quas leges ex uſu ſit antiquare, quas renovare, & quaſi reparare exoleſcentes: deque eo Principem, aut magiſtratus, aut ſenatum edoceant. Hujuſmodi erant Athenis *Theſmotetæ*, dum illa reſpublica ſtaret. Ad hos ſenes, quum licebit, ſtudioſi juris ventitabunt, quod eſt memoriæ proditum de Q. Scævola; audient eum reſpondentem conſultoribus de jure. Seorſum vero exponet eis cauſas, & velut fontes legum, vel quas ipſi iidem dedere, qui tulerunt, vel ſuas, vel priorum interpretum juris. Ipſi inter ſe moderatis, ac gravibus colloquiis diſputabunt, quam congruant leges rationi, ac velut vitæ ſuæ æquitati: an cauſæ & tempora imponendi legum præterierint. Id fiet non in cœtu & corona oſtentatione titillante, ac ſolicitante: periculoſum eſt hoc enim & dicentibus propter arrogantiam, & audientibus, quod eorum animi minus obſequentes legi fient, quam intellexerint fortem habere contra ſe rationem, cui uni humanum ingenium ſuapte ſponte obſequitur. Ad hæc altercationes multas, anſas torquendi leges oſtendunt, tum etiam lites excitandi, alendi, producendi, unde concordia vehementer affligitur, præcipuum ſocietatis bonum.

Inter *ſcriptas leges*, quas quidem novimus, *Romanæ* videntur excellere. Sunt enim ad humanum convictum aptiſſimæ, nempe ad contrahendum: tum ad quietem, ut homines a facinoribus deterreant, neu quis audeat cum altero conſociare injuriam. Sunt præterea docte & graviter perſcriptæ, verbis puris, propriis, evidentibus, ſplendidis: tum a collectioribus ordine quodam conſtructæ ſatis ad diſcendum appoſito, niſi quod interdum correctio illa priorum per poſteriores aliquid obſcuritatis gignit, & inſcitia ſuperiorum ætatum, multa, quæ non intellexit de-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

pravavit. Sed corrigi poſſunt ex codice, qui Piſis Florentiam dicitur eſſe translatus, quem autographum eſſe quidam ſuſpicantur : ſed eſt ſane pervetuſtus, & aliis emendatior. Addantur enarratiunculæ breves, ac perſpicuæ : quamvis jam locis aliquot factu eſſet prope impoſſibile, ſive ob intricatum ſermonis contextum, ſive ob ſignificatus quorundam verborum, qui exoluerunt penitus.

Exercitatio earum ſit in reddenda earum ex bono & æquo ratione, cur quæque conſtituta ſit, & ſancita ; quod ut eſt magnorum ingeniorum, ita ad ſummam prudentiam cumprimis expedit, tum ut in aliis quoque negotiis dux ſit nobis ratio, cujus ope ad cognitionem veniamus perfectæ æquitatis. Non ſunt in ſingulis artium ii legendi ſoli, quos præſcripſimus, nam fugiſſe nos aliquos cognoſci digniſſimos non dubitamus : & exiſtent poſt nos alii vel pares majoribus, vel ſuperiores etiam. Magiſtrorum fuerit ea cura, ut ipſi deguſtent omnia, & ſuis demonſtrent, quæ ediſcenda, quæ legenda, quæ habenda in bibliotheca ad conſilium, quum res ferat, interdum quoque ad ornamentum modo loci, atque explendos forulos. Qui majore vi mentis inſtinctus divinitus non humilibus detineri curis poterit, ſed ad commercia ſeſe cœlitum eriget, felix ille & ſuperis charus, is ad Theoſophiam & Theologiam aſcendet. De hoc beato atque admirabili non eſt nobis dicendum cum aliis, & jam de curſu tanto feſſis : propriam curam exigunt hæc. Dicemus aliquando, ſi Deus dederit, per otium, renovato animo, & majore Muſarum ardore incitato. Nam ea res amplior atque auguſtior, quam homines opinantur.

DE

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

DE VITA ET MORIBUS ERUDITI.

CONfecto curriculo artium humanitatis, declaremus jam, quid nobis videatur faciendum docto viro, quomodo reliquum ætatis tranſigendum ſive ſeparatim ſecum, ſive cum aliis, in uſu atque exercitio ſuarum artium, in traditione earum: quomodo inter profeſſos artem ac diſciplinam eandem, ut ille ſe erga illos geret, eorumque de ſe opiniones accipiet, & cenſuras: quo pacto ſua conſignabit literis, & tranſmittet ad poſteros. Non eo quo ſingula perſecuti ſumus ordine percurret, ut ad poſterius ſtudium tranſgreſſus, nefas eſſe exiſtimet prius reſpicere: miſcebit ſtudia, & prima in tertiis repetet, tertia in ſextis. Nam connexionem inter ſe habent omnia hæc, & affinitatem quandam: alia in manus reſumet, quia neceſſaria præſenti uſui, alia quia levamenta præſentis laboris. Erit ſciendi ſtudioſus. Nec ſe unquam ad faſtigium eruditionis perveniſſe arbitrabitur. Sententia Senecæ eſt animadverſa acutiſſime, *potuiſſe multos ad ſapientiam pervenire, niſi ſe jam perveniſſe crederent*. Idem ad Lucilium eſt author; *Tamdiu diſcendum, quamdiu neſcias*; & ſi proverbio credimus, *quamdiu vivas*: quandoquidem nihil eſt in univerſa natura tam promptum & facile, quod non totam hominis ætatem poſſit diſtinere. Non erubeſcet homo ſciendi cupidus a quocumque diſcere, qui docere quid poſſit. Cur hominem ab homine pudeat diſcere, quum humanum genus multa a belluis diſcere non puduerit? Ita vero ſtudendum, ut non obruatur ingenium mole operis. Valetudinis habenda imprimis ratio, & eorum qui noſtræ ſunt curæ commiſſi. Docti homines, quum intelligunt ſe ingenio, conſilio, cognitione rerum præſtare cæteris, aut certe ſic alios exiſtimare, ingentes attollunt ſpiritus, tanquam ipſi homines inter pecudes vivant, unde incredibile eſt dictu, quantopere arrogantia invaleſcat. Sancte illud a Paulo Apoſtolo dicitur,

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

tur, *inflari homines ſcientia*, *charitate ædificari*. Sed reflectet in ſe oculos ſapientiæ ſectator, nec plus aliorum de teſtimoniis, quam ſua ipſius acquieſcet conſcientia. Reputabit quam multa ſibi eſt conſcius ſe ignorare, quæ alii eum ſcire non dubitant: quoties hallucinatur, labitur, fallitur, & a vero quam longiſſime diſcedit: ut non ſine graviſſima ratione & cauſa Socrates, quem Græciæ conſenſus ſapientiſſimum nuncupavit, profeſſus ſit, nihil neque ſe, neque alium quemquam ſcire; quod placitum ingens deinde philoſophorum manus conſtantiſſime tenuit. Et profecto ſi quis recte expendat & reputet ſingula, comperiet nihil certius a nobis, quam pietatem noſci. Theophraſti etiam ſententia jure laudatur, quæ cuncti ſciant, minimam eſſe eorum, quæ ignorent, portionem: quod diffuſius perſequi non eſt inſtituti hujus. Quid ſi excutiat ſingula, & ad ſubtile examen revocet? Næ illi tam magnifici tituli ſordere incipient. Linguæ quid aliud ſunt, quam voces? Aut quid intereſt ſemotis diſciplinis, Latine, & Græce noris, an Hiſpane, & Gallice? *Dialectica & rhetorica inſtrumentæ* ſunt *artium*, non *artes*; meliuſque quam natura traduntur a magiſtro. Philoſophia opinionibus tota, & conjecturis veriſimilitudinis eſt nixa. Sed neque hæc ſigillatim exponere eſt hujus loci. Age vero donemus te aliquid ſcire certum atque exploratum; an hoc ignoras alieni te habere beneficii? Cur tibi accommodata veſtis facit animos? Si quid habes boni, alienum eſt: ſi quid mali, id vero eſt tuum unius. Vides te eruditum, munus Dei eſt, cui diſplices, niſi quam inde gloriam nanciſceris, in illum referas. Equidem haud repugno, quo minus vir doctus talem ſe eſſe intelligat, & aliis ſapientiorem, ſed neque eſſet doctus, aut ſapiens, niſi id facile perſpiceret. Volo tamen agnoſcat, cujus ſit ea ſapientia, illique uni referat acceptam, a quo velut fiduciariam poſſidet. Quum ſe admirationi eſſe conſpicit, ne ſiſtat in ſe, quod eſt periculoſiſſimum, nec oculos dejiciat in terram, ut honore illo ab hominibus tributo ſibi applaudat ipſe, tanquam opera & merito ſuo conſecutus, quod eſt *manum ſuam ipſius oſculari*, *iniquitas maxima*, quemadmodum Jobus ait, & *negatio contra Deum altiſſimum*.

Qua-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Quatuor rebus conſtat eruditio, ingenio, judicio, memoria, ſtudio. Tria prima cedo unde habes ? Numquid non ex Deo ? Si qua eſt docti laus, de poſtremo petitur, quæ res infima eſt omnium & leviſſima . Quid quod ad eam ipſam adjutus es conſtitutione corporis non gravi , nec torpida, tum etiam valetudine, quæ Dei ſunt dona? Quid ergo docti ſupereſt proprium, quo gloriari poſſit ? An quod voluit ? At quam multi vellent, ſi tam eis per Dei benignitatem liceret, quam tibi. Itaque inter laudationes ſui erigat ſe vir ſapiens ad contemplationem ſanctæ illius, & divinæ ſapientiæ, ad cujus infimum, ut Paulus inquit, *humanæ omnis ſapientia comparata mera eſt dementia* . Veniat illi in mentem, ſi homines unius aſpectu guttulæ tantopere commoventur, quid facerent, ſi copioſiſſimum illum & æternum fontem daretur intueri, unde manant univerſa ? Tum adoret demiſſo animo authorem bonorum omnium, & agat gratias, quod munera ſua copioſius dignatus eſt ſibi, quam aliis impartiri : quodque voluerit ſe eſſe inſtrumentum alicujus partis conſilii, atque operis ſui . Nam nos omnes inſtrumenta ſumus voluntatis illius. Quocirca nullus ſit tanta eruditione vir, & rerum peritia præditus, ut putet Deum indigere ipſo ad effectum conſilii ſui. Primum quod ſolutiſſimæ eſt arrogantiæ, exiſtimare te aliquid poſſe præſtare, quod nullus alius poſſit, ſi eodem applicet animum. Deinde quod non magis inſtrumentis ullis Deus ad agendum indiget, quam luto ad aperiendos cæci oculos. *Ex lapidibus ſuſcitare poteſt filios Abrahæ* . & *infirma elegit Mundi, ut confunderet fortia*. Quod ſi tu, vir ſapientia præſtantiſſimus & inclytus, beneficio Dei tantus evaſiſti, utique in quemcumque ille favorem tranſtulerit ſimilem, fiet ſimilis. Quapropter rogandus ille eſt, qui omnia largitur, & per nos operatur, quæ ipſi eſt viſum, ut nobis potiſſimum eruditio noſtra proſit : ne nos inſtrumentum faciat in bonum aliorum, perniciem noſtram : ne idem accidat nobis, quod vel malis medicis, qui alios curant, ſe non curant : vel tubicinibus, qui alios ad prælium adhortantur, ipſi non pugnant : vel candelis, quæ aliis quidem lucent, ſeipſas conſumunt . Itaque quoties ad ſtudium accedimus, ab oratione auſpicandum eſt ; quod feciſſe Thomam Aquinatem, & alios per-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

permultos ſanctos viros memoriæ eſt proditum : idque eſt orandum, ut ſana ſint noſtra ſtudia, ut nemini noxia, ut nobis & omnibus in commune ſalutifera.

Cæterum ſi omnibus vitæ actionibus propoſitus eſſe debet finis aliquis, quanto magis ſtudiis ? ut conſtitutum ſit nobis, quo pertineat labor noſter. Neque enim ſtudendum eſt ſemper, ut ſtudeamus ſolum, nec ut ſe animus inani quadam contemplatione ac cognitione rerum exlex & immunis oblectet. Negat Socrates vacare ſibi ad interpretationem fabularum poëticarum, quoniam nondum norit ſe : & ridiculum ſit eum, qui ſe non norit, aliena ſcrutari. Multo minus ſtudiorum fructus pecunia æſtimandus eſt : quem unum eſſe arbitrantur homines ingeniis abjectis, quique plurimum a vera ſtudiorum ratione abſunt. Nihil eſt enim tam diverſum literis, quam pecuniæ vel cupiditas, vel cura : ut quocumque hæc incubuerit, protinus ſtudium rerum cognoſcendarum expellat : quod ſe bona fide niſi liberis ac morbo illo ſolutis pectoribus non committit. *Ditandum*, inquiunt ; *poſtea philoſophandum*. Minime gentium : imo contra, *philoſophandum prius*, *poſtea ditandum*. Nam ſi prius ditere, philoſophari mox noles, & de opibus ſolicitus, & in mille raptus vitia, uſum divitiarum ignorans, philoſophiæ neſcius. Quod ſi ſemel philoſophere, expeditum tibi erit poſtea ditari, quantum ſat erit. Nullam allegare cauſam quis poteſt, quo minus in philoſophia ponat operam, quin ea ipſa ad ſtudium ſapientiæ illum impellat. Philoſophandum eſt pauperi, quia non habet, ut levior ei fiat paupertas. Philoſophandum eſt diviti, quia habet; ut rectius opes adminiſtret. Philoſophabitur felix, ut felicitatem probe regat. Philoſophabitur infelix, ut infelicitatem lenius ferat. At vero ex artibus, ut quæque cum majore hominum malo venduntur, ita minime oportet ob quæſtum exerceri, ut jus, medicinam, theologiam. Non ingeret ſe vir doctus ad capeſſendam rempublicam ; etſi optare debet prodeſſe quamplurimis : non arbitrari ſe uni ſibi natum, quod priſcus philoſophus Platonem admonuit ; unde eſt illud Apoſtoli : *qui epiſcopatum expetat*, *bonum opus expetere*, tum ut occupet bonus eum locum, quem occuparet malus. Sed non habet i-

dem

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

dem & gratiæ & virium ingeſtus, quod aſcitus. Si accerſatur, contempletur diligenter prius animos ſuorum civium, ſani ne ſint, an ſanabiles: ut ſi qua parte prodeſſe queat, non recuſet laborem; ſin vero inanem atque irritam ſumpturus eſt operam, omnino abſtineat: quod feciſſe Platonem perhibent, quia populi ſui mentes adduci ad ſanitatem aliquam poſſe deſperaret. Corda vero plerumque Principum adeo ſunt corrupta, & magnitudine illa fortunæ ebria, ut nulla arte refingi queant in melius, medentibus aſpera atque infenſa. Sinendi ſunt valere illi *cæci*, ut Dominus dicit, & *duces cæcorum*: curam noſtram traducamus in populum magis tractabilem, quique ſe curantis manibus faciliorem, atque obſequentiorem præbet. Quod & fecit idem Chriſtus, apud quem non pluris eſt plebejus quivis, quam Princeps.

Nihil perinde artium omnium decus, cunctæque eruditionis, fœdavit, & abjecit, ut quorumdam ſciolorum levitas, qui paſſim aſſentantur quibuslibet, Principibus potiſſimum, novo exemplo magis quam vetere. Sed nec homines vere docti hoc faciunt: populus tamen id diſcrimen non capit: pro doctis habent quoſcumque vident ſpecie aliqua ſermonis Latini vel ſcribere, vel loqui. Atqui tuentur ſe, qui id faciunt, hoc colore, ut dicant, non ſe, quales illi ſint, prædicare, ſed quales eſſe debeant oſtendere. Dilutus ſane color, & quem alii utique non diſcernant: quare aſſentationis damnant literatum, atque adeo etiam ipſas literas, illumque abominantur, qui ſceleroſum Principem tanquam optimum commendet: quin etiam Princeps ipſe, prava de ſe opinione imbutus, talem exiſtimari ſe arbitratur, qualis dicitur, unde arrogantior fit in dies, & intolerabilior, inque inſtituto vitæ genere confirmatur, ex quo videt ſe tantum laudis nanciſci, ut id docti viri monimentis literarum impreſſum, infixumque oportere eſſe cenſeant. Si ſtudioſi aſſentari non conſueviſſent Principibus, & eruditionem illi pluris facerent, & laudari ſe ab illis impenſiſſime gauderent, videlicet juxta priſci poëtæ dictum, *laudatis viris*, tum reprehenſio magni eſſet ponderis: nec aliter acciperetur docti hominis approbatio, quam religioſiſſimi teſtis teſtimonium graviſſimum. Nec minus Princeps quam alius qui-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

quivis ampliſſimum virtutis ſuæ in hac vita præmium duceret erudito ſe homini approbari. Nunc vero pili non faciunt, quæ ſciunt ſe numo uno ſeſtertio; numo vero? imo fruſto panis empturos. Ergo quum res feret, ut ſint a nobis laudandi, parcius laudandum, & ita, ut ſentiant ſe potius admoneri, incitarique, ut pergant, quam gratulationem cani, tanquam curriculo abſoluto. Quumque profecturum te ſperes, libere ſunt reprehendenda vitia, modo acerbitas abſit, & rabies: ſin odium ſolum quæras, neque profis, abſtinendum eſt ab irrito labore. Nec potentum, aut omnino cujuſquam vitiis offundendus color præmii ſpe, aut cupiditate alia, quod eſt magnopere nefarium: nam efficis, ut & illi ipſi audacius male agant, & alii quum illorum exemplo, tum docti hominis aſſenſu.

Sunt alii, qui ſtudiis non pecuniam venantur, ſed gloriam: generoſius ſane quiddam, fateor, verum quæ ut in adoloſcentia, & juventute maximos ſubdit ſtimulos ad honeſtas actiones, ita multorum deinceps eſt malorum cauſa & origo, ſicuti alias oſtendi: quod omnia oculis intuentium tribuimus, nihil conſcientiæ, quæ non aliud quicquam de nobis judicat incorruptius. Ideoque ſpe jam perceptæ gloriæ ſæpenumero decidimus, quod qui falſo de nobis judicarat, errorem ſuum poſt intelligit, aut falli incipit qui recte: etſi crebius evenit, ut deceptæ exiſtimationes vertantur in melius, quippe res veras, ſolidaſque tempus confirmat, inanes autem diſſipat, & abſumit. Quocirca nemo ſe gloriam in poſterum aſſecuturum confidat vano viventium favore, & ſpecie quadam præclarorum operum. Nam extemplo ſimul affectus illi incitati ſubſederunt, in eorum locum judicium ſubit, & quidem exactius. Itaque multos in vita honoratos accepimus, ignobiles, & contemptos poſt fata. Accedit huc, quod uti dicebam modo, opinionum commenta delet dies, recta judicia corroborat. Age vero, quam incerta eſt fama? quam lubrica? Multi immortalitatem ſibi polliciti, ne diuturnitatem quidem aſſequi potuerunt: ut Appion grammaticus, qui, ut apud Plinium legimus, *immortalitate donari dicebat a ſe illos, ad quos aliqua opera componeret*. At ipſius ne litera quidem extat. Quam etiam ini-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

iniqua, ut benemeritis non contingat? Extant Ovidii opera, non extant Chryſippi nec Crantoris. Integer ad nos pervenit Vincentius Bellovacenſis, non Titus Livius, non Polybius, non Marcus Varro, non ipſe idem Marcus Tullius; ut non temere Martialis dixerit, *libro victuro genium eſſe opus*. Adde his, quam eſt varia! Idem alio tempore, & aliis locis pulchrum videtur, & fœdum. Quid quod præclara inventa ingeniis & diligentia ſequentium obſcurantur, ut multis priorum poſteri magnitudine ſua, & quaſi altiſſimis ſubſtructionibus luminibus obſtruant? Sed fac, te nactum eſſe claritatem, laudem, gloriam; quid tibi proderit mortuo? qui nihil eorum ſenſurus es, quæ hic agentur, utique non magis quam equus, quum in Olympiis victor prædicatur, aut Apellis pictura, quam cum admiratione contemplamur? Quid ad Ciceronem, vel Ariſtotelem redit ex tanto nomine? Quid ad alios vel literis illuſtres, vel bello? Sed in ipſa eadem vita quid ſenties abſens de gloria? Quid dormiens? in præſentia vero neceſſe erit, vel eos, qui te in os laudant, eſſe vanos; vel te, qui illa coram dicta libenter audias. Cedo autem, quid tandem dicent? o doctum, o facundum hominem, imo vero: o levem & vanum hominem, ſi tam levem aurulam præmium tibi literati laboris proponis. Quod ſi tu neglectis humanis laudibus, conſcientiæ tuæ volueris ſervire, & per illam Deo; quanto ſolidior tibi, & diuturnior gloria continget, ſi te laudarit Deus vivens viventem, præſens præſentem, immortalis immortalem: qui te ſemper intuetur, qui de te non ex falſo pronuntiabit judicio, ſed ex tuo ipſius teſtimonio? *Non qui ſeipſum commendat, is probatus eſt*, inquit Paulus, *ſed quem Deus commendat*.

Viro docto cogitandum eſt frequenter de migratione ex hoc ævo, deque vita illa ſempiterna, & ita meditandum ſæpe ac multum, ut familiarem ſibi cogitationem mortis faciat, ne ad illius mentionem terreatur. Tum veniet illi in mentem judicis illius, & remuneratoris ſingularum actionum, ad quem brevi veniendum ipſi eſt, finita ſcena, & hypocriſi vitæ: cui ſe approbari unicum erit illius ſtudium. Nam cui ſe vendicare cupiat vel reus vel patronus, ſi ſapiat, niſi ſuo judici? cui athle-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

athleta, cui pugil, cui omnis, qui aliquid agit ſub judice? Poëtæ olim Græco poëma ſuum recitanti, quem omnes deſeruerant, Plato inſtar fuit totius populi Athenienſis; non erit nobis Chriſtus Dei ſapientia? *Magnum eſt*, inquit vetus proverbium, *athletam placuiſſe Herculi*: quantum ergo nos Deo? a quo toties laudabere, quoties aliquid egeris illi gratum. Porro illi nihil eſſe poteſt gratius, quam ut eruditionem, & quæcunque ſua munera in utilitates hominum proferamus, hoc eſt filiorum ſuorum, quibus ille ingentia impartitus eſt commoda, ut mutuo proſint in commune: & vult nos gratuito diſtribuere, quæ gratuito a ſe accepimus, quamquam ipſe pro eiſdem, quæ nobis eſt largitus, copioſiſſime refert gratiam, admirabilem Dei benignitatem: quæ ipſe gratis nobis dedit, hæc eadem, ſi ipſi reddamus, ampliſſime remuneratur.

Hic eſt ergo ſtudiorum omnium fructus, hic ſcopus, ut quæſitis artibus vitæ profuturis, eas in bonum publicum exerceamus, unde merces immortalis conſequitur: non ad pecuniam, non ad præſentem gratiam, aut delicias, quæ fluxæ & momentaneæ ſunt. An vero pecuniæ cauſa recte vivimus, recte monemus, & tam amplum Dei munus, tam vili & contemnendo pretio commutamus? An propter gloriam? Miſer ſi illam tam avide conſector, quæ per tot labores & curas ægre retinetur, incerta, fugax, ut nulla ſit ſervitus cum hac comparanda: miſerior ſi populi voculas re tam præſtanti & ſacra mercor, & laudari a mortalibus malo, quam ab immortali: ab ſtultis, quam ab ipſa ſapientia. O quam aureo piſcamur hamo, & quidem anguilas putres? Bona ergo fide exercendæ ſunt diſciplinæ in eum ipſum uſum, ad quem ſunt a Deo collatæ. Neque enim diſcendum eſt ſemper, nec ad vitam transferenda doctrina. Infinitum quidem ex ſe eſt ſtudium quodcumque, ſed aliqua tamen ejus parte incipere debemus illud ad aliorum commoditates, ac emolumenta deducere: in quo prudentia eſt opus, quia exercitium circa ſingula & ſeparata verſatur, quæ regit prudentia circumſtantiarum omnium æſtimatrix & arbitra.

Proditurus ad hominum occurſus & conſpectum vir doctus,

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

doctus, meditatus & paratus exeat tanquam ad pugnam, ne qua a prava aliqua affectione capiatur, a quibus oppugnamur undique, atque inceſſimur, & qui toties ab aliis auſcultatur, auſcultet ipſe aliquando ſe. Confirmet domi animum magnis & validis cogitatibus ad deſpiſcentiam honorum, & dignitatum: meminerit ejus vocis, quam a Domino audivit, *ſalem ſe eſſe Terræ, lucem Mundi*: nihil convenire minus, quam vel *fatuum ſalem* fieri, vel *lucem tenebroſam*. Cujuſmodi illa exiſtimamus fore, quæ hoc ſale condientur, vel illuſtrabuntur hac luce? Exeat ergo rationibus munitus, ac armatus, quibus reſiſtere oppugnantis aſſultui valeat. Præſtet re vera *ſaltem* & *lucem* compoſitione animi, & moderatione perturbationum, verbis ſapientiſſimis, atque opportunis, ne ſit importuna ſapientia, ac proinde putida, & odioſa: ſed quæ quoties ſe profert, velut ſalus quædam appareat iis, qui adſunt. Geſtum ipſius, & corpus univerſum modeſtia & moderatio decorabunt, dicta vero & facta, gravitas, ac conſtantia, ut aliis ad ſimilem vitæ rationem exemplo eſſe poſſit. Multum quidem perſuadebit oratione, ſed plurimum vitæ innocentia. Et quo ab illo accuratiora prodeant, ac puriora omnia, illud animo ejus perpetuo ſuccurrat, nihil ab eo vel dici vel fieri, quod authoritatem non habeat, & in exemplum a benevolis ſumatur: putant enim eam eſſe legem vitæ: a malevolis autem & invidis ad examen & cenſuram ſiniſtram. Idcirco erit & in agendo cautior, & in pronunciando cunctatior, & omnino in loquendo circumſpectior. Propter hunc bene audient literæ atque artes, multique ejus æmulatione ſtudiis ſeſe diſciplinarum dedent, quarum fructum tam pulchrum, atque admirabilem cernunt. Quam eſt pudendum viris doctis, homines ſæpe imperitos moderatiores habere animi motus, quam illos ſapientiæ præceptis conſtipatos. Qua de cauſa literis frequenter grande fit a pleriſque convitium, multiſque in odium venerunt, qui ſeſe prudentiores fore arbitrantur, ſi illarum nihil prorſum attigerint. Cæterum ea bona, quæ viri docti aſpectui exhibebunt hominum, verius re ipſa præſtent, quam oſtentatione. Prodit ſe tandem male ſimulatus animus, atque eo fit magis inviſus, ac deteſtabilis quo diutius graviuſque impoſuit. Veritatis porro ingentes & ſolidæ ſunt ra-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

dices: & lux, quantumcunque occultetur, ſplendorem ſuum foras emittit. Sapienter Epictetus: *Oves non jactant apud paſtorem, quantum quoque die comederint, ſed id re teſtificantur, lacte, lana, fœtu.* Turba ſtudioſorum ſeculum vocat felix, in quo multa ſit eruditio; non eſt vero id felix ſeculum, ſed illud quum homines docti re ipſa præſtant, quod legerunt, quod profitentur, quod aliis præſcribunt: quum qui audiunt, & vident, coguntur exclamare: hi ſunt, qui loquuntur, ut vivunt: & vivunt, ut loquuntur, quod philoſophos illos de Origene Adamantio dixiſſe Euſebius eſt autor. Ne erubeſcas parum recte facere, quæ non potes melius; erubeſce male facere, quæ potes bene. Præbebunt ſe docti mites, affabiles, moderatos, pravis cupiditatibus invictos, & oſtendent, quantum in hominis corde efficere poſſit ſapientia, ſi regnet: quamque longo interſtitio ſapiens ab inſipiente diſtet. In rebus magnis, & præclaris valere ac pollere ſit eis ſatis: ne cupiant in quibuslibet haberi magni, non in armis, equis, venatione, piſcatione, ſaltationibus, luſibus, dicacitate procaci, aut triviali. Hoc ardelionum eſt, non ſapientum, & fiunt eruditi ridiculi, qui de illis non minus volunt, quam de ſapientia judicare. Nam quemadmodum a luce nihil in obſcuro cernimus, nec ab obſcuro in luce: ita mirandum non eſt, ſapientes hallucinari ad nugas translatos, utique & nugatores in ſapientia cœci ſunt.

Eſt eruditi hominis opus eam ipſam eruditionem in alios transfundere, & quaſi de ſuo lumine lumen in aliorum mentibus accendere: ideoque in viſione Danielis dicitur, *eos, qui ad juſtitiam erudierint multos, fulgere ſicut ſtellas in perpetuas æternitates:* & Dominus noſter *magnum illum vocatum iri ait in regno cœlorum, qui juſtitiæ præcepta & ipſe fecerit, & alios edocuerit.* In docendo quem potius magiſtrum imitabimur, quam illum ipſum Chriſtum, quem Pater ad erudiendum humanum genus cœlitus demiſit? poſt hunc magno intervallo eos, qui Chriſtum ſunt ſecuti. Is vero, quum eſſet divina ſapientia, illa tamen protulit ſola, quæ audientibus eſſent profutura, non quæ, quantus ipſe eſſet, declararent. Nam ſi gloriam ſuam affectaſſet, aut ſeſe patefacere expetiſſet, quæ eſſent ab illo, & quam admirabilia patefacta? ſed quæ captum omnem exceſſiſſent, etiam Angelorum. At vero nobis

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

bis ſerviebat omnis illius oratio, non oſtentationi ſui. Sed nec deliciæ quærendæ ſunt, vel oblectatio. Plinius peculiarem in ſtudiis ſentit cauſam illorum eſſe, qui difficultatibus invicti utilitatem juvandi prætulerunt gratiæ placendi. Paucitate diſcipulorum contentus fuit Dominus, quum Dei ſapientiam, & viam æternæ ſalutis monſtraret Mundo. Quis poteſt de diſcipulorum numero conqueri, quum author humani generis duodecim hominum ſcholæ acquieverit? Frequenti auditorio ambitio magis ſervit, quam ſeveritas inſtitutionis.

Cæterum de ſchola oracula hæc habentur veterum, *docendum ſine invidia*, *abſque rubore diſcendum*, *gratiæ ſemper habendæ docenti*, *aliena inventa ſibi non uſurpanda*. Cogitabit vir ſapiens Mundum hunc eſſe velut civitatem quandam, cujus ipſe ſit civis, aut magnam quandam domum, cujus ipſe ſit de familia: non referre, a quo bene aliquid dicatur, dicatur modo: hic parari opes illas, hic ad publicas relinqui commoditates: parentur, & communicentur, a quo autem, nihil intereſſe. Quare & ipſe ſua pro virili parte conferet, & alios ut conferant, benigne adjuvabit. Et quatenus ſe ac ſuam imbecillitatem cognitam habet, & perſpectam, alioqui nec ſapiens dici poſſet, nec doctus; reputet cum animo ſuo, quantam humano generi inferret injuriam, ſi neminem ſe vel meliorem eſſet, vel doctiorem vellet. Porro de curſu inſtitutionis Socratis ſententiam ex Platone adducit Cicero, quem ſolitum dicere ſcribit, perfectum ſibi opus tum eſſe, ſi qui ſatis eſſet cohortatione ſua concitatus ad ſtudium percipiendæ, cognoſcendæque veritatis. Sed nos ſimilitudine utemur notiore; tamdiu eſſe cuique opus duce, quandiu viam ignoret; eam ubi per ſeſe poſſit peragere, animo indigere magis, quam magiſtro.

Docti inter ſe concorditer, ac humane converſentur. Enimvero turpiſſimum eſt nobis, latrones ac lenones majore inter ſe conſenſione vivere, quam eruditos. Sed nec eruditis unanimitas, ac benevolentia deerit, ſi diſciplinas integre ac ſancte coluerint, non ad gloriam, vel quæſtum: nam ubi harum rerum cupiditas invaluit, difficile eſt ſanctam ſervare ſocietatem. In ſtudiorum collationibus, qui alteri melius dicenti concedit, ne victus nominetur, alieniſſimum eſt ab hac re nomen illud, neque e-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

nim pugna eſt hæc, vel qui differunt, adverſarii: acerbiſſima atque inimiciſſima appellatio in ſuaviſſimam rem, & benevolentiæ natura ipſa plenam, eſt translata. Nam quæ poteſt major inveniri conjunctio vel arctior, quam animi, & ejus, qui illum ad prudentiam aut virtutem excolit? Non alia utique quam arvi, & agricolæ, ut non immerito parentes ſint animorum, qui docent. Et quemadmodum in oculorum, ita in mentis aſpectu. Qui non ſatis cernit perſpicue, acutius cernentis cedat judicio, ſine indignatione. Oculos ille acutiores vel ſaniores eſt nactus, hic ingenium vel natura perſpicacius, vel uſu, ætate, diligentia expolitius. Quid quod interdum animadvertentiæ magis laus eſt, quam ingenii: caſus nonnunquam, ſicuti quum elapſus numus, a multis quæritur? Sed ut nuncupetur ſane, quando ita inveteravit, congreſſus, & lucta, & pugna, & victoria: quæſo expendat quiſque ſecum, quantum ſit beneficium liberari a tyrannide ignorantiæ, quæ ſervitus eſt omnium graviſſima, & teterrima. Sapienter Plato: *Tanto præſtat diſputatione vinci, quam vincere, quanto eſt melius magno malo liberari, quam liberare*. Quid enim exitialius homini poteſt contingere, quam falſa opinio? Ut ſit hoc fortaſſe liberatori glorioſius apud nonnullos, liberato certe utilius eſt. Verum huic tanto ignorantiæ malo libentius eximeremur omnes, ſi diſputationes minus eſſent ſcenicæ, nec tantum tribueretur coronæ, quæ colluctantes cingit: eſſetque amica potius ſermocinatio, quam pugna inimica. Quod quum in genere omni diſciplinæ fieri decet, tum potiſſimum in theologia, ubi contra ſacram veritatem impie confligitur, & ſcrupuli gignuntur in animis audientium de rebus, quas certas, fixas, inconcuſſas haberi fas eſt. Exaſperat porro ſparſos ſcrupulos dæmon hoſtis, atque auget: accommodant etiam homines ſuas manus, dum unuſquiſque de ingenii gloria laborat magis, quam de veritate aſſerenda. Cedendum veritati omni, non piæ modo, & ſacræ, ſed prophanæ quoque: & præcepto ſapientis obtemperandum, quo jubemur *non contradicere, verbo veritatis ullo modo*.

Candidæ ac prudentes cenſuræ vehementer ſunt ſtudiis omnibus utiles, *ſi animi judicium citra damnum affectus profertur*, ut inquit Tacitus: nec quicquam eſt in his da-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

damnoſius quam judiciorum confundi ſigna, ſicut in vita voluntatum : ut neſciatur, quid quiſque aut probet, aut improbet : quod uſu venit hoc tempore, quum periculoſiſſimum eſt de quoquam loqui ; tam irritati ſunt omnium animi, & parati ad pugnandum, ut vel attingere quamlibet leviter non ſit tutum, etiam ſi alio ſpectes : tenera atque infirma conſcientia illico ſeſe peti ſuſpicatur, haud aliter quam ulceroſi equi actutum concitantur, ſtrigile audito. Quanquam vitio huic incitamenta atque incrementa præbuere quamplurimi, qui acerbiſſime alios perſtrinxerunt, non ut veritatem exprimerent, ſed ut ſugillarent, ac infamarens nomen alienum, vel odio impulſi, vel falſæ gloriæ ſpe adacti, exiſtimantes tam ſe habitum iri pulcros, & præſtantes, quam alios tetros eſſe, ac viles oſtendiſſent. Sed illis multo ſecus atque ſperaverant, accidit : nam candoris etiam ineruditi ſua eſt apud omnes laus, malignitatis vel eruditiſſimæ vituperatio certa. Quid, inter hæc odia quantam accipiunt plagam diſciplinæ? Detrahitur authoritas tam odioſe rixantibus, & tam capitaliter inimicis : deſpondent animos excellentia ingenia, quum pertæſa rem adeo amaram, nempe digladiationes perpetuas ab ſtudiis reſiliunt, ac abhorrent : profectus inter hæc ſtudiorum amittitur, atque obſcuratur veritas, dum malunt quidam corrumpi literas, quam inſtaurari per ſuos inimicos. Quantum ſcelus eſt eloquentiam, ingenium, & alia magna atque admiranda Dei munera, hominibus a Deo ad utilitatem hominum conceſſa, in eorum perniciem convertere, per bona malefacere? Hoc vero jam nec ferarum quidem eſt, nedum hominum. Quanto religioſius Quintilianus ethnicus, quam nos Chriſtiani: *Mutos naſci, & egere omni ratione ſatius fuiſſet, quam providentiæ munera in mutuam perniciem convertere.* Quid refert, quomodo impetas alium, ferro an ſtylo, ubi voluntas eſt eadem, & plerunque lingua plus lædis, aut ſtylo, quam gladio : quippe ferro corpus modo conſaucias, lingua vero etiam animum. Artes humanitatis nominantur: reddant nos humanos : a Deo optimo ſunt traditæ, reddant bonos. Nam qui alteri invidet, quod eſt ei Deus largitus, quid aliud quam ſanctum Dei judicium improbat, & diſtributionem munerum illius condemnat? Tametſi quid eſt, quod queri quiſquam poſſit de Deo : An non tecum

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ille egit prolixe? Aliquos ſupra te vides; at quanto plures infra te? Erit vir doctus in definiendo lentus, in aſſeverando minime pertinax. Quæ reprobaturus eſt, etiam atque etiam leget, verſabit, excutiet, ne quid ab eo temere in damnando affirmetur: minus circumſpectum eſſe velim in laudando. Caveat, ne non ſatis intelligat, quæ damnat: ne cui notam inuſturus eſt, majorem pro ſe rationem habeat, quam ipſe contra eum. Conſultius fuerit nihil pronuntiare, quam ut condemnatio in judicem ipſum recidat. Quod ſi hanc ſive prudentiam, ſive benignitatem animi in homine docto requiro, quid me ſentire par eſt de illis, qui benedicta invertunt, & depravant, quo cauſatius exiſtimentur convellere? Nam ſi flectere in melius & pium, & utiliſſimum eſt multis, profecto magnum erit ſcelus in pejus detorquere. Ego *Adrianum Florentium* illum, qui poſtea factus eſt ſummus Pontifex, quum adhuc eſſet decanus Lovanienſis, in publicis ſæpe diſputationibus quæcunque authorum dicta a diſputantibus citarentur, interpretantem pro ſe audivi, nunquam aſpernantem, etiam ſi ex iis eſſent, qui adhuc vivunt, nempe Jacobi Fabri, aut Eraſmi Roterodami. De vivis cenſendum cautius, de mortuis reverentius, qui ſunt jam invidiæ exempti, & redditi ſuo judici, eamque ſubjerunt cenſuram, quæ omnes manet, idque potiſſimum de illorum vita, & moribus: nam de eruditione paulo licebit liberius. Eos per quos profecerit quis, citet benigne, *nec velit*, ut ait Plinius, *in furto deprehendi potius, quam mutuum reddere*, præſertim quum *ſors fiat ex uſura*. Olim adeo erant in ſuum cuique tribuendo æqui, ac liberales, ut ne verbum quidem unum authori ſuo ſurriperent. Declarant id Plato, Ariſtoteles, Cicero, Seneca, Plutarchus, & alii: nunc & verba, & ſenſa, & argumenta etiam integra, nonnunquam inventa, & opera ſubtrahuntur: quod ſervile eſt admodum, magnarumque ſimultatum in ſtudiis origo. Cui enim non ſit grave ſervos ſibi ſuos abduci, nedum filios? Utinam & de hoc *plagio aliquid cautum eſſet lege Fannia*: nec ulla ſpectari convenit diſcrimina vel patriæ Scriptoris, vel ſectæ, vel ætatis: quemadmodum ſtultus ille populus, qui, ut prudenter ab Horatio carpitur, *redit ad faſtos, & virtutem æſtimat annis*. Non quin par ſit,

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

sit, ut libri plus authoritatis mereantur, qui jam tot seculis placuerint, illisque tot ingeniorum consensus approbationis suæ calculum adjecit: de quibus omnibus una illa de Scriptoribus sententia proferenda judicatur. Quid quod novitas omnis judicium præpedit, videlicet nondum bene cognita? Qui in verbo uno aut altero, aut multis etiam quempiam correxerit, ne continuo videri postulet se illo se esse doctiorem, aut magis ad rem attulisse, quod multi sibi ipsi stulte persuadent; ut si quid in magnis authoribus corrigant, illis se protinus anteponi oportere autument: velut quum memoria seu incogitantia magnus vir labitur: nam Horatio vel Homerus ipse *dormitare* nonnunquam videtur: aut quum linguæ ignorantia fallitur, quæ errata Græce, ac Latine semidocti captant, magna sane iniquitate, qui a nobis eam cognitionem Latini aut Græci sermonis exigunt alieni atque insititii, quæ in Cicerone, aut Demosthene vix fuit; vel in quopiam ex illis, qui linguam suxerunt cum lacte, quique populo universo uti quotidie poterant magistro, & de quibus dubitarent, a cerdone vicino, aut fabro admoneri. Quod si isti tam acres censores subituri essent eandem conditionem judicii, mitiores credo se præberent suis reis. Haud pauca iniquissimæ hujus severitatis habemus exempla, non tam prisca, quam seculi hujus finitimi, Vallæ, Politiani, Beroaldi, Mancinelli: non pauciora ætas nostra tulit, ut præteream in hoc genere calumnias, de quibus, quum de corrupta grammatica dicerem, sum locutus. Equidem haud negaverim, quin notari magnos Scriptores intersit eruditionis. Sed non protinus plus aut idem adfert, qui notas, & qui opus composuit. In authore alicujus disciplinæ, boni consuletis errores alterius: ut in theologo historiæ, in historico primæ philosophiæ, modo muneri suo satisfaciat: multo benignius linguæ peccata condonabitis: bonam sententiam Gallice, aut Hispane dictam amplecteremur, non accipiemus vitiose Latine. Ego vero cum Marco ipso Tullio indisertam malim sapientiam, quam stultam loquacitatem. Augustinus recte, qui eo magis ait solæcismis ac barbarismis offendi homines, quo infirmiores sunt: & eo esse infirmiores, quo doctiores videri velint, non rerum scientia, quæ ædificat, sed signorum, qua non inflari difficile est, quum & ipsa re-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

rerum ſcientia ſæpe cervicem erigat, niſi Dominico reprimatur jugo. Nolim tamen hoc ſibi nomine imperiti & ſordidi ſcriptores plaudant, tanquam res habeant, quia verbis carent: imo duplici crimine ſunt iſti damnandi, quod quum rerum eſſent vacui, nitorem omnem; atque elegantiam verborum abjecerunt: nam ſi res eſſent penes illos, indocti profecto atque iniqui eſſet, de vocibus movere illis controverſiam ullam, aut querelam omnino aliquam. Quo apparet multa eſſe verba nequicquam Johanni Pico profuſa in illa ad Hermolaum epiſtola nobili: non enim res ſunt apud Averroem & Scotum, quod ipſe ſibi ſumit, qui a nobis non tam ut ſpurci, quam ut inanes culpantur. In ſcholis, & tota vita quantumcunque ob ingenium, judicium, ſtudium, eruditionem multiplicem, cognitionem variarum rerum late parentem laudetur quis; de virtute certe ac pietate laudari coram non oportet, ne levi illa extollatur aurula, & id ipſum bonum, de quo laudatur, dum laudatur, amittat: nec abſentem niſi parce, & de operibus, quæ videmus. Paulus non vult quenquam *de ſe ipſo judicare, aut ſentire, ſupra id quod videat in eo, vel audiat*. Et Sapiens neſciri ait ab homine *odio ne, an amore dignus ſit*: videlicet finis eſt expectandus in unoquoque hominum, animali ad mutationem promptiſſimo. Viri docti eo inter ſe debent eſſe affectu, ut juxta Pauli ſententiam, nec invicem judicent, nec judicari ægre ferant: ſed utrique expectent patienter tribunal, & forum illud Domini ſanctum & juſtum. Judicans dementer, ac flagitioſe agit, qui de conſervo ſuo communi domino præjudicat. Judicatus autem tractet animo id, quo ſe Paulus conſolabatur: *Ego vero nihili facio a vobis judicari, vel ab humano die*: Dominus eſt, qui vere, & juſte eſt de me ſententiam laturus: illius cognitionem reformido, illi quantum poſſum, me ipſe paro.

Non deerunt magnæ eruditioni, qui invideant: res altas & pulcherrimas morſu appetit livor: fœda & jacentia prætermittit iliæſa. Themiſtocles Athenienſis homo, quod res ejus docuerunt, acutiſſimus, rogatus a quodam, an præclare jam ſibi videretur agere: Nondum, inquit; nam invidos non habeo. Quod ſi ea eſt lex, quam ſibi humana malitia impoſuit, ferat vir ſapiens communem for-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

fortem, nec indignetur ſibi accidere, quod omnibus. Nec a Deo contendat impetrare, quod ab eo Patre Filius non impetravit unicus, chariſſimus, ut in ſuo Mundo deeſſent ſibi calumniatores & malevoli, qui divina illius opera in partem peſſimam raperent. Vult ergo lege hac ſervus nequam domi alienæ ſolvi, qua filius domi ſuæ teneba-tur? Sed nec eſt tamen a benefaciendo propter invidos, & maleficos ceſſandum. Accipite Socratis orationem, quæ eſt a Platone in ejus Apologia perſcripta: *Si mihi viri Athenienſes, in præſentia concedatis vitam hac conditione, ut ne poſthac in ſapientiæ inquiſitione verſer, diligo quidem vos, ſed Deo certum eſt parere potius, quam vobis, ac quamdiu vivam, & valebo, philoſophari atque unumquemque veſtrum exhortari ad virtutem non deſiſtam.*

Et quando is, qui eruditionem eſt nactus, non præſentibus tantummodo, nec iis quibus cum vivit, prodeſſe volet, verum abſentibus quoque & poſteris; ſenſa animi ſui monimentis literarum ad diuturnitatem conſignabit. Principio noſcat ſe, & vires ſuas expendat, quibus polleat rebus, quibus ſit ſcribendis idoneus. Aptiſſimi omnium ſunt ad monimenta ingenii tradenda poſteris, qui judicio præditi vegeto & acri, ad conjectandum ſunt dexterrimi. Qui vero diligentia ſolum valent, ingenio non item, ea ſibi deſumant, in quibus diligentia ſit opus, non acumine. Abſtinebunt ab orationibus, ab hiſtoria, cui conciones ſint admiſtæ, a prima philoſophia, a præceptis morum: tractabunt obſervationes, collectanea nudos annales, emendationes authorum, collatis codicibus, quod fecit Valerius Probus, non addita ſua conjectura; nam hoc munus eſt judicii. Non ejuſdem eſt & multa colligere, & de illis omnibus exactam ſententiam, & judicium promere. Idcirco ſtudioſi, qui nihil intermittendo multa legunt, multa audiunt, multa ſcribunt & colligunt, judicio fere ſeipſos privant, præcipuo bonorum omnium in vita. Danda eſt ſua ſtudiis relaxatio, & vividius eſt judicium animi non fatigati. Curſus, ſaltus, denique labores omnes fortius ac validius ex intervallo exequimur. Scripturo multum eſt legendum, meditandum, ſcribendum, emendandum, ædenda pauciſſima. Harum actionum hæc eſt, niſi fallor proportio. Lectio ſit ut quinque, meditatio ut quatuor, ſcriptio ut tria, emendatio, redigat

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

gat illa ad duo, ex his duobus unum proferendum in apertum . Ad hoc opus maximi momenti purior ab affectibus & ſedatior accedat, quam ad aliud quodcunque, etiam pacem a Deo, & veniam precatus. Veniet illi in mentem vocem diſſolvi ſtatim, exaudiri a paucis, ſcripturam omnibus innoteſcere, & ſemper, idcirco nunquam non lædere, quæ hic ſint mala . Non ſument in manus ſtylum, quandiu ira, vel odio, vel metu, vel ambitione, vel qua alia prava cupiditate agitantur. Si eam deponere non poſſint, ſtylum citius deponant, ne quid veneni in opus transfundatur animo, id eſt, ex fonte.

Poſteaquam ſcripſeris, oſtende iis opus, a quibus recte admoneri te poſſe confidas, eorumque ſententiam attentus ac patienter auſcultato, quam tecum æquo animo reputes, ut quæ videbuntur corrigas. Quanto ſatius eſt ab amico privatim admoneri, quam ab inimico publice objurgari? Sunt tamen nova quædam inventa, quæ melius poterit autor ipſe arbitrari, ac judicare, quam alius quivis. Primum quum pariet, ne afficiatur amore fœtus necdum viſi, quæ res vehementer judicandi facultatem debilitat, quum prius quam cognoſcamus, diligimus : quod parentes in filiis faciunt, qui nondum natos jam amant, quo fit ut mox cenſere de natis non valeant. Hinc quod Quintilianus conſulit, opus aliquantiſper ſeponat, ut ad illud poſtmodum, refrigerato jam inventionis ardore, tanquam alienum redeat lector, non autor : accedet multum judicio ex dilatione, tum comparatione ſui atque aliorum. Quæ omnia ſi probe fit executus, opus tamen pergat placere, bonam debet author ſpem concipere, placiturum quoque aliis.

De emittendo in publicum verſiculus eſt Horatii : *Ne præcipitetur editio, nonumque prematur in annum*. Ex cujus duabus partibus priori conſentio, poſteriori non item. Neque enim videtur mihi in tanta vitæ brevitate expedire, ut nonus demum annus fœtum nobis pariat. Sed neque in univerſum poteſt dari certa regula propter varietatem ingeniorum, & operum : ſatis fuerit admonitam eſſe cujuſque prudentiam, non oportere editionem tanquam immaturum partum ante tempus ejici. Nam re poſita quacunque neceſſe eſt, judicium antequam rite de illa ſtatuat, quæ ad illam pertineant, omnia attente ac ſub-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

ſubtiliter circumſpicere, quod fieri cogitationes præceleres non ſinunt, ut quæ intentionem mentis in unum aliquid rapiunt penitus a contemplatione totius avertunt: itaque fallitur ſcribens ipſe, & falſus alios, qui ſe illius commiſerunt fidei, in eundem ſecum errorem trahit; quodque ſemel erit pravum, ſi de eo admoneatur a quoquam, pertinaciter defendit, ne lapſus credatur; unde oriuntur ſectæ, feraciſſimum rixarum ſeminarium. Sin ipſe errorem ſuum ſponte agnoſcit, non emendat ſimpliciter, ſed ambigue, ac perplexe, nomini magis, quam veritati conſulens. Hinc ſunt editiones fictæ & refictæ toties, ut aliquando poſt neſciatur, quæ prima ſit illarum, quæ altera, vel tertia, quæ autoris ipſius ſententia, qua ſtandum: idque fit tanto confuſius & incertius, ſi quo ſecunda, aut tertia, & aliæ deinceps recognitiones non pervenerint. Neque vero me fugit, eſſe nonnulla, quæ primo quoque tempore neceſſe erit evulgari: de quo genere ſunt narratio rei geſtæ ad plurimos viventium pertinentis: tum quæ inſectandi criminis in commune noxii, aut depellendæ a nobis calumniæ componuntur: ea fatis fuerit diligenter eſſe a nobis excogitata & perſcripta: nam dilationem res non ferunt: nec quæ ſunt ejuſmodi, præcipitata dici debent, ſed maturata. Non deſunt, quæ deterit cura, non emendat: ſunt enim ingenia tam ſubiti ac vividi impetus, ut eorum opera meliora ſint *effuſa*, quam *refuſa*.

Quæ poſt editionem videbuntur authori ipſi parum recte expenſa, corrigat plane, aperte, ſimpliciter, magis de claritate veritatis ſolicitus, quam de ſua ipſius. Sed nec ipſe jacturam ullam fecerit exiſtimationis. Quis enim eſt uſquam adeo rerum humanarum expers, & ignarus, ut neſciat optimos quoſque & ſapientiſſimos viros tempore, ac ſtudio in melius proficere? An ego excellentis ingenii virum nihil plus credam aſſecutum ſenem eſſe, quam juvenem? Iners profecto, ac miſerrimum eſt ingenium, cui non plus poſterior dies, quam prior adfert. Si libri ſint dogmatici, ſparſi jam & evulgati admodum, conſultiſſimum erit librum correctionum exemplo divi Auguſtini componere: aut ſi quid erit addendum, ſecundam æditionem ſeorſim dare, ut feciſſe videmus Boëthum Severinum. Sin opus vel non continet dogmata, vel non adeo eſt diffuſum, licebit, quod eſt apud poëta, *male tornatos incudi red-*

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

reddere verſus, & opus reconcinnare, atque etiam, ſi res ita ferat, retexere de integro. Quod ſi ab aliquo corrigatur, agnoſcat beneficium, & palam agat gratias. Veritas enim pro qua nos in acie convenit ſtare, nullius eſt propria, ſed communis omnium. Quod ſi ille in eam inciderit, iraſci te non oportet, illi potius gratulare felicitatem, quam & tibi licet eſſe cum illo communem. Sed proculdubio ita res habet: qui pro veritate certant, ſic ſunt animati, ut eam a quocunque inventam complectantur: qui autem pro ſuis inventis, id eſt, pro ſuo nomine ac gloria, tanquam *aras* & *focos*, quicquid ab eis prodierit, tueantur: cujuſmodi ſunt in omni quidem diſciplina complures, ſed in iis potiſſimum artibus, quæ circa ſermonem occupatæ ſunt, grammatica, poëtica, rhetorica, & ea, quæ cum his eſt conjuncta, *philologia*: primum quod peritia verborum, ut recte eſt ab Auguſtino ſcriptum, valde inflat: deinde quod horum opera magis videntur eſſe illorum fœtus, quam quæ philoſophi, aut theologi conſcribunt: orationem enim orator peperit, poëta carmen: veritatem non peperit philoſophus, aut theologus, ſed natura: ideoque verax philoſophus contradictionem opinionis ſuæ, naturæ potius interpretatur eſſe injuriam, quam ſui. At qui falſum comminiſcitur, ægrius fert repugnari ſibi, quam qui aſſerit verum: nam verum nemo gignit, falſum ex mendace ipſo naſcitur. Itaque qui verum affirmat, propugnationem ſui dicti naturæ, tempori, Deo committit; qui falſum, ipſe ſibi illius tutelam ſumit. Accedit his, quod verba velut facies & forma quædam ſunt exterior, ſenſa autem interiora illa referunt, ceu valetudinem & mentem. Indignius vero formoſi accipiunt cutem & lineamenta ſua perſtringi, quam boni ſuam virtutem: citiuſque vir probus malum ſe appellari æqui bonique faciet, quam ſpecioſus deformem. Quæ ad mores non pertinent, ea grave eſt ad alienum nos ſtomachum aut judicium formare. In iis vero, quibus homines vel meliores fieri, vel pejores poſſunt, publicos præfectos eſſe aliquos examinandis libris expedit, viros judicio, doctrina, probitate in toto populo præcipuos, ac ſpectatos.

FINIS.

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

INDEX RERUM

Quæ in hisce XII. Joannis Ludovici Vivis *libris continentur locupletissimus.*

A

A Benrois commentator. 165.
Abrahamus quo modo ad investigationem Dei pervenerit? 228.
Absentes loco, absentes tempore. 234.
Abstractio mathematica. 177.
Absurda dogmata originem ab Homero traxerunt. 14.
Academia 243. 252. 259. *in quavis provincia statuenda.* 244.
Academia quid? 250. *ad eam quando mittendi pueri.* 255.
Academici sensibus omnem detraxere fidem. 156.
Accuratius. 55. 205.
Acron. 312.
Actio ingenii. 256.
Actius Sannazarius. 311.
Administrationi Reipublicæ quibus opus? 375.
Admonitioni feroces se præbent superbi. 17.
Adriani Cæsaris epitaphium, periisse se Medicorum turba. 176.
Adriani Pontificis mos. 393.
Adulteria impunita ubi? 197.
Ædificia. 216.
Ægesippus. 364.
Ægnatius. 312.
Ægypti ventosa regio. 92.
Ælianus. 363.
Ælius Donatus. 312.
Ælius Spartianus. 365.
Æquitas legum anima. 197. *ad æquitatis cognitionem, & interpretationem quibus opus?* 208.
Æsopi fabulæ. 301.
Affecta valetudo. 346.
Affectus. 11. *eorum mores.* 261.
Agython de Tartaris. 366.
Agrippina quid Senecæ objecerit? 66.
Alabadensis Apollonius. 10.
Albertus Crantzius. 366.
Albertus Grotus. 109.
Alexander Severus in rebus dubiis historiæ gnaros consulebat. 357.
Algorismns. 339.
Alimenta. 215.
Altercationes in jure. 211. 381.
Amadisus. 97.
Ambiguis sententiis quare usus Aristoteles? 23.
Ambitio literatorum. 18.

Am-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Ambroſius. 308.
Ambroſius de officiis Ciceronis. 242. 373.
Ammianus Marcellinus. 365.
Ampliationes, & reſtrictiones. 118.
Analytica Ariſtotelis. 105.
Andreas Alciatus. 309.
Angelus Politianus. 75. 298. 300. 304. 309. 311. 312. 315. 332.
Annorum varia computatio. 91.
Anticipationes. 178. 222.
Antigonus Alexandrinus grammaticus. 75.
Antinomia in jure. 205.
Antiquiſſimi artis Rhetoricæ præceptores. 129.
Antoninus Florentiæ Archiepiſcopus. 367.
Antonius Ciceronianus. 39. 271.
Antonius Nebriſſenſis. 75. 293. 312.
Antonius Sabellicus. 309. 312.
Apollinaris. 311.
Apollini tributum: noſce te. 182.
Appianus Alexandrinus. 364.
A Propinquis pueri ingenium explorandum. 255.
Apulejus. 308. 318.
Arabes, a quibus non diſcendum. 165.
Aratus. 310. 311.
Archimedes Siculus. 180.
Archimedis opera. 341.
Architectura. 5.
Argumenta Juriſconſultorum. 210.
Argumentatio. 105.
Argumentorum inveniendorum tractatio dialecticæ eſt. 137. 323. *ſed Rhetores eam occupaverunt*. 107.
Argumentum. 105.
Ariſtocles, & Ariſteas Rodii, grammatici. 75.
Ariſtophanes. 272. 302. 304. 332.
Ariſtotelem Gentiles pro impio habent. 185. *In Ariſtotele ſunt multa dogmata parum ſolida*. 34.
Ariſtocles, arte maximus. 34. *contraria interdum ſentit*. 27. 157. *de Mundo*. 317. *in alienas linguas quomodo transfuſus?* 24. 59. 193. *in moralibus*. 185. *medicinæ operam cur dedit?* 226. *omnes carpſit*. 25. *quomodo ſtudere conſueverit?* 48.
Ariſtoteles vaſer in definiendo. 164.
Ariſtoteles cur Scholis retentus, gravibus authoribus ejectis? 44. 159.
Ariſtotelis enarratores. 111.
Ariſtotelis libri ad quem hæreditate pervenerit? 25. *quinam minimum habeant bonæ frugis?* 164. *de logicis*. 102. *de ethicis*. 371.
Ariſtotelis naſus cereus. 60. *obſcuritas*. 59. *dicendi genus*. 23. *falſæ opiniones unde?* 163. 185.
Ariſtotelis volumina cur intelligi non potuerint. 164. 192.
Arithmetica. 177. 234. 236. 261. 338.
Arma. 217.
Arianus. 362.

Arro-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Arrogantia cæca, pertinax, præceps. 12. 18.
Ars. 394. 2. 222. *consuetudini cedit.* 72.
Ars grammaticæ. 272.
Ars tradendi æqui, & boni. 377.
Artes ad usum, non ad inanem delectatiunculam referendæ. 238. *Christianis quæ congruant?* 231. *quomodo inventæ, auctæque?* 221.
Artes in alienissimis locis habitare censentur. 13.
Artes liberales. 5.
Artes maleficii reliquas afflatu quodam vitiarunt. 12.
Artes quomodo distinguantur? 225. *a Christiano examinandæ.* 239. 267.
Artibus liberalibus quot olim impenderentur anni? 51.
Artis finis. 223.
Artium, aut cognitionis nomen impostura non merentur. 222.
Artium cognatio. 54. 383. *differentiæ.* 223. *materia.* ibid. *divisio* 4.
Aspectus aspector. 235.
Assentatio doctorum. 387.
Astra alii observant, alii contemnunt. 176.
Astra an multum virium in hæc corpora habeant. 376. 179.
Astrologia. 179.
Astronomia. 339.
Athenis præservida Civitas. 130.
Athenæus 305. 367.
Athenis vetiti Oratores affectus movere. 143.
Avaritia. 19.
Auditiva. 177. 339.
Auditores concionum. 145.
Avarroes perstringitur. 165. & seqq.
Augustini retractationes. 17. 402.
Augustinus. 308.
Aulus Gellius, 305. 308.
Aures variæ. 141.
Aurium judicium seculis mutatum. 142.
Ausonius. 311.
Authores in quaque virtute præcipui. 332. *causarum naturalium.* 344. *de Cælis.* 318. *mathematicarum.* 339. *medicinæ.* 348. *de Philosophia morum.* 370. *æconomicæ.* 373. *de Republica.* 375. *historiæ* 299. 360. *linguæ Græcæ.* 301. *Latinæ* 293. & seqq.
in Grammatica, & Philosophia. 307. *quinam Magistro per singulas artes legendi* ibid. & seqq. *quinam Magistro ad consulendum in Bibliotheca collocandi?* 301. & *quinam discipulo seorsim legendi.* 299. *in Græcis.* 304. & *ad consulendum in Bibliothecæ reponendi.* 305.
Authores imperite enarrati, & intellecti. 57.
Authorum differentiæ. 289. *a quibus abstinendum?* ibid. *enarratio.* 277. *imperita.* 57.
Authoritas sacrarum literarum. 267. *diversorum Authorum perperam paris fidei.* 38.

Bal-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

B

Baldi. 282.
Baptista Mantuanus. 298.
Barbaries multiplex. 82.
Bartholus reprehensus. 21.
Basilius de Ethnicis Poëtis legendis. 310. *de Mose.* 228.
Batalarii. 63.
Beatitudinis tria genera Aristoteles facit. 186. *Beatitudo.* ibid.
Beatus Rhenanus de rebus Germanicis. 366.
Beda presbyter de Anglis. 365.
Bellum quo argumento quidam justum esse dicant? 39.
Bembus. 309.
Benevolentia. 196.
Berosus Babylonius. 361.
Bibliothecarum clades. 20.
Bionis philosophi dictum de superbia. 16.
Blondus. 365.
Boëthi error. 105.
Boëthus. 106. 308. 340.
Bonorum tria genera Aristoteles facit. 186.
Bonum, & pulchrum. 189.
Buccolica Virgilii. 297.
Budæi annotationes, & assis. 305.
Budæus. 309.

C

Cæli antiquæ lectiones. 205.
Cæsar quotidiano sermoni utilissimus. 297. 311.
Calculationes. 169.
Calepinus ex quibus dictionarium suum congesserit. 301.
Campanus. 309.
Carminum lex a Catullo lata. 86.
Carolus Bovillus de perspectiva. 340.
Castigatio discipulorum. 286.
Casus in jure. 211.
Catastrophe læta cur a Comicis addita impudicis amoribus suis? 88.
Categoriæ. 102.
Cato antiquarius. 300.
Cato Oratorem quomodo definierit. 133.
Catullus. 310.
Causæ naturæ. 345.
Causarum genera tria. 134.
Cenotaphium. 210.
Censuræ. 394.
Censones librorum. 403.
Censura veri. 314. 323.
Censorinus de Musica. 341.
Christiani nos hominibus credere quam Deo malumus. 183.
Chrysippus. 260.
Ciceroniani. 71. 150.
Ciceronianus Erasmi. 149.
Ciceronis imitatio. 331. *Epistolæ ad Atticum.* 297.
Ciceronis stylum quomodo imitentur? 151.
Cicero. 259. *quæ in dialecticam conjiciat.* 100. *cur paucissimos versus in oratione citet?* 141.
Circumstantiæ. 211.
Citandi benigne per quos profecimus. 396.
Citatio legum. 209.

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Claudianus. 311.
Cleantes Stoicus. 8.
Codices mendoſi. 36.
Codices puriores, ac integriores. 37. 98. 179.
Cœna in honoris gradu non facienda. 247.
Cogitatio cujuſdam Gotthorum Regis de Roma inſtauranda, alioque nomine appellanda. 20.
Cognitio rerum naturæ. 316.
Cognoſcendi ratio triplex. 159.
Collatio ſtudiorum. 284.
Columella. 300.
Comici. 297.
Commendatio eruditionis. 287.
Commentarii Græcæ linguæ Budæi. 304.
Comœdia in tragediam quei? 89.
Commentator Abenrois. 165.
Commoditas artium. 218.
Computatio ingenii ſignum. 261.
Concio eloquentiæ nutrix. 143.
Concionatoris hujus temporis. 145.
Concordia doctorum. 393.
Concurrentes profeſſores. 248.
Conditiones bonæ legis. 378.
Confuſiones nominum in Poëtis. 90.
Congregationes multiplices. 128.
Conſequutiones quales faciant ſophiſtæ? 115.
Conſuetudo magiſtra orationis. 72.
Contemnendo parva, amiſſa ſunt magna. 52.
Contemplatio, contemplator. 235.
Contradicentes: hoc verum in lumine naturæ, illud in lumine fidei. 162.
Cornelius Nepos. 364.
Cornelius Tacitus. 300. 332. 364.
Cornucopiæ Perotti. 301.
Χειτιχὴ. 315.
Cudbertus Tonſtalus de arithmetica. 341.
Cupiditas veri inveniendi. 7.
Curioſa delectatio ſcrutandi. 229.
Cyprianus. 308.

D

DAmnandine ſint Scriptores, quod aliquoties lapſi fuerint? 27.
Damnantes quæ non recordantur ſe legiſſe. 70.
Dares Phyggius & Dictys Cretenſis. 362.
Decem rerum genera. 102.
Declamatio. 329.
Declamationes Quintiliani alienæ ab ipſius præceptis. 144. *veterum, & recentiorum*. ibid.
Decori ſæpe obliviſcuntur Poëtæ. 89.
Demonſtrationis Ariſtotelicæ cenſura. 106.
Demoſthenes. 260. 205.
Dexteritas ingenii. 27. 54.
Diæta, & Diæticus. 236.
Dialecti. 271.
Dialectica. 99. 315.
Dialectica Laurentii Vallæ. 126.
Dialectica metaphyſicæ propago. 101.
Dialecticæ utilitas ſecundum Ariſtotelem. 99.

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Dialectici per totam vitam multi, & nil aliud. 122. *Pseudodia lectici.* 116.
Dicendi ratio nõ spernenda. 325.
Dictionarium. 294. 305.
Didymus Alexandrinus grammaticus. 75.
Differentia. 109. 210.
Differentiæ vocum. 71.
Differentiam, & proprium non accipere magis, & minus. 111.
Dilucida involvi solitum. 15.
Diodorus Siculus. 93. 362.
Diogenes Laërtius de Philosophorum vitis. 363. 364.
Dion Cassius Coccejus. 364.
Dionysius Halicarnasseus. 363.
Dioscorides. 318.
Discentes. 247. *eorum victus.* 288.
Disciplinæ omnes connexionem habent inter se. 53. 38.
Discipuli magistris præstantiores apud vulgum. 66.
Discipulorum correctio. 285.
Diserti. 280.
Disputantes de miraculis, & iis, quæ naturam omnem excedunt. 170.
Disputare discendi finem esse populus putat. 40.
Disputationes. 40. 284. 322. *ex iis mala.* 42. *mala in medicinam invocatam.* 175.
Disputationes de vitiis. 373. *in grammatica.* 81. *in jure.* 381. *in medicina.* 348. *in morali.* 194. *publicæ raræ erunt.* 246.
Distinguere inter verba, quæ urbana, quæ rustica, recentiores non potuerunt. 77.
Divina in Scholis pueriliter tractantur. 109.
Divinatio. 179.
Divini vates unde Poëtæ nominentur? 86.
Divisio moralis Philosophiæ. 370.
Docendi ratio. 245. *de ea oraculum veterum.* 393.
Docere. 250. 267. 392.
Doctores. 63. *quidam prædam suam spectant, non discipuli institutionem.* 253. *eorum concordia.* 393.
Docto viro cogitandum frequenter demigratione ex hoc avo. 389.
Doctus vir ad capessendam Rempublicam non se ingeret. 386.
Domi, an foris docendi pueri. 350.
Donatus Acciolus de Carolo Magno. 366.
Dotes Medici. 347.
Draco Athenienſis. 197.
Druydæ, Galliæ Sacerdotes, & Pythagoras cur non scripserint? 3.
Ducum, & præceptorum multitudo. 30.

E

Editionum multiplicatarum malum, & tractatio. 401.
Eginhardus de Carolo Magno. 366.
Elenchi *In elenchis multæ captiones in latinum versæ gratiam perdiderunt.* 104.
Elocutio. 137.
Eloqui quid? 154.
Emendatio male scriptorum. 400.

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Enarratio authorum qualis esse debeat? 277. *imperita quorum?* 57. *legum* . 381.
Energia Scriptorum poëticorum . 290.
Enunciatio . *In assignando subjecto, & prædicato quid spectandum?* 104.
Epicuri placita . 184. *solos sensus sequuti* . 156.
Epigrammatarii . 260.
Epitheta in Homero . 303.
Epulæ . 172.
Erasmus . 300.309.311.332.
Erasmi Ciceronianus . 149.
Erotianus . 75.
Errorum seminarium, an linguarum cognitio . 21. 78. *Opiniones initia sectarum*. 43.
Eruditio quei parvi fiat? 47.
Erudiendi ratio . 245.
Erudientium vita, & mores . 245.247.252.262.
Eruditio propter quæstum. 50.
Eruditus, quei conversetur? 390.
Esdras Judeæ gentis Scriba . 4.362.
Esualis medicus, & medicina . 339. 346.
Ethica, 182. 336. 370.
Ethicorum volumina Aristotelis . 371.
Evangelium Christi . 364.
Euclides . 340.
Eventus in arte perversus . 230.
Euripides . 272.
Eusebius Cæsariensis. 365. 367.
Eutropius . 365.
Examinatio . 324.
Exercitatio . 224. *legum* . 382.
Exercitationes corporis. 323.
Exercitia artis medicæ trifaria . 349.
Exitus disciplinæ . 226.
Experientia, & experimenta dedere artem . 172.222.354.
Exponibilia . 119.

F

Fabularum observatio . 72. *sed eruditarum* . 368.
Facilia, ac dilucida involvi solitum . 15.
Faustus victor. 363.
Felicitas Aristotelica contraria pietati nostræ . 187.
Fenestella de Magistratibus, e Sacerdotiis Romæ Urbis . 363.
Ferrum in comædia non potest nominari . 89.
Festivum Philippi Alexandri patris dictum . 173.
Fines artium . 224.
Finis bonorum . 224. *hominis*. 227. *studiorum* . 386.
Fiscus Principis . 200.
Flavius Blondus . 365.
Flavius Josephus . 362. 364.
Flavius Vopiscus. 365.
Florisandus . 97.
Forma, & forma acceptionis terminorum . 114.
Formulæ Sophistarum: sic placet &c. 124.
Fortitudo . 189.
Franciscus Patricius de Republica . 376.
Franciscus Petrarcha . 308. 311.
Franciscus Philelphus . 311.
Franciscus Phidelphus . 309.
Franciscus Mirandulanus. 309.
Franciscus Sylvius . 312.

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Furari habetur alibi festivum. 197.

G

Gaguinus de rebus Francorum. 366.
Galenus. 54. 310.
Geneſis liber Moſis. 361.
Gennadius. 365.
Gentiles ſceleſtorum Deorum acta, & genealogias perſequuntur. 83.
Gentilium libri lecti quibus nihil nocuerint? 239. *eorum bona.* 240. *mala.* ibid.
Genus. 108.
Geometria habet tria principiorum genera. 178.
Georgius Purbachius. 318. 340.
Georgii Vallæ Mathematica. 341.
Georgius Trapezuntius. 309.
Geſta Romanorum moralizata. 39.
Gladio ſimiles qui? 260.
Gloria ſtudioſorum. 388. *vera quæ?* 190.
Gloriæ cupiditas medicinæ ſe admiſcuit. 174.
Gloriæ cupiditate ad ſupervacanea eruenda acti. 158.
Gloſſa fieri in jure Juſtinianus vetuit. 207.
Gothi cujuſdam Regis ſuper Romani nominis, ac linguæ abolitione cogitatio. 20.
Gradus bonorum Academicorum. 432. 62. 246. *ab iis nemo rejectus qui numerat.* 63. *ad eos pauci admittendi.* 247.
Græca lingua. 270.
Græca hiſtoria fabuloſiſſima. 362. *ejus Scriptores ex culice fecerunt Elephantem.* 94.
Græci cur mendaces in hiſtoria? 92.
Græci Ariſtotelis interpretes. 316.
Græcitatis ſtudium. 301. *Quintilianus jubet latinis literis præponi.* 273.
Græcorum ingenia qui morbus vitiarit? 12.
Grammatica. 68. 236. 293. *uti tradenda?* 274.
Grammaticæ dignitas. 74. *odium.* ibid.
Grammaticam cur quidam contemnant? 73. 76.
Grammatici nomen priſci complures affectarunt. 75.
Grammatici officium, & diligentia. 69.
Grammaticorum criſis. 36. 77. *vitia.* 274.
Grammaticorum varia eruditio. 75. *virtus aliquid ignorare.* 276. 307.
Grammaticos, i literatos. 74. *vocari, probro ducunt falſi literati, ac profeſſores.* 77.
Grammaticus quid profiteatur? 68.
Γραμματιστικὴ, & Γραμματιστὴς. 68.
Grapaldus de domo. 300.
Gregorius. 310.

H

Hadrianus Cardinalis. 299.
Hæreſis an in vocum, an in

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

in rerum ſtudio ſit? 80.
Hæreſis crimen . 32.
Hæbrea lingua . 271.
Hermolaus Barbarus . 309. 312.
Herodianus . 304. 307.
Herodotus. 93. 305. 362.
Heſiodus . 304.
Hæſiodi genealogia Deorum. 311.
Heſychius. 305.
Hieroglyphica quid? 3.
Hieronymi locus enarratus abſurde . 58. *catalogus de Scriptoribus Eccleſiaſt.* 365.
Hieronymus. 308. *nonnulla Græce ſcripſit, quæ Eraſmus in latinum tranſtulit* . 39.
Hieronymus Vidas . 311.
Hirtii commentarii . 332.
Hiſtoria . 90. 356. *imago veritatis* 94. *vitæ magiſtra, & corruptrix quæ?* 93. *naturæ* . 236. *omnibus artibus utilis*. 358. *tripartita* . 365.
Hiſtoriæ utilitas . 357. *delectatio* . 356. *authores* . 299. 360. *Cardines, loca, & tempora* . 296. *corruptio a Poëtis*. 90. *circa frivola non convenit detineri* . 359. *quænam in ea notanda?* ibid.
Hiſtorici recentiores . 95.
Homerus 302. *ex Platonis Republica cur pulſus?* 290. *quomodo opus ſuum ediderit?* 303. *ejus vitia* . ibid.
Honor artibus quei adimatur? 65. *alit artes*. 8. *magis eſt in honorante, quam in honorato* . 193.
Honoribus artium pecunia impoſita . 64.
Horatius . 310.
Horribilis Sophiſta, elogium cujuſdam Lutetienſis . 124.
Hypotheticæ enunciationes. 115.

I

Jacobus Faber . 316. 340.
Imitatio . 330. *non imitandus unus* . ibid.
Imitatores, ſervum pecus. 148.
Immodici in his, quæ nunquam contingunt . 170.
Imprudentes quidam ad mendacia prolabuntur. 93.
Inepti mercaturæ, aut Civitatis muniis ad Scholas mittuntur . 263.
Ingenia . 264. *præclara, & ſolida ab Schola cur refugerint?* 61.
Ingenium fiſcella eruditionis . 11. *quibus inſtrumentis inveniat artes?* 8.
Ingenium . 27. 252. 257. *poëticum*. 298. *ſequetur congruentia* . 331. *oculus* . 256. 260.
Ingeniis, quæ competunt ex arte præbenda . 267.
Ingeniorum materia . *& actio ſpectanda* . 259. *mutationes*. 258. *ſtimuli ad diſcendum*. 6. *varietas* . 161.
Inſolubilia . 121.
Inſpectio, & cognitio . 223.
Inſtantia . 120.
Inſtrumentum veri quærendi. 7.
Interpretes autorum . 312.
Interpretes legis . 380.
Invenire an ſit rethoris. 136.
Inventio rerum prima . 1.
Inventio probabilitatis . 236.
Inventores artium. 12. 221.
Inveſtigatio . 236.
Invidia Magiſtrorum. 16.

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Invidia quei ferenda? 398.
Joannes Bocatius. 300. 308.
Joannes Cantuariensis de perspectiva. 340.
Joannes Chrysostomus. 310.
Joannes Dullardus. 76.
Joannes Hus. 79.
Joannes Philoponus, grammaticus. 75.
Joannes Picus. 228. 309. 318.
Joannes Pierius. 312.
Joannes Poblatio. 340.
Joannes Ruellius de arte veterinaria. 348.
Joannes Sacribuſci. 318. 340. 341.
Joannes Stoflerinus. 340.
Joannes Trithemius. 366.
Joannes Wiclefus. 79. 80.
Jodocus Clitovæus. 340.
Jordanes Caſtalio de rebus Gothici. 366.
Jotaciſmus. 282.
Jovianus Pontanus. 300. 309. 311.
Ira, cos fortitudinis. 189.
Iſidorus Hiſpalenſis. 306.
Iſocrates. 304. 333.
Iſocrates numeros cur in orationem invexit. 142.
Ισχνοθέδε. 282.
Ισχνοφώοι. ibid.
Jucunditas orationis detinet lectorem. 97.
Judiciali genere nihil indigemus. 328.
Judiciorum apud veteres ratio. 216.
Judicium. 315. 323. 355. 356.
Judicium ex primo guſtu perverſum. 39. *& eorum qui omnia requirunt exactiſſima*. 39. 316.
Julius Frontinus. 364.
Julius Hyginius. 318.
Julius Obſequens de prodigiis. 364.
Julius Pollux. 305.
Julius Solinus. 319. 367.
Jureconſultus de verbis non curat. 21.
Juriſconſulti munus. 376.
Jureconſulti Pannoniæ. 213.
Juriſconſulti veteres. 203.
Juriſperitiſſimi, & imprudentiſſimi ſimul multi. 208. *altercationes eorum*. 211. *quæſtiones ſuper verbis legis reprehenduntur*. 21.
Juriſprudentia. 6. 207. &c.
Juſtinus. 308.
Juſtinus Martyr. 318.
Juſtitia. 128.
Juvenalis. 311.
Juvencus. 311.

L

Labdaciſmus. 282.
Lacedemonii ſervos ebrios cur Ziberis ſuis offerebant. 372.
Lactantius. 308.
Lampridius. 365.
Lancilotus, hiſtoria fabuloſa. 97.
Landinus. 312.
Latinæ linguæ authores. 294. 300. *Laus*. 269. *ea cur exacte addiſcenda?* 270. *quantum ei debeant calumniatores?* 81.
Latini non tantam habent participiorum copiam, quantam Græci. 113.
Laudari. 190.
Laurentius Valla 71. 299. 308. 284.
Lectio autorum. 237. *Gentilium.*

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

lium. 239. & seqq.
Legenda aurea. 96.
Leges. 197. 202. 217. 376.
quomodo docendæ? 381.
Leges paucæ, & faciles. 202.
Leges injustæ.
Leges Romanæ. 201.
Legum finis. 202. *antinomiæ*. 205.
Legum indices, vel elenchi, imperiti, jurisperiti. 208.
Lex majestatis. 199.
Lex quid? 202.
Leo Albertus de architectonica. 341.
Leonardus Aretinus. 366.
Leonardus Brunus. 309. 365.
Lexica in bibliotecis. 294. 305.
Libanius. 310.
Liberales artes quæ, & quot? 5.
Librarii castigati. 37. *ex Libris cognoscenda omnia*. 237.
Libri cur in Germania sinceriores ad nos pervenerint quam Italia? 180.
Libri fabulosæ historiæ non legendi. 97.
Libri canonici, apocryphi. 362.
Libri supposiți. 36.
Librorum multitudo. 237. *lectio*. ibid.
Licentiati juris. 64.
Linea quid? 178.
Lingua doctorum sacra. 270.
Lingua una flagitatur ad eruditam educationem. 269.
Liaguarum patrocinium. 78. *ratio*. 227., *casus & obscuratio medicinæ cladem attulit*. 174. *cognitio quei remedium insciticæ, & errorum, ac hæresium seminarium?* 78. *ignoratio*. 20. 21. 206. *studium per quos in Italiam revocatum?* 146. *usus ad hujus vitæ munia*. 306.
Linguas contemnentium animos quid urat? 81.
Literatus, i grammaticus. 74.
Literator. 68.
Literatura. ibid.
Loca, & tempora, cardines historicæ traditionis. 296.
Logicæ artes, vel sermones tres. 68.
Logica nova, & vetus. 108.
Logicalia parva. 106.
Logicorum Aristotelis librorum censura. 102.
Longolius. 150. 152. 273.
Loqui, & tacere, rethorices partes. 136.
Lucanus. 298. 364.
Lucianus. 301. 305.
Lucius Florus. *de Romana historia*. 363.
Lucius Lucullus ingens Imperator historiarum lectione factus. 357.
Ludus in qua civitate constituendus. 255.
Luctatores. 4. *Lumen lumine accendere, docere*. 352.
Lumen naturale. 159. 162.
Lusus. 288. *coticula animorum*. 262.
Lutherus, theologus scholasticus, & sophista parum latinus, Græce nil doctus. 79.
Luxuriæ ministri. 4.
Lycurgus de adulteriis nihil cavit. 213.

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

M

Machabæorum libri . 363.
Macrobius . 305.
Magia naturalis . 228.
Magistri eruditionis quales esse debeant . 245. 247. 321.
Magistri affectus . 265.
Magistri nonnulli in familiam se dant locupletes . 64.
Magistrorum electio . 248. *invidia* . 16.
Magnificentia . 189.
Mancinellus . 312.
Manilii astrinomicon . 310. 318.
Marcus Tullius Cicero . 308. *Vide Cicero* .
Margarita philosophica . 340.
Maria Siculus de rebus Aragonensibus . 366.
Marmorarii luxuriæ ministri . 4.
Martialis . 311.
Martianus annotavit , *Ciceronem in deligendis pedibus non satis consentire* . 142.
Martianus quomodo differentiam finiat? 110.
Marcellus . 311.
Pro Materia infami non dicendum . 328.
Mathematica . 177.
Mathematicarum artium studium . 337.
Mathematicæ disciplinæ integriores ad nos permansere . 179.
Maximæ assignatæ a Boëtho singulis inventionum locis . 106.
Medicina . 6. 172. 236. 345. *quomodo corrupta?* 174.
Medicina quæstuosa . 173.
Medicinam exercentes . 351. *tradendi orde* . 346.
Medici ad ægrum ingressus , *qualis?* 351.
Medici juvenes graduati indocti , *quinam?* 175.
Medicorum livor . 176. *In errando* , *& necando impunitas* . 174. *turba periit Adrianus Cæsar* . 176.
Melanchthon . 309.
Memoria . 3. 135 280.
Memoria , *vel computatio ingenii signum* . 262.
Mensa rotunda Gallica , *historia ficta* . 97.
Mentiendi licentia in res sacras irrepsit . 95.
Meta sophistarum . 124.
In Metaphysicam impetus factus . 108.
Methaphysicum ingenium quem dicant habere? 164.
Meteororum libri quomodo tractentur? 164.
Methodice grammatica . 77.
Michael Ritius . 366.
Μικρολόγοι . 244.
Milesiæ fabulæ . 230.
Militia . 7.
Mirandulani , *Franciscus* , *& Picus* . 309.
Modi significandi . 82.
Monstra quæstionum . 108.
Moralis Philosophia . 182. 236. 638. *ejus divisio* . 370.
Mores variant ingenia . 260.
Morum præcepta in media rethorica . 132.
Moses . 228. 361.
Musica . 5. 235. 236. 237. 239.
Musica mutata . 180.

Na-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

N

NAtare discebant pueri. 5.
Naturæ causæ. 345. *descriptio.* 316. & seqq. *lumen.* 159. 162. 235. *historia.* 236. *acumen.* 235. *aspectus.* ibid.
Natura communis. 108.
Natura homini quæ dederit? 159.
Natura in rebus pietatis pleraque nos docet. 163.
Naturam aliam qui confinxerint? 56. 164.
Natura rerum infinite varia. 160.
Naturalis magia. 228.
Navagerius. 154.
Necessitas. 2. 155.
Negationis usus. 118.
Negligentiæ in studiis censura. 48.
Negotium Valgio quid? 212.
Neoterici, & veterarii. 33.
Nestor grammaticus. 301.
Nominales philosophi. 120. 164.
Nosce te. 182.
Numeris devincta magis recordamur. 83.

O

OBligationes. 121. 315.
Obscuritas veterum. 22.
Alii aliorum inventa obscurarunt. 15.
Oculus ingenio similis. 256. 260.
Œconomia. 236.
Œconomica. 373.
Officia vitæ. 373.
Oppius. 332.
Oppianus de piscibus. 318.
Opiniones errorum, sectarum initia. 43.
Oracula veterum de Scholis. 393.
Orationis cultum qui affectarint? 77. *artes tres.* 68.
Orator quis? 133.
Oratores. 128. & seqq.
Oratoria ars quando prorsus sublata. 144. & seqq. *de ea Ciceronis verba.* 133.
Organicæ disciplinæ. 224. 323.
Oris vitia. 282.
Ὀρθοεπεια. ibid.
Ottho Phrysingensis. 367.
Otium vitandum in studiis. 232. 274.
Ovidius. 310.

P

PAlæphatus. 310.
Palladius. 300.
Parrhasius. 312.
Partes, & factiones in omni disciplinæ genere. 31.
Participium non semper idem quod verbum reddidit. 113.
Parva logicalia. 116.
Paterculus Vellejus. 364.
Patri cura erit de filii moribus. 250.
Patria educationi quam maxime. 254.
Paulinus. 311.
Paulus Æmylius. 366.
Paulus Cortesius quam imitandi viam ostendit? 150.
Paulus Orosius. 361. 365.
Paulus Varnefridus. 365.
Pausanias. 363.
Pecuniæ aviditas in erudiendo.

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

do. 50. 62. & seqq.
Perfectio. 220.
Περισάσεις. 211.
Persius. 298.
Perotti Cornucopiæ. 301.
Perspectiva. 6. 177. 337.
Petrus Cirvelus. 341.
Petrus Crinitus. 305. 365.
Petrus Crescentias. 318.
Petrus Marsus. 312.
Petrus Martyr de navigationibus Oceani. 366.
Petrus Ravennas. 146.
Petrus Textor. 305.
Philippi patris Alexandri dictum. 173.
Philippus Beroaldus. 312.
Philo Alexandrinus. 362.
Philologi. 305. 306. & seqq.
Philologia. 236. 402.
Philosophandum quibus? 386.
Philosophia morum. 182. 236. 369.
Philosophi Athenis invisi. 65.
Philosophi est de æquitate tractare. 376.
Philosophorum imperitia superbia. 157. & seqq.
Philostratus. 310. 362. 364.
Phocylides. 302.
Phurnutus. 91.
Physica. 6.
Pictores. 4.
Pictura, pœma tacens. 88.
Pietas. 220. 227. *&c. ad eam referenda omnia*. 232. 267.
Pietatis fundamenta statim initio tradenda. 263.
Pisistrati jussu Homerus digestu. 304.
Pindarus. 304.
Pius Pontifex de rebus Bohemicis. 75. 366.
Placita, sectarum causæ. 124.
A placitis majorum deflectere, quibusdam grande nefas. 29.
Πλατεασμός. 282.
Platina de Romanis Pontificibus. 366.
Plato. 309. 332. 345.
Plato, & Platonici quanti Augustino. 185.
Platonis respublica. 375.
Platonis Academia. 243. 259.
Platonis dictum Academiæ fronte inscriptum. 177.
Plautus. 297.
Plinii Cæcilii Epistolæ. 136. 295. 310. 332.
Plinius secundus. 294. 310. 321. *ejus diligentia*. 48.
Plutarchi Vitæ. 363.
Plutarchus. 95. 333.
Plutarchus de poëtarum lectione. 291. 310.
Poëma. 88. 235.
Poësis. 83. 235. 237. 291. *condimentum, non alimentum*. 298.
Poësis theatrica. 88.
Poëtæ. 83. 85. & seqq. 142. 237. 296. & seqq. 310. & seqq. *cur divinitates?* 85.
Poëtæ loquendi figuris cur abusi. 90.
Poëtarum fabulæ ad naturalem interpretationem tractæ. 84. *auctoris unde?* 292.
Poëta vera canet. 86.
Poëtica Aristotelis non multum boni habet. 310.
Poëticum ingenium. 298.
Politica. 236. 374.
Polibius. 363.
Polydorus Virgilius de inventionibus rerum. 367.
Polyhistor. 236.
Pompeii lex. 143.

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Pomponius lætus. 309. 363.
Pomponius Mela. 318.
Pontanus de bello Neapolitano. 366.
Populum magnum erroris magistrum Socrates vocat. 183.
Porpyrion. 312.
Porphyrii prædicamenta. 107. & seqq.
Posidonii Stoici artium partitio. 5.
Præcepta 2. *eorum nimia observatio neglecto usu culpatur*. 72., *collectio*, & *ordinatio*. 266.
Præceptor qualis. 324.
Præceptores nostri decepti, quo & nos decipiemur. 27.
Præceptorum multitudo. 30.
Præcarium in postulatis mathematicis quid? 178.
Prima philosophia. 235. 236. 320. & seqq.
Principi quodlibet licet: malum. 198.
Principes non tenentur legibus. ibid.
Principibus cælum datum. 199. & seqq.
Principum potentia unde? ib.
Privilegium quid? 380. *ad probabilitatis investigationem*. 236. *quos enarrabit doctor?* 324.
Proclus. 340.
Procopius, & *Agathias*. 365.
Professores aut magistri qui faciendi? & electio eorum. 247. 248.
Professorem mores corrupti. 61.
Προλήψεις, *in animo semen*. 222.
Pronuntiatio. 135. 329.
Propertius. 310.
Propositio non potest ostendere seipsam. 122.
Proprium. 110.
Prosper. 311.
Proverbii tractatio, & *usus*. 278.
Prudentia. 217. 236. 354. & seqq.
Prudentius. 298.
Πσελλοι. 282.
Ptolomæi astronomia. 341.
Ptolomæi picturæ. 318.
Pudor discendi. 16.
Pueri affectus. 265.
Puerilis educatio. 259.
Pueri magistri. 64.
Pueri naturaliter simii. 250. *ne celeriter loquamur*. 282. *eorum primus in scholam ingressus*. 249. *Reipublicæ semina*. 251.
Pueros Romani suos ad semen aliquem mittebant. 251.
Pulchrum. 189.
Punctum. 178.
Pithagoras arithmetica acumen ingenii explorabat. 261.
Pythagoras cur non scripserit? 3.

Q

Quæstiones ridiculæ. 108. *Quæstionum monstra*. 108.
Quæstus in eruditione. 50. *ad* Quale, *substantiam reddunt Græci*. 108.
Qualitas quomodo vocetur a quibusdam? ibid.
Quantitas duplex. 177.
Quid? ad quæsita per quid qualitatis responsum adjungimus. 108.
Quintiliani errores. 105.
Quintilianus. 308.
Quintilianus philosophos furti ac-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

accreſcit. 132.
Quintus Curtius. 308. 362.

R

RAphael Volateranus. 284. 306. 319. 367.
Ratio dux legis. 380.
Rationem evidentem in omnibus quidam poſtulant. 16. 40.160.316.
Rationum fides. 27.
Ratiunculæ collectæ, quibus diſcipuli in ſingulis cauſarum generibus uterentur.136.
Reales philoſophi. 120.164.178.
Recentes, & veterarii. 33.
Recentiores dialectici ſophiſtæ. 107.
Recentiores hiſtoriam quomodo ſcribant? 95.
Recreationes. 287.
Relaxationes ſtudiorum. 51.
Religio pietas, artium regula. 220. 227. 267.
Reſpublica. 374. *de ea qui ſcripſerint*. ib. & ſeqq.
Reſpublica Platonis, Thomæ Mori Utopia. 375.
Reipublicæ ſemina pueri. 251.
Reſecare ad vivum. 123.
Rhetorica. 236. *quei teadenda?* 326.
Rhetorica ad Herennium. 327.
Rhetorica quid ſit? 133.
Rhetoricæ gemina. 131.
Rhetoricen qui homines expetiverint? 130.
Rhetorices origo. 129. *materia*. 131.133. *partes, tacere, & loqui*. 136.
Rhetoricæ partes quinque. 135.
Rigor in ſenſu. 118.
Rodericus Toletanus de rebus Hiſpanicis. 366.
Rogerus Svicetus. 160.
Rolandus Italicus, hiſtoria ficta. 97.
Romanum nomen ac linguam quidam Gothus rex abolere cogitat. 20.
Rubricæ. 310.
Ad Ruſticas res qui legendi? 318.

S

SAcerdos vilior profano exiſtimatur. 66.
Sacrarum litterarum depravatio unde. 58. 95.
Sadoletus. 309.
Salluſtius. 300. 331. 364.
Sapientia, de ea Senecæ ſententia. 383.
Saxo grammaticus. 366.
Scientia noſtra. 384.
Scotiſtæ. 32.
Scotus reprehenſus. 164.
Scribendi exercitatio. 283. 399.
Scriptores omnes cenſentur æquales, imperite. 38. *an ne damnandi ob lapſus?* 27. *in ſingulis quæ conſideranda?* 38.
Scripturo quid faciendum? 399.
Scrutatio. 236.
Scrutandi curioſitas. 229.
Sculptores. 4.
Sectæ. 32. *recentium, & veterum*. 33.
Sectæ ſophiſtarum. 124.284.
Sectarum initia. 31.43.219.
Seculum felix. 352.
Sedulius. 311.
Semina omnium diſciplinarum indita ſunt animæ noſtræ.222

Se

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Semina Reipublicæ pueri. 251.
Seneca quid ad Agrippina exprobatum. 66.
Seneca Tragicus. 297.
Senſum ſecuti, vel ſecus. 156.
Sententiarum uſus, & tractatio. 278.
Sera ad diſcendum ætas nulla. 47.
Sermo. 128.217.234.268.
Sermone ſpurco uſi olim quidam. 76.397.
Sermonis inopia cur laboremus quotidie; 70. *artes tres.* 68. 402.
Servius Honoratus. 278.
Sextus Aurelius. 365.
Siculi acuti, eloquentiæ auctores. 129.
Significandi modi. 82.
Silius Italicus. 310.
Similiter cadentia, & deſinentia. 87.
Simultates inter literatos. 18.
Soccus in cothurnum. 89.
Socrates. 182. *nihil ſe ſcire profeſſus.* 384. *quatenus Geometriæ operam impendendam cenſeret?* 338.
Socraticæ interrogationes. 315.
Solon de patricidiis legem non tulit. 212.
Sophiſtæ. 107. 124.&c.
Sophiſtæ jactantes ſe argumentis poſſe vertere candida in nigrum. 126.
Sophiſtarum formulæ, ſic placet, &c. 124. *meta, contradictio.* ibid.
Speuſippus. 321.
Spiritualitas. 236.
Spirituales res. 343.
Statius. 311.
Stoici intra judicandi fines dialecticam concludunt. 100.
Strabo. 318.367.
Strozæ duo. 311.
Studiorum ordo. 274. *relaxationes.* 51. 287. *fructus.* 389. *pecunia non eſt æſtimandus.* 386.
Studioſi. 247.386. *quinam? qui frequenter cogitant de vita æterna.* 389.
Studioſorum gloria. 388.
Studium a precibus auſpicandum. 385. *ne immodicum.* 274.
Stylus triplex. 137.
Subſtantiæ nomen, niſi perraro, infinitari non poteſt. 112.
Subtilitas ingeniorum. 258.
Svetonius. 332.364.
Sviceticæ quiſquiliæ. 170.317.
Suidas. 305. 367.
Superbia profectus impedimentum. 124. *non obſtinata tantum, ſed & præceps.* 18. *ex animo.* 218.
Suppilare vocant imitari. 148.
Supponere. 126.
Sydonius Apollinaris. 148.
Sylla dictator libros Ariſtotelis emit. 25.
Syneſius. 310.
Syntaxis a Græcis parum accurate conſcripta. 301.

T

TAcere, & loqui, rethoricis partes. 136.
Tempora in hiſtoriis diſtinguenda. 360.
Tempora, & loca, cardines hiſtoriarum. 360.
Temporis brevitas, & precium.

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

cium. 232.
Tempore certo detinendi in quaque disciplina. 247.
Tenebre ingeniorum. 10.
Terentii fabellæ. 297.332.
De Terminis quam indocte præcipiatur in scholis? 110.
Terminus connotativus. 111.
Tertulianus. 308.
Themistius. 332. *de scriptis Aristotelis*. 23.
Theodorus Gaza. 309. 332.
Theognis. 302.
Thologia. 6.
Theologus, & Theonomus. 237.
Theophrasti sententia de nostra scientia 284.
Theophrastus de stirpibus 318.
Theses. 121.
Theutus Ægyptius, literarum repertor. 3.
Thomistæ. 32.
Thomas Aquinas. 371.
Thomæ Linacri grammatica. 293 299
Thomas Morus. 311.375.
Thucydides. 304.362.
Tibullus. 310
Titus Livius. 299.332.363.
Tragici poëtæ. 297.
Trascendentia sex faciunt. 109.
Tribellius Pallio 365.
Tribonianus consuevit leges pretio vendere. 204. & seqq.
Trogus. 363.
Turpinus de Carolo Mugno. 366.

V

Valerius Flaccus. 311.
Valerius Maximus. 298. 364.
Valerius Probus. 312.
Valgius. 212.
Varronis de lingua latina libri. 301. & seqq.
Vellejus Paterculus. 364.
Venatio. 5.
Verba contra negantes, de verbis se esse solicites. 21.52.
Verba adjectiva. 113.
Verba legis de iis jureconsultorum qnæstiones reprehenduntur. 21.
Veri censura. 314. 323.
Veri cognitio parvi facta quei? 47. *inveniendi cupiditas*. 7.
Veritas nullius propria. 402. *contra veritatem non dicendum*. 328.
Vernaculam puerorum linguam cognoscet præceptor. 276.
Verorum sunt nobis naturaliter ingenitæ formationes. 163.
Versus in soluta orarione, 139.
Vescus. 236.
Vestes. 216.
Vetera tantummodo persequentes. 33.
Veteres an damnandi ob lapsus? 27.
Veterinaria ars. 348.
Vici. 216.
Vincentius. 39.
Vir bonus. 134.
Virgæ usus. 255.
Virgilii opera. 298.
Virgilius quomodo Homerum imitetur. 86 87.
Virtus. 188. *ejus præmium*. 190.
Virtutes in oratione unde spectentur? 138.
Vitæ quorundam sigillatim æditæ. 263. & seqq.
Vitia corporis, & animi. 372.

Vi-

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Vitia quæ ad eruditione repellenda? 257
Vitium in naturæ ſcrutatione. 158.
Vitruvius, 300.441.
Ulpianus quibus verbis profeſſionem juris ſit complexus? 207.
Vooabula in Philoſophia prima. 322.
Volcarius Gallicanus. 365.
Voluptas ex corpore. 218.
Uſus artem dedit. 222. 354. & ſeqq.
Uſu recepta. Multi a receptis uſu cur non poſſint diſcedere? 31. & ſeqq.
Utopia Thomæ Mori. 375.

X

Xenocritus grammaticus. 75.
Xenophon. 304.305.

Z

Zenobia regina hiſtoriæ perita. 357.
Zeno cui dialecten, & cui rhetoricen comparavit? 99. 130.

FINIS.

© Biblioteca Valenciana (Generalitat Valenciana)

Biblioteca Valenciana - Generalitat Valenciana